BERNARDINI

PARTHENII

SPILIMBERGII

IN

Q·HORATII·FLACCI

CARMINA ATQ· EPODOS

COMMENTARII

Quibus

Poetae artificium,

& uia ad imitationem,

atq· ad Poetice scribendum

aperitur·

CVM PRIVILEGIO.

VENET· CIϽ IϽXXCIV

Apud Dom· Nicolinum

AD·STEPHANVM·BATHORI POTENTISS·POLONIAE·REGEM·ETC

SERENISSIMO, ATQVE POTENTISSIMO PRINCIPI

D. D. STEPHANO BATHORO DEI GRATIA REGI POLONIÆ.

MAGNO DVCI LITVANIAE, RVSSIAE, Prusiæ, Semogitiæ, Kiouiæ, Liboniæq; Domino, &c. Necnon Principi Transiluaniæ.

Bernardinus Parthenius Spilimbergius.

REGIAM Amplitudinem, ac dignitatem REX INVICTISSIME *fortunis omnibus Humanis præstare, atque ipsum Regem Deo similem esse, nemini dubium esse debet, & doctissimi Homines prodidere. Quare verisimile est, eum, qui ad imperandum accersitus est, Deo esse quam gratissimum. Quamobrem mecum reputo, si Rex ornandus sit, omnium esse difficillimum ea verborum, ac sententiarum pondera inuenire, quæ tanta dignitati respondeant: An igitur prætermittendum? minime. alioqui a summi etiam Dei*

laudibus esset abstinendum, quod nullum dicendi genus tam sublime, tam amplum, tam ornatum tantæ potentiæ non impar esse videatur. tantum autem facultatis & si assequi nemo potest, non iccirco cessandum, quin nihil magis nobis cogitandum, ac dies & noctes meditandum arbitrabimur. Quamuis igitur supra Hominis fortunam persona Regis sit, tamen pro cuiusq; facultate, aliquo monimenti genere eius virtutes, resq; ab eo gestas celebrare æquum est, siqui vero a natura dicendi copia ita sunt destituti, vt eloquentia, quam præclaræ res postulant, Principis Maiestatem ac gloriam æquare non possint, eius saltem virtutes admirari, illisq; plaudere, satis esse putandum est. In quorum numero me reponi non moleste fero. Huic admirationi meæ, vt aliquid accessionis esset, eorum more, qui Persarum Regem nunquam sine aliquo munere salutabant, munusculum adiungere visum est. Itaque cum superioribus annis Commentarios in Horatij Flacci poetæ Nobilissimi conscripsissem, longe aliam rationem, (nisi fallor) viamq; secutus, quam, qui hactenus in ea re laborarunt, statui illos MAIESTATI tuæ tanquam Numini consecrandos. Id ego eo libentius feci, quod te litterarum, Maximarumq; artium studijs ab adolescentia delectatum, atque

ingenijs

ingenijs fauere omnes prædicant. Quod nobis uel eo confirmatum est, quod claros ex Italia Viros ingenti pecunia inuitasti, facile declarans te nihil malle, quam ut optimæ disciplinæ in tuo regno efflorescant. Hinc factum est, quamobrem ex omnibus regionibus in Poloniam litteras migrare audiamus. Præclarum hoc, atque commemorandum, & Principe in primis dignum. Idq; agis, ut quibus ipse studijs fuisti institutus, ijsdem Ciues tui erudiantur. Nemo ignorat quibus disciplinis ab initio ætatis excultus es, quam magna, quam præclara didiceris. quibus ornatus, hac regia Amplitudine te in reliqua uita dignum præbuisti. Quod Persas etiam ipsos tanti fecisse constat, vt neminem ad regnum vocarent, nisi hæc antea didicisset. Huic institutioni cum te Patris tui Magni, ac fortissimi viri, Maiorumq; tuorum exempla, ac res gestæ accederent, quæ te magis excitarent, breui factum est, ut Hominum opinionem de tuis excellentibus uirtutibus non solùm confirmares, atq; æquares, sed pulcherrimis factis in dies augeres, accedente ætate, ita animi, ac corporis viribus proueherere, vt tecum conferri nemo posset. Cum adhuc iuuenis esses, & tua iam omnibus spectata prudentia, atque illa tum intelligendi, tum rerum gerendarum solertia IOANNI *Pannoniæ Regi, apud*

quem

quem multum eras, perspecta esset, de Maximis rebus ad Ferdinandum Cæsarem, atque ad Selinum Turcarum Imperatorem missus es. tanta autem tua virtus fuit POTENTISSIME REX, *vt eo etiam tempore magnos exercitus in tot Pannoniæ bellis feliciter duxeris. quæ, cum id ætatis fortissime gesseris, teque eundem præstiteris in cæteris bellorum administrationibus, mirum si te Regem summum, summumq; Imperatorem Homines agnoscunt, & prædicant. Quam vero hæc tua propria laus sit* REX *Fortissime, hoc Moschico bello, atroci quidem illo, ac periculoso, docuisti. Nam cum tibi necessariò, ac iuste bellum esset suscipiendum aduersus Magnum Moscouiæ ducem, quod oppida, & Ciuitates, prouinciasq; tibi debitas, & in primis Liuoniam, pro qua potissimum ad arma ventum est, occupasset, qua fortitudine, qua scientia rem militarem administraris, sæpe vel fusis, vel captis, vel concisis hostibus, vel fame, vigilijsq; confectis; vrbibus, oppidis captis, Polocia primum, quam Magnus Dux pacis simulatione a* SIGISMVNDO *Rege a Lituania auerterat, in libertatem vindicata; deinde Velicoluco expugnata, ac capta; Velisia, Neuelia, Zemolotia, Iezeriscia, atque alijs demum in tuam ditionem, potestatemq; redactis, ingenticæ-*

de

de hostium ad Socolum facta, nihil reliquum fecisti ad summam bellicæ virtutis præstantiam, atque ad Magni Imperatoris munus declarandum. Quid dicam de tot Liuoniæ Oppidis tibi traditis? De recepto Derbato? de magno tormenmentorum bellicorum, de Bombardarum numero, ac de reliquis terrificis machinis, quæ in tuam potestatem venerunt? His ita gestis, putandum est, nihil tam arduum, tam difficile, tam inexpugnabile, quod tuo ductu, tuo consilio, tuaq; virtute vinci ac prosterni non possit. Quid? quod non solum oppida, Vrbes, atque hostem, verùm hiemes durissimas, frigorum vim, quasi cum natura ipsa, atque elementis pugnans, superasti? Cum te non niues, non glacies retardarunt, non viæ asperrimæ, longissimæq; moram attulerunt, non tot vigiliæ, ac labores reuocarunt, non ferocitas, atque immanitas hostium deterruerunt. Quamobrem quem tibi ex vetustissimis Imperatoribus homines conferant, non reperiunt. profectò poetæ, qui omnia admirabiliora faciunt, vix talia fingere potuissent. Hostem vicisti gloriose, ac magnifice iactantem, ac de se gloriantem, antea pacis conditiones tergiuersantem, audacia armatum, opibus fultum, potentia exultantem domuisti. Quis enim illi resistat, quo in persequendo alacriorem,

in

in persistendo constantiorem, in malorum tolerantia, ac patientia fortiorem nemo unquam inuentus est? Eam igitur victoriam ijs artibus es consecutus, quam omnia secula, atque litteræ celebrabunt, nulla ætas conticescet, sed nomen tuum ab omni obliuione vindicabit. At vero dij immortales, post hanc laudem, quam gloriam, quam omnibus terris celebratam es adeptus? quod hosti feroci, atque immani placari potuisti. maluisti, cum prorsus perdere potuisses, seruare, & ignoscere potius quàm sanguine conspersus triumphare. quare gemina corona tibi debetur. altera fortitudinis, ac virtutis tuæ egregiæ, altera sapientiæ ob tuam in victum hostem clementiam. Nam cum eo adductus esset Magnus Dux, vt vndiq; tuis copijs circumuallatus, tot cladibus afflictus, rebusq; plane desperatis, virtuti tuæ resistere non posse perspiceret, & propterea de fuga cogitaret, triduumq; latuisset, & iam vxorem, filiorumque vxores cum magno mulierum cœtu ammandasset, cum Maiestatis tuæ benignitas in mentem venisset, de pace cogitare incæpit. Mouebatur ille cum multorum, qui mansuetudinem tuam erant experti, tum illustri Gasparis Becchesij Transiluaniæ Palatini exemplo, quod anno primo, quo tibi Poloniæ Regni corona delata est, cum singulari

gulari

gulari nominis tui gloria edidisti. quam enim is semper te oppugnare ab ipsa Adolescentia instituisset, & vitæ etiam tuæ sæpe esset insidiatus, accepimus. in primis, cum tibi aliquando in patriam reuertenti paucis comitato, in finibus, vt te interficeret, obuiam futurus esset, quo tempore tibi Dij mentem iniecerunt, vt a suscepto itinere declinares. Deinde cum tibi idem præsto factus est a IOANNIS REGIS *legatione redeunti suauissimis modis te in castellum suum in Transiluania allexit, vt te in suis ædibus in deorum hospitalium conspectu obtruncaret. Postremo cum post Regem fato functum, Princeps esset creandus, ad quem ille gradum spectabat, tibi cum clam, tum palam, atque aperte esset aduersatus. Accedit, quod, postquam Transiluaniæ Principatum fuisti adeptus, cum ferre non posset, collectis decem millibus Equitum, te pellere, atque extrudere ausus est. cuius conatum tribus tantum millibus, ipsis partim concisis, partim captis singulari virtute fregisti. nihilominus cum tibi Regi ad pedes se abiecisset, ceruicem laqueo circundatus, ueniam petens, atque orans vt suo se telo iugulares, ignouisti, obliuioneque perpetua tot atroces iniurias, (inauditam mansuetudinem) obtriuisti. Quis enim tam certum nocendi animum, tantam fe-*

ritatem animo tam æquo ferre potuisset? ignouisti, inquam, incolumemq; domum remisisti. An talis moderatio, pectus tam humanum, mens adeo mitis, ac placabilis vnquam inuenta sit, qui veterum monimenta quotidie voluunt, exempla, si possunt, proferant. Talem igitur nactus clementiam, non desperauit magnus Dux veniam: quam cum tribuisses, tibi Gregorium Pontificem id postulantem, ac deprecantem deuinxisti. Te demisisti REX OPTIME. *teque demittendo extulisti, dum victor te ipsum victorem ignoscendo superasti. placasti animum cum incredibili omnium Gentium lætitia. Res quidem ipsa cum tua summa dignitate gesta, ac tractata est, restituta tibi cum quatuor ac viginti arcibus Liuonia, nobilitate insigni, multis opibus ornatissima, portubus celeberrima, rebus omnibus florentissima. Derbato præterea tibi reddito; sed ea fuit tua benignitas, vt Magno Duci nonnullas arces, quas bello ceperas, concesseris. Hac in re* POTENTISSIME REX *plane declarasti, te non spectasse sanguinem, & vt omnia cædibus funestares, ac fœdares. argumento sunt Polocia, Velicolucum, Plescouia, quas non prius oppugnare instituisti, quàm hostem admonitiones tuas per legatos prope contemneret. Nunc* REX *sapientissime fortitudinis, & tot virtutum præclarissimarum laudi, cle-*

mentiæ,

mentiæ, & mansuetudinis gloriam addidisti. Dij boni, vt tibi illud, quod M. Tullius de Pompeio dixit, conuenire videtur. difficile esse dictu an hostes armati virtutem tuam pugnantes magis timuerint, an victi benignitatem magis adamarint. Da mihi hanc veniam, vt illud repetam, duplicem te nactum esse victoriam, cum te ipsum viceris. Nam sapiens dictum est, bis vincere, qui se vincit in victoria. Profecto totius antiquitatis memoriam, virtutemque prouocasti, afflictos populos erexisti, perditos cum liberis atque vxoribus recreasti, in vita retinuisti. Quare præteritam calamitatem deplorantes virtutis tuæ recordantur. Illud memorabile, quod tu non tropheis, sed gratulationibus, supplicationibusq; dijs immortalibus factis, sed templis D. Opt. Max. ingenti sumptu excitatis victoriam tuam ornari voluisti. Legent hæc posteri. Et simul cum de alijs virtutibus tuis, vt de Liberalitate, de Iustitia, de Religione audient, obstupescent. quafit, vt sicut ob animi fortitudinem nulli corporis vitio potes succumbere, aut a sapientiæ studio abalienari, ita ea Duce a recto declinare non potes, in humanis te æquum omnibus præbens, in diuinis pie omnia gubernans, Religioni ante omnia, (quod rerum omnium caput est) seruiens, vt qui hæc in te esse perspiciunt, beatum esse arbitrentur. Quid

enim aliud beate viuere putemus, quàm pie, ac iuste viuere? talis cum sis, perbeati & illi videri possunt, quibus Rex tam fortis, tam liberalis, iustusque obtigerit. De hac præstanti tua sapientia cum omnes Gentes prædicent, quas enim oras non peruasit tanta virtus, ac fama nominis tui? tum mihi proxime Roma proficiscens magna, & præclara in sermonibus, quos mecum habuit STANISLAVS RESCHIVS *vir Nobilißimus, ad dignitatem natus, in rebusq; agendis, vt mihi visus est, tum prudentia, atque eruditione ornatißimus, commemorauit. De quibus antea litteris VVolphangi Couacciocij magni Transiluaniæ Cancellarij mihi, pro sua humanitate coniunctißimi, cognoueram. Quem Ego Hominem tanti facio ob egregias eius virtutes, ob ingenij suauitatem, & in optimas artes studium, vt plurimum diligam, atque obseruem. Quare nil mirum si excitasti Hominum doctißimorum ingenia ad te, resq; tuas gestas celebrandas. vincet nomen tuum omnia secula. atque in omnium ore versabitur. Siquidem vera, ac solida gloria illa putanda est, quam tibi tot præclaris, magnisq; rebus gestis, ac tot periculis susceptis comparasti. Quæ non tantum optimorum hominum iudicio, verum multitudinis etiam ipsius assensu, communiq; omnium voce, ac testimonio compro-*

bantur.

bantur. hæc tibi fortißime, ac potentißime Rex gloria in primis debetur. quæ præcipua laborum, ac periculorum merces est. pro qua fortißimis, ac maximi animi viris debet esse contentio. nec sane quicquam a dijs maius tribui potest ijs, qui pietatem, ac Iustitiam coluerunt, qui Ciuitates, qui populos, Nationesq; optime, ac sapientißime gubernarunt. quod tu omnium consensu, ac studio felicißime es consecutus. Equidem, siquid ingenio, atque industria assequi potero, nullum tempus de præclarißimis tuis istis ornamentis cogitandi dimittam. Nec mihi vlla res tanti fuerit, quam id agere, vt Maiestas tua me in hoc præcipue laborasse intelligat. Sed ad meum laborem longo interuallo redeo. Cum in præsentia nihil habeam, quo meum animum Maiestati tuæ declarare pro meritis tuis poßim, non sum veritus meos istos Commentarios, quos in Horatium poetarum elegantißimum conscripsi, tibi dicare. Nec me fallit, pro ea persona, quam sustines, tam leuia, & a Regis studijs tam aliena minime conuenire. Quare verecunde, ac timide eos tibi affero tibi inquam, hoc est, Regi Gloriosißimo, ac Maximo, cui cum bellorum, tum præclarißimarum rerum gerendarum occupationibus implicato, tot nationes, tot Gentes, tot Regna gubernanda, ac quibusdam quasi sapientiæ, ac fortitu-

dinis

dinis habenis moderanda Dij immortales tradiderunt. Fieri tamen posset, si maiestati tuæ liceret, aut vacaret aliqua ex ijs audire, vt non frustra susceptum laborem hunc fuisse statueres. Ibi enim via feliciter poetico more scribendi aperitur, latißimi campi ad imitationem patent: quam rationem minus cognitam, atque perspectam esse quamplurimis, & ijs præsertim, qui se iactant ac venditant, & versus præclare scribere profitentur, docti intelligunt. Omne ferè artificium quo poeta vsus est in suis lyricis scribendis, vnde tantum laudis est consecutus, quodq; ante omnia in excellentißimis scriptoribus quærendum, inuestigandumq; est, ostenditur. Omitto locos ex quibus hæc omnia ducuntur patefactos. quibus ignoratis, non est quod quisquam ex suis versibus laudem quærat. absit tamen vt dicere audeam hæc nemini fuisse comprehensa, & cognita. vt liberius tamen loquar, aut paucißimos extitisse, aut nondum alijs monstrare voluisse, affirmare possum. Hos igitur Rex felicißime, pro tua inaudita humanitate tanquam in adoptionem tuam, meq; ipsum in clientelam, fidemq; tuam libenter recipias rogo. putesq; nihil mihi in hac mea iam exacta ætate aut maius, aut optabilius euenire posse, quam, si Maiestati tuæ, quæ tantopere ingenia, atque optimas artes fouet,

meus

meus iste labor, vel non ingratus, vel non omnino contemnendus videbitur. Interim a Dijs immortalibus peto REX POTENTISSIME, AC CLEMENTISSIME, *vt Te fortuna prospera, ventisq; secundissimis vtentem, florentissimum, semperq; victorem, & rerum omnium maximarum, gloriosissimarumq; compotem esse perpetuo velint.*

FRANCISCI MELCHIORII OPITERGINI IN BERNARDINI PARTHENII COMMENTARIOS IN HOR.

QVALIS cum plaudens alis sub lumine Solis
Maturum Arabios auum excutit inter odores,
Mox formosa nouis, varijsq; interlita pennis
Se tollit Phœnix, cæliq; elapsa sub auras
Panchæas latè Syluas, montesq; pererrat
Exuuijs spoliata, decusq; induta iuuentæ
Purpureæ, croceis gaudet sub nubibus alis,
Te talem Musæ renouatum Flacce, nitorem
Dum reuocans, senium, & rugas deponis aniles,
Mirantur vatesq; ipsi, tua lumine postquam
Reddita Partheniј facies tibi pulchrior, vt iam
Cernere nunc liceat ueros, & noscere vultus.
Te septem colles nunc primum, & Romula tellus
Agnoscunt nitido detractis corpore laruis.
Præcipue agnoscet diues Polonia regnis,

Clara

Clara viris, clara ingenijs, & Marte superba.
Illic Magnanimus te REX*, quem Moschica latè*
Terra tremit, cui regna alio sub sole resurgunt,
Excipiet, sacra quem Maiestate verendum
In placida arridens mitis Clementia fronte
Ad superos uehit. Augustum hic mirabere lapsum
Cælo iterum, atque nouum sydus splendescere terris.
Tu vero nostris nunc tandem redditus auris
Pulchrior, Elysijs sublatus ad æthera, REGIS,
Quo maius nihil, aut melius fateare potentis
Implicitus genibus, pronus dabis oscula plantis.

*** MEL-

Dulcibus arguta resonant concentibus aura
Dum canit Euterpe gelida vocalis in umbra,
Prima nitet Flacco Romani gloria plectri,
Gloria, qua toto vates extollitur orbe,
Altera Parthenio fulget, non altera prima
Laude minor. Cedant aliorum candida scripta,
Et quacunque modis pralucent edita sacris
Lumina. Quid docto tandem non profluit ore?

Si reuocare gradum vitales posset in auras
Et legere emuncti carmina Parthenij
Praferret vatem sibi Flaccus, & hac bona semper
Diceret in numeros scripta legenda suos.

Εἰς τὸν πανυνυχῆ, καὶ πάσης ἀρετῆς δόκιμον ἄνδρα
Παρθένιον Ιαννος ὁ Κλαύδιος, ὁ Κρὴς
Διδάσκαλος, καὶ ἱππεύς.

Ἔργεο καλλιόπη θυγάτηρ διὸς ὑψικεραύνου
Καθεύδοντι λέγει μόι, τόδ' ἄκουσον ἔπος.
Ἐννεπειδὴ πᾶσιν μουσῶν χορὸς ὡς συναθρισθεὶς
Παρθενίῳ λογίῳ τοὺς στεφανοὺς κομίσει.
Οὐκ ὀλίγης δόξης πληρώσει σῶμα τὸ αὐτοῦ
Κῦδος γὰρ πατρίδος, καὶ τέμενος χαρίτων.

NOBILISSIMIS, ATQVE ILLVSTRIBVS ACADEMICIS OLYMPICIS VICENTINIS.

CVM edendi eſſent Commentarij, quos ſuperiori tempore ſcripſi in Horatium Flaccũ poetarum elegãtiſſimum, malui vobiſcum Academici Nobiliſſimi conſilia mea communicare, quam cum cæteris. Quod iudicium veſtrũ plurimi ſemper feci. Non enim me latet id, quod per omnes oras Italiæ honeſtiſſimis hominum doctiſſimorum ſermonibus de vobis increbuit, florere Academiam veſtram excellentiſſimus ingenijs; omnes præclaras artes, ac diſciplinas, quæ litteris continentur, in ſummo honore, ac precio apud vos eſſe, ſummoq; ſtudio celebrari. quas quidem ſemper veſtra ciuitas Nobiliſſima, quam ego, vel hoc nomine, vel ob eius in me merita, ſingulari obſeruatione multos iam annos ſum proſecutus, adamauit, ac coluit. neq; ea quicquam tanti fecit, quam vt optimarum artium ſtudijs, ac nobiliſſimis virtutibus illuſtraretur. Ad cuius vrbis laudem, ac ſplendorem veſtra Academia acceſſit. quæ multis ante annis magnis auſpicijs inchoata, in hunc diem floret, & quotidie, non modo Acade-

micorum nobilitate, ac frequentia, verum præclaris institutis augetur. Hanc vos cum non satis habueritis ijs omnibus, quæ ad omnem humanitatem, liberalemq; doctrinam pertinent, ornasse, pulcherrimis illam etiam, atque magnificentissimis substructionibus, ac visendo Theatro adornastis. Quo sumptu Vicentinorum Magnificentia, atque animorum altitudo, ad quam & facti, & nati estis, nemini aut obscura, aut ignota esse potest. Cum igitur in lucem proferendi essent ij Commentarij, placuit mihi vobis affirmare inter poetas Latinos Horatium, non ex multorum opinionibus (quis enim aliter sentiat?) sed ratione, atque certo iudicio mihi semper mirificum visum fuisse. Nec me fallit, plerosq; in huius poetæ admirationem traductos eius virtutibus non planè perspectis, aliorum tantum iudicium secutos, vnde id factum esset ignorasse. quod vulgus facere solet, vt id, quod prudentioribus videtur, rudes ipsi facile probent. Quod ego animaduertens, vt certius iudicare de hoc poeta, ac de alijs discerent, tentare volui, possemne ea studiosis aperire, quæ diuturno studio, atque assidua huius poetæ lectione obseruare potui. præclara enim sunt, quæ in hoc poeta notari possunt. ad quæ, siquis penetrarit, tum de ipsius præstantia rectius, tutiusq; iudicabit, talemq; hunc reperiet, vt, sicut ille de Pindaro cecinit, ita de eodem vere dici posse arbitretur. profectò omnem sui imitandi spem ademit. quotus enim quisque est, quamuis in aliquo alio ge-

nere

Sed grata Phœbo, & Pieridum choris
Testudo, eburni pectinis arbitra,
Densis sub vmbris, quæ puellam
Æoliam fidibus lacessis,
Paulum relictis aurea nęnijs
Mecum superbum Vicetiæ Genus
Attolle cælo maximorum haud
Degenerem sobolem virorum.
Mecum beati dic positum loci,
Cælumq; ridens usque, & amabile
Spirantis auræ, mollibusq; è
Verticibus referens odorem.
Valles nitentes purpureis rosis,
Lymphasq; sacras Naiadum choris,
Immurmurantes dum loquaci
E scatebris trepidant susurro.
Dicamus, aurisq; aucta tepentibus
Læta arua dulci munere liberi
Lateq; flauentes aristas,
Spem quæ auidi superant coloni.
Quis ducta cælo marmora publica,
Vastasq; moles prætereat libens?
Vel strata passim quis viarum, aut
Templa nouo decorata sumptu?
Quid iura, leges, quis titulos Patrum,
Cultum aut deorum dissimulet? quibus
Munita stat vrbs, hospitalem
Quam populi celebrant frequentes.

Adde

Adde & ferocis pectoris igneum
Robur iuuentæ, quam litui iuuant,
Et fulgor armorum, & minaces
Exagitare equitum cateruas.
Te optat Latinæ Musa potens lyræ
Cælo beatam tollere, & vrbibus
Præferre cunctis, imminens quas
Phœbus adit trepidante curru.
Quare, refulgens seu celer aureo
Surgit cubili, seu medium terit
Suspensus axem, siue pronus
Hesperijs properat colonis,
Quacunque terræ, quaq; patent maris
Late frementis cęrula, te canunt
Nostræ Camœnæ. te volucres
Per liquidas comitantur auras.
Salue superbis clarum Atauis Genus,
Salue vrbs, redundans copia quam beat
Cornu benignam, cui potentes
Fundit opes generosa tellus.
Pax te alma, te concordia ciuium
Ornet. reposta Iuppiter Ægide
Te visat. expertem pericli
Grande soli decus Italorum.
Et qui liquenti interluit agmine
Rura, amnis ingens, protinus aureus
Irroret herbas, moxq; in æquor
Approperet rutilis arenis.

Q. HO-

Q. HORATII FLACCI VITA EX LILIO GREGORIO GYRALDO.

QVINTVS Horatius Flaccus Venusij humili loco natus est, patre præcone Libertinæ conditionis, Torquato & Cotta Coss. biennio ante M. Tullium Consulem. puer a patre Romam ductus, ut bonis artibus imbueretur. ubi cum Orbilio tum celebri grammatico operam daret, breui adeo profecit, ut ad philosophiæ studia idoneus uideretur. quare Athenas profectus, Epicuream sectam in primis sectatus est, tametsi mox senior factus, Academiæ se tradidit. Quo vero tempore Epistolas ad Mæcenatem scribere adorsus est, se nulli addictum, nec ullius iurasse in uerba magistri ipse fassus est. sed hæc ex ipso notiora, quam ut ea nunc uobis recenseam. Iuuenis autem cum bella ciuilia inter Augustum & Cæsaris interfectores feruerent, Bruti & Cassij partibus adhæsit, tribunusq; militum creatus, in ijs usque ad Philippensem cladem perseuerauit. post Brutianis rebus fractis, iterum se ad poeticæ studia retulit, Virgilioq;, & Varro, reliquisq; illustribus tum poetis, ita gratus, ut ab ijs Mæcenati equiti clarissimo, & poetarum, bonorumq; fautori, quamprimum conciliaretur. Post hæc Mæcenas hominis ingenio delectatus, ab Augusto non modo ut illi parceret, impetrauit, sed in ipsius etiam amicitiam insinuauit. Erat Horatius statura pusillus, oculis lippis, canus ante diem, cibi parcissimus, uini tamen appetentior. quidam, & præpingui eum, & obeso corpore fuisse tradunt, & ad bilem paulo incitatiorem, placabilem tamen. Vixit, si Hieronymo stamus, annos. lvij. alij licet lxx. & amplius prodiderint. quo vero mortis genere decesserit, haud satis mihi compertum. Carminum libros quatuor composuit, in quibus, quo uersuum genere usus, quos primus inuexerit, apud Diomedem grammaticum, & Maurum honoratum, & plerosq; alios poeticæ scriptores reperietis. De quatuor his libris carminum, illud est Quinctiliani iudicium, Lyricorum Horatius fere solus legi dignus, nam & insurgit aliquando, & plenus est iucunditatis, & gratiæ, & uarijs uerbis, & figuris felicissime audax. hæc ille utique. scripsit præterea Epodon in eodem genere lyricorum, & carmen sæculare, & præter hæc Sermonum libros duos, & Epistolarum totidem, quos omnes grata quadam beneficiorum significatione Mæcenati inscripsit. præter hos scripsit & poeticam, quam sermonibus aliqui, uel Epistolis potius ipse coniungit. Nam si integre de tota ea facultate perscribere uoluisset, aliam omnino lucubrationem fuisset aggressus, hoc est, locupletiorem. nec propterea nunc demum noster

Hieronymus

Hieronymus Vida eam molitus esset. Poeticam inquam suam Horatius L. Pisoni, & filijs inscriptam misit. Fuit autem L. Piso, si Porphyrioni statis poeta, & studiorum liberalium antistes, ac urbis custos, sectamq; Epicuream, ut Horatius sectatus. Amauit hic Piso in primis Philotimum poetam græcum, & ipsum Epicureum, de quo suo loco agemus, in hunc Lucium Pisonem extat M. Tullij Oratio, quæ, & si parum emendata, & sine capite esse uidetur, mirum tamen dictu est, quam acriter eum, & quibus uerborum, & sententiarum aculeis insectetur. Impurum enim & flagitiosum hominem, omniq; coopertum, nedum inquinatum, scelere fuisse ostendit. & paulo post. Habetis quod in eo recte sequamini, puritatem, simplicitatem linguæ latinæ, præter alias uirtutes, quibus ille insignitus est, Multum hic certe uobis contulerit, si eum legendo contriueritis.

INDEX RERVM, ET VERBORVM.

A

B

C

**** Cha-

Sacrare,

FINIS.

Q. HORATII FLACCI CARMINVM

LIBER PRIMVS.

AD MAECENATEM,

Alios alijs rebus duci, se lyricorum versuum studio teneri. Ode I.

MAECENAS *Atauis edite regibus,*
O & præsidium, & dulce decus meum:
Sunt quos curriculo puluerem Olympicum
Collegisse iuuat: metaque feruidis
Euitata rotis, palmaque nobilis
[illegible]rum dominos euehit ad Deos.
[illegible] mobilium turba Quiritium
[illegible] tergeminis tollere honoribus:
Illum, si proprio condidit horreo
Quicquid de Libycis uerritur areis,
Gaudentem patrios findere sarculo
Agros: Attalicis conditionibus
Nunquam dimoueas, ut trabe Cypria
Myrtoum pauidus nauta secet mare.
Luctantem Icarijs fluctibus Africum
Mercator metuens, ocium, & oppidi
Laudat rura sui: mox reficit rateis
Quassas, indocilis pauperiem pati:
Est qui nec ueteris pocula Massici,
Nec partem solido demere de die
Spernit, nunc uiridi membra sub arbuto
Stratus, nunc ad aquæ lene caput sacræ.
Multos castra iuuant, & lituo tubæ
Permistus sonitus, bellaque matribus
Detestata. manet sub Ioue frigido
Venator, teneræ coniugis immemor:

Seu uisa est catulis cerua fidelibus,
Seu rupit teretes Marsus aper plagas.
Me doctarum ederæ præmia frontium
Dijs miscent superis: me gelidum nemus,
Nympharumque leues cum Satyris chori,
Secernunt populo, si neque tibias
Euterpe cohibet, nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbiton.
Quòd si me Lyricis uatibus inseres,
Sublimi feriam sidera uertice.

COMMENTARII.

MAECENAS varia esse hominũ ingenia, varijsq; studijs eos delectari ostẽdit hęc sententia à multis celebrata est. quã Homerus lib. xiiij. Odyss. cõfirmat. ἄλλος γὰρ τ' ἄλλοισιν ἐπιτέρπεται ἔργοις. idest, alius alijs rebus delectatur. & vetustissimus poeta Archestratus. χαίρει γὰρ ὁ μὲν τούτοις, ὁ δὲ ἐκείνοις .i. hic istis, hic verò illis gaudet, sic Pindarus viij. Olymp. Τερπνὸν δ' ἐν ἀνθρώποις ἴσον ἔσεται οὐδέν. & Virg. *trahit sua quemq; uoluptas.* Sed hîc licet videre, vt varias, & sibi prorsus dissentientes sententias poetæ (quod etiam Oratores faciunt) tractent. in prima Satyra primi libri, neminem suo studio contentum esse affirmat. idq; vnde eueniat sic quærit.

Quid fit Mæcenas, ut nemo, quam sibi sortem
Seu ratio dederit, seu fors obiecerit, illa
Contentus uiuat? laudet diuersa sequentes?
O fortunati mercatores grauis annis
Miles ait, multo iam fractus membra labore.
Contra Mercator, nauim iactantibus austris,
Militia est potior &c. Hoc non fuit nude, simpliciterq; efferendũ. Ideo ad speciosam quandam rationem se conuertit. Nam inductione vsus, siue enumerationẽ mauis appellare, multis assumptis, qui variis rebus ducuntur, præclare suum opus concinnauit, vt se etiam suo studio, nempe poetica delectari indicaret. hanc studiorum varietatem lib. iij. poeta sic iterum expresit.

Est, ut uiro uir latius ordinet
Arbusta sulcis, hic generosior
Descendat in campum petitor,
Moribus hic, meliorq; fama
Contendat, illi turba clientium

Sit maior. quam sententiam prius à Virgilio tractatam lib.ij. Georg. sumpsisse videri potest Hor.

Sollicitant alij remis freta cæca, ruuntq;
In ferrum, penetrant aulas, & limina regum.
Hic petit excidijs urbem, miserosq; penates,
Vt gemma bibat, & Sarrano dormiat ostro.
Condit opes alius, defossoq; incubat auro.
Hic stupet attonitus rostris, hunc plausus hiantem
Per cuneos (geminatur enim) plebisq;, patrumq;
Corripuit: gaudent perfusi sanguine fratrum,
Exilioq; domos, & dulcia limina mutant:
Atque alio patriam quærunt sub sole iacentem:
Agricola incuruo terram dimouit aratro, Singula singulis si conferant studiosi, idem varie tractatum intelligent. obseruandæ sunt imitationes poetarum inter se. has ego ex græcis, atque latinis, quoad eius fieri poterit, non prætermittam.

O & præsidium, sic poetæ patronos suos appellant. vt Od.xvii.lib.secundi, Mearum grande decus, columenq; rerum. & Virg.

O decus, ò famæ merito pars maxima nostræ Mæcenas. his duobus versiculis pro prohœmio vsus est. quibus se Mæcenati conciliauit.

Sunt quos curriculo, de currulibus certaminibus nemini cognitũ non est ex Pindaro. pro curriculo autẽ hîc non spaciũ, sed currum ipsum intelligemus.

Puluerem Olympicum, quamuis multa apud uarios auctores de Olympiis mentio sit, nusquam tamen luculentius, quàm apud Strabonem lib.viii. Geograph. scriptum reperies. quod autem colligere puluerem dixit, id græcis est κονίζειν. quamuis de Atletis etiam dici solitum sit.

Palmaq; nobilis, quãta gloria esset Olympionicarum, Pindarus passim testis est. Id ex eo perspici potest, quod Olympiorum victores non portis, sed mœnibus fractis introducebantur, quod cur fieret declarat Politianus in Miscellaneis cap.xcix. Ex Plutarchi Sympesiacon libro ij. ea de causa id fastitatum, vt ostenderent, muris non magnopere opus esse Ciuitati, quæ tales haberet viros, qui pugnare, & vincere possent. De hac palma alibi poeta.

Siue quos Elia domum reducit
Palma cælestes, pugilemve, equumve
Ducit, & centum potiore signis
Munere donat. quare recte sequitur. Terrarũ dominos euehit ad Deos.

Palmam istam sic circumscribit Pind. ὑψιλᾶν ἀρετᾶν, καὶ στεφάνων ἄωτον γλυκύν. ἐν τῶν ὀλυμπίᾳ. hoc est. altissimarum virtutum, & coronarum florem suauem in Olympia.

Metaq; feruidis, huius agilitatis mos præclare à Virgilio describitur in certamine illo nautico, cum inquit.

Hic uiridem Aeneas frondenti ex ilice metam
Conſtituit, ſignum nautis pater, unde reuerti
Scirent, & longos ubi circumflectere curſus.

Mobilium turba Quiritium, nihil attinet pluribus philoſophari circa hanc vocem, Mobilium, in quo laborauit Lambinus, cum Herodianus lib. viij. vbi de morte Maximini narrat, ſic ſcribat de populi Ro. leuitate. Καὶ πάντες μὲν γὰρ ὄχλοι κοῦφοι πρὸς τὰ καινοτομούμενα. ὁ δὲ ῥωμαίων δῆμος ἐν πλήθει μεγίστῳ, καὶ ποικίλῳ συγκλύτων τε ἀνθρώπων πολὺ, καὶ ῥᾴδιον ἔχει τὰ τῆς γνώμης εὐκίνητον. quod ita conuertit Politianus. Nam & ſi vbicunque vulgus ſemper ad res nouas leuiſſimum, tamen Romana plebs in primis, quæ ex magna, variaq; etiam peregrinorum multitudine conſtat, longe cæteris mobilior eſt.

Tollere honoribus, ſic Virg. *Daphnin tollemus ad aſtra*. & tollere ſe humo, tolli ad ſidera. tergeminis, vocem Lambinus pluribus expoſuit.

Condidit borreo, condere eſt reponere. Virg. *nondum illis labra admoui, ſed condita ſeruo*. condere triticum, Cicero, & Varro dixerunt. horreum autem eſt frugum, vini, & omnium mercium, precioſarum etiam rerum repoſitorium. ſic dixit Od. xvj. lib. iij. *Occultare meis dicerer horreis*,

Quicquid de Libycis, Africam fertiliſsimam eſſe alibi etiam declarat poeta. *Fulgentem Imperio fertilis Africæ*. Pind. Καρποφόρον λιβύαν appellat. per libycas autem areas omnes reliquas oras fœcundas intelligit, ſpecie vſus loco generis. quam figuram valde amauit Horatius. In qua illud videndum, vt ſpecies maxime inſignes eligamus. Sic paulo inferius trabem cypriam, myrtoum mare, africum pro ventis omnibus, pocula maſsici, marſum aprum notabimus. Virg. hoc genus ſæpiſsime adhibuit. vt

Partho torquere Cydonia cornu ſpicula, &

Nec ſi frigoribus medijs Hebrumq; bibamus, ita *Scythonias niues, Chaoniam glandem, pocula Acheloia*, & ſexcenta huiuſmodi dixit, quæ incredibiliter ornant.

Luctantem, pulchra translatio. Sic Virg. *Luctantes uentos, luctantem nauem in Scopulo, aquilam luctantem roſtro adunco, & luctantes cornibus hedos dixit*.

Nec partem ſolido, Sic lib. ij. Od. vij. *Cum quo morantem ſæpe diem mero fregi, Super* hoc lege Lambinum. aliud genus hominum tractat.

Ad aquæ lene caput, aquam ſacram appellat, propterea quod aquas diuinitatem habere putauerunt. Hinc Seneca. magnorum fluminum capita veneramur, coluntur aquarum calentium fontes, & ſtagna, quæ uel opacitas, uel immenſa altitudo ſacrauit. Quamobrem poetæ ſacros fontes appellantes, omnibus fluuijs Deos tribuerunt: præcipue uero perennibus amnibus diuinitatem ineſſe uoluerunt.

Catulis fidelibus, canum fidem in dominos cum fabulæ, tum hiſtoriæ celebrant, & multa exempla confirmant.

Me gelidum nemus, ostendit se poetica delectari, quæ in solitudine perficitur. ea quidem nihil optabilius ijs, qui in contemplatione, & ocio litterario se penitus abdidere. ij. n. vt scribit Cicero, tranquillitatem expetentes, à negotijs publicis se remouent, ad ociumq; profugiunt. in quibus nobilissimi philosophi, longeq; principes, & quidam homines seueri, & graues, cum nec populi, nec principum mores ferre potuissent, ad hanc uitam confugerunt. in quorum numero se esse profitetur poeta, qui se à multitudine vult abducere, ac solitudini huic suauissimæ sese dedere. quę proculdubio ijs commodissima est, qui altius cogitare sibi proposuerunt, existimantes urbium tumultus non mediocre impedimentum afferre, quamobrem sic in Epist.

Præter cætera me Romæ ne poemata censes

Scribere posse inter tot curas, totq; labores, & in ijsdem.

Tu me inter strepitus nocturnos, atque diurnos

Vis canere, & contracta sequi uestigia uatum? poetis sane nihil tantæ curæ est, quam se è ciuitatibus in loca remotiora conferre. quare iure Virg.

Rura mihi, & rigui placeant in uallibus amnes,

Flumina amem, syluasq; inglorius &c. hactenus rudioribus inseruiuimus. Deinceps cum doctioribus agemus. quod institutum ita sequemur, ut initio illis satisfaciamus, aliorum interpretum morem non repudiantes, mox, siquid erit, quod diligentius sit inuestigandum, pro uiribus, quas mihi pertenues esse non ignoro, ijs etiam qui in litteris paulo altius prouecti sunt, pro occasione, & carminum necessitate obsequemur. Quare quo pacto sententiam, remq; nudam conuestierit poeta uideamus. Primum consideremus, quidquid nobis primo sese offert, rude, nudumq; offerri. Cuiusmodi fuit hæc Horatij sententia. Omnes suum studium sequi, se poetices amore teneri. in qua nihil præclari. unusquisque talia proferre potest. Quare existimandum est excellentem aliquam rationem secutum poetam hanc sententiam, tam eleganter tractasse. Hanc ego esse existimo, quæ in tribus posita est. In locis, topicos intelligo, in assumptionibus, & figuris. de quibus nos in libris de Imitatione poet. quibus adiumentis uel extendi, uel ornari omnes sententiæ possunt. quibus si spoliatæ fuerint, statim exploduntur. ex his totum hoc carmen confectum est. Initio uolens poeta ostendere omnes suo quodam studio duci, idq; quam elegantissime facere, in primisq; cogitaret uocem illam, OMNES, siccam, nudam, atque omni uirtute, & gratia carere, statimq; sententiam absolui, ad species illius uocis confugit, quæ reliquos homines, siue tanquã species, siue tanquam partes complectitur. Cumq; multas hominum species seligere potuisset, pulchre se ad nonnullas nobiliores recepit, ut ad Olympionicas, Agricolas, & reliquas, quæ quamuis simpliciter, & nudæ positæ, plusculum elucerent, quam si sola uox illa uniuersalis posita esset, illum tamen splẽdorem, quem quærebat non habuissent. ad quem accersendum unicuiq; speciei quędam uniuscuiusque propria adiunxit, quæ mirifice totam sententiam ornarunt,

ornarunt, atque illustriorem reddiderunt. Olympionicis quidem ea, quæ in curruli illo certamine contingunt, & cõsequuntur, tribuit. nempe puluerem Olympicum colligi,& metam rotis euitari. quæ adiuncta ornatissimam orationem conficiunt. Sic.

Sunt quos curriculo puluerem Olympicum
Collegisse iuuat, metaque feruidis
Euitata rotis. Vide quantum discrepet hæc cõpositio à nuda illa sententia, quæ erat, aliqui delectantur curruli certamine. Siquis uero quærat unde ducta sit forma illa, puluerem collegisse curriculo, ex loco adiunctorum ductam intelligat. qui cum Oratori utilissimus sit in coniecturis, poetis amplissimã in dicendi formis eruendis copiam subministrat. in quo quidem loco tria tẽpora spectantur, præteritum, instans, cum quo coniuncta res est, & quod rem sequitur. De quo loco plura leges secundo libro de imitatione, quem plurimis exemplis patefecimus. illinc plura sumes. in hac locutione formanda, poeta instans tempus respexit. nam eodem ipso tempore, quo currus agitatur, puluis colligitur. nec aliter fieri potest, nisi aliquis fortasse fingat per uiã aut marmore, aut metallo stratum currum rapi. ex hoc loco mirificas formas duxit Catullus, vt

Immemor ut iuuenis fugiens pellit uada remis, &
Quæ simul ac rostro uentosum proscidit æquor,
Tortaque remigio spumis incanuit unda, &
Qui refugit, lentos incuruans gurgite remos. sane dum remis nauis propellitur, necessarió aqua retruditur, remiq; ipsi incuruantur, procedente uero naui mare finditur, quare spumæ pulsæ remorum impetu coniunctim consequuntur. Idem Virg. uiderat, ut constat ex ijs locis,

Tum ualidis flexos incuruant uiribus arcus, &
Primaque per cælum neruo stridente sagitta
Hirtacidæ iuuenis uolucres diuerberat auras, &
Illa leuem fugiens raptim secat æthera pennis. &
Nec te pœniteat calamo triuisse labellum, vel
Bina die siccant ouis ubera. quæ omnia sunt ex genere necessariorũ. nam arcus dum tenditur, inflectitur, sagitta emissa aerem ferit, auis eundem uolando findit. tibia inflando labra notat, & ubera sugendo siccantur. talia nos passim aperiemus. Agros uero findere sarculo eandem habet necessitatem. nam dum tellus aratur finditur, quod Virgilius etiam spectauit, cum ita in ijs locis fecit.

Quo sidere terram uertere, &
Infindunt pariter sulcos. &
Et qui pro scisso qui suscitat equore terga. &
Validis terrã proscinde, iuuẽcis, quæ a Lucretio sumpsit Virg. ille enim sic. Vitai causa ualido consueta bidenti ingemere, & terram pressis proscindere aratris.

aratris. Idem proscindere solum terræ etiam dixerat. Siquis uero illud consideret, si proprio condidit horreo, huic poterit uenire in mentem locus a finibus, unde ductus est modus. Vt enim eius rei gratia agricolæ terram arant, ut postea fruges in horreis condant. finem autem scimus esse cuius causa aliquid suscipimus. attende præterea quibus figuris, quibusq; locis usus expressit, atque ornauit hanc etiam breuem sententiam, scilicet, ut agricola nauiget. In primis assumptione idest consecutus, προόληψιν uocat Hermog. cuius uariæ sunt species. hanc asciuit Poeta, ea est generis, & speciei, cuius uis ea est, ut uel breuitatem, uel dilatationem adiuuet. si breuitati studemus, pro specie genus, cum fusius aliquid dilatandum, pro genere species assumimus. locus latißime patet, & maxima adiumenta poetis, atque oratoribus etiam affert. In hoc uidemus multas species loco generum assumptas; cum mare myrtoum, fluctus Icarios, trabem Cypriam pro omnibus æquoribus, & pro cuiusuis loci nauibus positas adiuncta Hypallage figura, trabem enim pro naui posuit, pro forma materia sumpta, addito præterea adiuncto necessario, quod est secare mare, quod certe secatur, & diuiditur currente naui. quo modo prius Virg. vsus fuerat, ibi,

Fluctusq; atros Aquilone secabat. &

Secat ultima Pistris. de quo genere paulo ante. Accedit illustris metaphora Africi luctantis fluctibus Icarijs.

Est, qui nec ueteris pocula, tractat aliud hominum genus, in quo non recedit ab his, quæ huic personæ accidunt, in hoc enim totos dies uoluptuarij sunt, ut usque ad Vesperum potationibus indulgeant. &, strati sub umbris, ad fontium caput se oblectent bibendo. Omitto aliam speciem pro genere. Maßicum enim pro omni uino nobili positum est. Militis uero ac Venatoris studium, ac uoluptas quomodo potuit elegantius circunscribi? hîc notabimus quomodo cum Cicerone consentiat poetæ locus de venatorũ patientia Tusc. secunda. pernoctant, inquit, Venatores in niue, in montibus uri se patiuntur. poetarum uero delectationem magis poetice quis ornare potuisset? nihil aptius potuit excogitari quam coronę ex edera, quàm in syluis cum nymphis, & satyris uersari. Hæc in poetis considerare, ni fallor, non inutilia ad hoc genus scriptorum recte intelligendum. quod tum sane assequimur, cum eorum artificium cognoscimus, sed colligamus locos, ac figuras illustriores, colligere puluerem curriculo, findere agros sarculo, secare mare, quæ ex locis sunt ducta, Marsus aper, Myrtoum mare, trabe Cypria, aræ Lybicæ, Africus pro omnibus uentis. Maßicum pro omni uino excellenti. Ederæ pro coronis ex edera. Figuræ uerborum sunt, Euehere ad Deos: ferire Sidera, Hyperolæ. Metaphoræ uero præsidium, luctari, tollere honoribus, misceri superis, inserere uatibus, tendere barbiton: fabulosæ locutiones sunt, Me gelidum nemus, nympharumq; chori cum satyris &c. Euterpe cohibet tibias, polyhymnia refugit tendere barbiton. Sic loquuntur poetæ, qui non

ea, quæ

ea,quæ homines laudent solum,sed quæ admirentur persequuntur, quod alia ratione nunquam assequi potuissent: sed hâc aliquis posset refellere Lodouici Casteluitrei iudicium existimantis poetæ locutionem ab Oratoris hoc tantum differre, quod poeta uersibus utitur, quasi uersibus scribere sit poetice scribere, fallitur. non enim in syllabis,aut in pedibus est hæc laus. Sed in figuris,in locis,atque in alijs,ex quibus oritur admiratio, ad quam scribũt poetæ. ea,quæ sic scribuntur,si dissoluuntur, nihil a soluta oratione discrepant. quare, ut sensit Horatius, satius est dormire, quam tales uersus scribere. Sed est quod moleste feram necessitatẽ mihi impositam,ut a Iulio Scaligero uiro excellentis eruditionis dissentiam. Is enim nescio an eruditione,an ingenio fretus,infinita prope uitia, ut sibi uisum est, poetæ nostro obiecit in eo libro,qui Hypercriticus inscribitur. cui inuitissime, per Deos immortales respondere coactus sum, ne essent,qui me accusarent,quod poetam,quem tantifacerem, plurimumq; admirarer, quemq; scriptis meis illustrare aggressus essem,a culpa non uindicarem,atque maculas, ut cumq; possem, non delerẽ. In eo libro hæc legimus. Principio nos offendit idem argumentum tot locis tractatum. nam,ut omittam, quæ in Satyris, atque in Epistolis ad hanc eandem rationem tractantur, uide nihil differre materiam primæ cantionis primi,& primæ tertij, eædem sententiæ decimæ, & sextedecimæ secundi. multis quoque aliis in locis aut eadem,aut similia repetuntur. Hæc ille, ex iis uidetur uitium uel maximum esse existimare, si sępe eadem sententia tractetur. Ego uero contra id mihi semper persuasi, non modo nullum ut nefas putarẽ sæpe id agere,modo diuersa ratione fiat, sed summam etiam laudem arbitrarer. Non enim: Quintiliano auctore tam inops est eloquentia, ut de una re, non nisi semel; bene dici possit. nam sæpe fit, ut idem tractandum sit iterũ, quod si dissimili tractatione fuerit factum, non protinus reiiciendum putarim,cum in eo potissimum commendetur eloquentia,quòd idem multis modis possit transformare. qui id præstare potest, eloquentem ne, an ineptum putabimus? non ne copia, atque fœcunditas oratorem, poetamq; commendat? Si illam sequamur sententiam, inepte Homerus, inepte Virgilius fecisse putandi sunt,qui toties easdem sententias tractarunt. Quid crebrius uspiam inculcari,ac repeti posse putemus, quam apud summos poetas pugnas, oppidorum oppugnationes,cædes,fractus uires copiarum,fugas,irruptiones? quã maris ac terræ tempestates,dierum,noctium, locorum, temporumq; descriptiones? libenter omitto Ciceronem, quem nemo nescit sexcenties idem argumentum tractasse. de poetis sermo est, res perspicua est, nemo dubitat. Huius odes sententiam,ac primæ tertij,eandem esse,stomachatur uir doctus, at quomodo tractatæ fuissent, erat uidendum. in præsenti quidem carmine uaria mortalium studia esse declaraturus, Olympionicas, agricolas, mercatores,uenatoresq; selegit ex omnibus reliquorum hominum artificiis. in illa altera agricolam quidem, sed diuersa ratione assumit. hic fusius, illic arctius,

quod

quod enim pluribus hic fuerat complexus, illic paucioribus, alioq; agricolationis officio excogitato: quæ in una assumpserat, in altera mutat, alijs inuentis. Nam ambitiosum Ciuem, & magistratus petentem inducit, qua mutatione res prorsus diuersa esse uidetur: fitq; ut cum eadem sit sententia, tractatione, atque aliarum rerum assumptionibus diuersa esse appareat. Decima, ac Sextadecima secundi ita similes sunt, ut nihil in illa similitudine dissimilius. Quod uero subiungit, malim legere *Sublimi feriam uertice sidera*, leuissima animaduersio. sed ille fortasse in ultima syllaba carminis grauiorem sonum requirit; qui ex, a, littera oritur. at quis hic grauitatem potius, quam suauitatem, lenitatemq; desideret, quam, e, littera affert?

AD AVGVSTVM CAESAREM Ode II.

Deos omnes iratos esse Romanis ob cædem Cæsaris vnam Imperij spem in Augusto constitutam.

IAM satis terris niuis, atque diræ
Grandinis misit pater, & rubente
Dextera sacras iaculatus arceis,
Terruit urbem:
Terruit genteis, graue ne rediret
Sæculum Pyrrhæ noua monstra questæ,
Omne cùm Proteus pecus egit altos
Visere monteis:
Piscium & summa genus hæsit ulmo,
Nota quæ sedes fuerat columbis:
Et superiecto pauidæ natarunt
Aequore damæ.
Vidimus flauum Tiberim retortis
Littore Etrusco uiolenter undis,
Ire deiectum monimenta Regis,
Templaq; Vestæ:
Iliæ dum se nimium querenti
Iactat ultorem, uagus & sinistra
Labitur ripa, Ioue non probante,
Vxorius amnis.
Audiet ciues acuisse ferrum,
Quo graues Persæ melius perirent:
Audiet pugnas, uitio parentum
Rara iuuentus.

Quem uocet diuum populus ruentis
Imperi rebus ? prece qua fatigent
Virgines sanctæ minus audientem
Carmina Vestam ?
Cui dabit parteis scelus expiandi
Iupiter ? tandem uenias precamur,
Nube candenteis humeros amictus
Augur Apollo.
Siue tu mauis Erycina ridens,
Quam Iocus circumuolat, & Cupido,
Siue neglectum genus, & nepotes
Respicis auctor,
Heu nimis longo satiate ludo:
Quem iuuat clamor, galeaq; leues,
Acer & Mauri peditis cruentum
Vultus in hostem.
Siue mutata iuuenem figura,
Ales in terris imitaris, almæ
Filius Maiæ, patiens uocari
Cæsaris ultor:
Serus in cælum redeas, diuq;
Lætus intersis populo Quirini:
Neve te nostris uitijs iniquum
Ocyor aura
Tollat: hic magnos potius triumphos,
Hic ames dici pater, atque princeps:
Neu sinas Medos equitare inultos
Te duce Cæsar.

COMMENTARII.

Multa prodigia ob Cæsaris mortem Romæ uisa, & Historici, & poetæ prodiderunt. profecto obseruatum est, id sæpe in illustrium uirorum morte euenisse, ut Dijs etiam ipsis horum casus curæ fuisse uideatur. vt de Cæsare scribit Suetonius. quæ quamuis fortuitu fiant, excellentes tamen, atque ingeniosi poetæ prodigijs tribuunt ad decus personarum augendum, quæ, quoniam raro contingunt, incredibilem habent admirationem, & propterea nihil tam ad personam extollendam ualet, quam cum dicimus alicuius hominis causa, naturam commotam, solem defecisse, armorum sonitum de cœlo auditum, simulachra sudasse, aquam in sanguinem conuersam, Padum ingentem stragem agris intulisse, narrat Virgilius, quoniã autem hunc

locum abunde tractauimus in iiij. de Imitatione, eò lectorem reijcimus. Huius autem carminis intentio est, Cæsarem, atque Augustum laudare, occasionem autem utriusque ornandi arripit ab ipsius Cæsaris nece. quam Virgilius adhibuit, ut Augustum laudaret. hæc autem fuit Horatij imitatio ex Virgilio.

Iam satis terris) statim a principio auget tempestatis atrocitatem, quæ tam sæua cum fuisset, magis potuit indicare Deorum ex morte cæsaris indignationem. Sed occurrit Scaliger poetam uellicans, quod ex niue prodigium duxerit. Sic enim scribit. In sequenti uero non pauciora sunt dispicienda. primum niuis copia non est portentum, sicut grandinis, neque nocet nix: at hoc est contra Virgilij authoritatem. qui in prodigijs de morte Cæsaris nimietatem ostentum fecisse aperte declarat, cum inquit,

Non aliàs cælo ceciderunt plura sereno

Fulgura, nec diri toties arsere Cometæ. Quare niuis ingens copia iure pro portento habenda: sane hæc, si raro, vt plerunque fit, contingunt, nemo pro malo omine accipit. Cum crebro, ac præter solitum hæc fiunt, uehementer reformidamus.

Terruit Orbem, augmentum tempestatis. quæ magis augetur, cum subiungit terruit gentes, cum ijs, quæ sequuntur.

Pater, sic appellatus est Iupiter ob beneuolentiam, quam habet erga creata. Varro tellurem cum Ioue magnos parentes appellauit. Sic Orpheus, & Homerus quam sæpissime.

Rubente dextera, eleganter fulminatio exprimitur, quæ Ioui potissimũ tribuitur. Sed cur Ioui tam pernitiosum fulmen poeta tribuit, cum compertum sit, fulmina a Ioue missa, læta esse? puto secundum auspiciorum obseruationem locutum, in quibus si Iupiter fulminasse putabatur, ratũ, si aduocato concilio Deorũ idem fulmen esset iaculatus, aduersum existimabatur.

Graue ne rediret, amplificatio mali ominis, uerebantur homines, ne fœditas eluuionis Pyrrhæ, & Deucalionis rediret.

Protheus, notum de Protheo, sed lege Lil. in Hist. Deorum.

Vidimus, ex hoc fluuio mala futura significata dicit Hor, quod ab Erydano accidisse narrat Virg.

Audiet ciues acuisse ferrum, i. audiet bella Ciuilia gesta. Sic Virg.

Nec fuit indignum superis bis sanguine nostro

Aemathiam, & latos Hemi pinguescere campos, acuisse autem dicit, ab eo quod antecedit. nam ad bellum proficiscentes milites parant arma, atque ea ornant. vt Virg.

Tela nouant Atini potens, Tiburq; superbum,
Tegmina tuta cauant capitum, flectuntq; salignas
Vmbonum crates, alij thoracas ahenos
Aut leueis æreas lento ducunt argento.

Quo graues Persæ, sic illud, *O utinam noua incude diffingas in Massagetas, Arabasq; ferrum*.

Quem uocet diuum, non dissimile ab illo Virgilij.

Dij patrij indigetes, & Romule, Vestaq; mater
Quæ Tuscum Tyberim, & Romana palatia seruas.

Erycina, recte Venus inuocatur ad filij morté uindicandam. non ignoramus Venerem genitricem Cæsaris dictam. Cui ipse templum dicarit, cuique thoracem preciosissimum ex margaritis britannicis confectum sacrarit, quod uero summa ueneratione Cæsar Venerem coluerit genitricẽ inde etiam perspici potest, quod quemadmodum in Pompeij Castris Hercules inuictus fuit tessera, in Pōpeij iuuenis pietas, in Antonij Lar Deus, in Syllæ Apollo, sic in suis Cæsar habuit Venerem genitricem.

Augur Apollo, non sine ratione inuocatur Apollo, quoniam, ut scribit Suet. Augustus natus est mense decimo, & ob hoc Apollinis filius existimatus. Adde quod eodem auctore Augustus ipsi Apollini in parte palatinæ domus templum excitauit, lege Carm. seculare ad eum locum, *Si palatinas uidet æquus arces*, *quæ attulimus*.

Heu nimis longo, i. bello translatum est eius generis, de quo Arist. tertio ad Theod. vbi sic scribit. τὸ δ' ἀνάλογον, ὅταν μεταφορὰ ᾖ, οἷον γὰρ εἰκάσαι τὴν ἀσπίδα φιάλην ἄρεως. idest, tunc autem bene habebit, cum metaphora fuerit, ut cum clypeum uocamus phialam Martis. sic poeta bellum ludum Martis vocauit.

Serius in cælum, quasi è cœlo descenderit Augustus sic loquitur. Profectò illustres homines è cœlo genitos, & a Dijs originem ducere in laudādo fingere solemus. sic optimos quosque Iouis filios uocauit antiquitas. & Hor. Sic Augustum alibi. *Diuis orte bonis*, quamuis ad Iulium Cæsarem id referri possit. Contra immanissimos quosque Neptuni filios dixerunt, ut monstrosos, terræ filios. uel ita dixit, quod alij, & Plato in primis in Timeo putauit Deum unicuique astrum suum impertisse, & eum, qui recte uixisset, ad sibi consentaneum astrum reuerti. Idem Fr. Petr. elegantissimus poetarum existimauit, cum dixit.

L'alma mia fiamma oltra le belle bella
C'hebbe'l ciel qui si amico, & si cortese,
Anzi tempo per me nel suo paese
E' ritornata, & a la par sua stella. vbi doctus poeta cum dixit, a la par sua stella, illud Platonis expressit, scilicet, σύννομον ἄστρον. idest, sibi cōueniens, & accommodatum astrum. Optat autem uitam diuturnam Augusto, quemadmodum Virg. qui uidetur dubitare ne breue uicturus esset, cum inquit,

Iampridem nobis cœli te regia Cæsar
Inuidet, atque hominum quæritur curare triumphos.

Nostris

Nostris uitijs, pluribus id expreßit Virgilius.

Quippe ubi fas uersum, atque nefas, tot bella per orbem

Tam multæ scelerum facies. vt dubitaret his uitiis, malo hominum fato Augustum cito moriturum.

Pater atque Princeps, sic appellatus est, auctor Suet. Videamus aliquid de artificio. Acturus de Cæsaris morte, amplificatione opus fuit. Ad augendum autem scelus ea obseruauit, quibus incredibiliter res crescit. Hæc in partitionibus diligentissime collegit Cicero. quæ in hoc genere sunt custodienda. ibi sic scribit, omnino ea sunt adhibenda, si causa patitur, quæ magna habentur. Quorum duplex est genus. alia enim magna natura uidetur, alia usu. Natura, ut cœlestia, ut diuina, & ea quorum obscuræ sunt causæ, ut in terris, mundoq; admirabilia quæ sunt, ut tonitrua, tempestates, fulmina, cometæ. hæc singulari iudicio poeta noster adhibuit. quod Virgilius etiam in morte Cæsaris secutus est. Cum igitur uoluisset ostendere teterrimum scelus fuisse illud, ex iis sumpta materia conuertit se ad hæc miracula, quæ huic causæ maxime conuenire uidebantur, ad crebras niues, ad fulmina, ad Tyberis inundationem, quæ a natura sumpta sunt, atque a cœlestibus, quæ omnia quam diuinitus adhibuerit Virg. incredibile est. Hæc in rebus. In uerbis autem eodem auctore, sua etiam est amplificatio. è quibus nihil prætermisit poeta. Hic obseruabitis grauia, plena, sonantia, iuncta, superlata, translata, cognominata, iterata, duplicata, quæ uim habent & illustrandi, & augendi. Rubente dextera, uagus Tyberis, uultus acer Mauri peditis, illustria sunt, constituunt enim rem ante oculos. Protheum egisse pecus uisere altos montes, superlatum est. Terruit, hæsit, uiolenter, grauia sunt. Sonantia uero hæc omnia, altos montes, littore Etrusco, ocyor aura tollat, magnos triumphos. translata, pecus, labitur, ruentis imperi, amictus humeros, ales. Iuncta sunt superiecto æquore, circumuolat. Iterata, terruit urbem, terruit gentes, & audiet ciues acuisse ferrum, audiet pugnas. Cognominata quæ habent synonymorum similitudinem. *ἰσοδυναμούσας λέξεις*, vocat Hermogenes. vt *Serus in cœlum redeas, diuq; lætus intersis populo Quirini, & neve te nostris uitijs iniquum ocyor aura tollat, hic ames dici pater atque princeps*, quę omnia idem significant. omitto nonnulla, quæ coniuncte spectari possunt. ut Iouem mittere niues, iaculari fulmina rubente dextera. acuere ferrum, idest arma. fatigare deos prece, dare partes alicui.

IN VIRGILIVM ATHENAS PROFICISCENTEM. Ode III.

Precatur faustum iter, deinde occasione sumpta hominum audaciam detestatur.

Sic te Diua potens Cypri,
Sic fratres Helenæ lucida sidera.
Ventorumq; regat pater.
Obstrictis aliis, præter Iapyga,
Nauis, quæ tibi creditum
Debes Virgilium, finibus Atticis
Reddas incolumem precor:
Et serues animæ dimidium meæ.
Illi robur, & æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
Primus, nec timuit præcipitem Africum
Decertantem Aquilonibus,
Nec tristeis Hyadas, nec rabiem Noti:
Quo non arbiter Adriæ
Maior, tollere, seu ponere uult freta.
Quem mortis timuit gradum,
Qui siccis oculis monstra natantia,
Qui uidit mare turgidum, &
Infameis scopulos Acroceraunia?
Nequicquam Deus abscidit
Prudens Oceano dissociabili
Terras, si tamen impiæ
Non tangenda rates transiliunt uada.
Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per uetitum nefas.
Audax Iapeti genus
Ignem fraude mala gentibus intulit.
Post ignem ætheria domo
Subductum, macies, & noua febrium
Terris incubuit cohors:
Semotiq; prius tarda necessitas
Lethi corripuit gradum
Expertus uacuum Dædalus aera

Pennis

Pennis non homini datis.
Perrupit Acheronta Herculeus labor.
Nil mortalibus arduum est.
Cælum ipsum petimus stultia, neque
Per nostrum patimur scelus
Iracunda Iouem ponere fulmina.

COMMENTARII.

Sic te Diua potens Cypri, Veneris periphrasis. Cypria, & Cypris dicta est, quod in Cypro coleretur, uel quod ibi nata esset, unde Κυπρογενής. varij auctores tradiderunt Virgines Cyprias nupturas. dotem sibi ad litus descendentes, suiq; copiam facientes dotem parare. quod de Phęnicum virginibus accepimus, quæ in lustris vulgo quæstum facerent. Libidinis Deam esse Venerem, vt multis rationibus constet, illo etiam symbolo significari posse videtur, quod passeribus eius currum trahi vulgatum sit. quare Sapho ἄρμ' ὑποζεύξασα καλλοὶ δέ σε ἄγον ὤκεες στρουθοὶ. πτέρυγας μελάννας πυκνὰ δινέοντες ἀπ' ὠραν' αἰθέρος διὰ μέσσω. i. currum iungens, pulchri autem te ducũt veloces passeres assidue nigras alas mouentes ab ætheris medio. Lactantius addit id Venerem Cyprijs virginibus licere, voluisse, ne sola impudica videretur.

Sic fratres Helenæ, alibi Lædæ pueros vocauit. fuere autem Castor, & Pollux. ex ijs, qui ex mortalibus immortales facti sunt, & in sidus translati. quos geminos dixere; dataq; eis potestas est nautarum seruandorum. vnde σωτῆρες dicti. de his historia satis vulgata est. addi tamen licet Sidus hoc geminorum secundum aliquos Apollini, atque Herculi, secundum aliquos Triptolemo, & Iasioni tributum. auctor Hyginius. alia autem est Periphrasis.

Ventorumq; regat Pater, omittamus de Aeolo. de quo multa passim leguntur, alia elegans periphrasis.

Obstrictis alijs, sic Virgilius ab Aeolo ventos carcere includi dixit.

Iapiga, vulgus nautarum græcum nominat. hic ex Italia in Græciam soluentibus percommodus est. Calabri hunc ventum pro numine coluerũt quemadmodum Augustum fecisse memoriæ proditum est. qui Circio, quem hodie prouincialem appellant, votum fecisse, sacrumq; persoluisse dicitur, ne Galliam vehementiori spiritu infestaret. Idem & Xerse memorant, qui cum oraculo monitus uentis autem instruxisset, eos adeo propitios habuit, vt tota hostium classis fuerit demersa.

Animæ dimidium meæ, sic alibi ad Mæcenatem. Ah te, meæ si partem animæ rapit maturior vis, quid moror altera? Significat nõ vulgarem amorem, sed perfectum, & qui non in omnes cadat, sed in eos tantum, quos optimi

mi mores, virtusq; coniunxit. qui ita se diligunt, vt alter in alterius corpore viuere videatur. de quo amicitiæ genere Arist. viij. Eth. præclare scripsit. ait enim amicitiam esse vel ἀρετὴν, vel μετ' ἀρετῆς. Itemq; quicumque in virtute sunt similes, perfecta amicitia frui videntur. Sic autem de hac Arist. Τελεία δ' ἐστὶν ἡ τῶν ἀγαθῶν φιλία, καὶ κατ' ἀρετὴν ὁμοίων. οὗτοι γὰρ τ'ἀγαθὰ ὁμοίως ἀλλήλοις βούλονται, ᾗ ἀγαθοί, ἀγαθοὶ δ' εἰσὶ καθ' αὑτούς. οἱ δὲ βουλόμενοι τ'ἀγαθὰ τοῖς φίλοις ἐκείνων ἕνεκα, μάλιστα φίλοι. δι' αὑτοὺς γὰρ οὕτως ἔχουσι, καὶ οὐ κατὰ συμβεβηκός, διαμένει οὖν ἡ τούτων φιλία, ἕως ἂν ἀγαθοὶ ὦσιν. ἡ δ' ἀρετὴ μόνιμον. hoc est bonorum vero, & eorum, qui in virtute sunt similes, amicitia perfecta demum est. hi enim sibi bona similiter volunt, quatenus sunt boni. boni autem sunt per se. At qui amicis bona volunt ipsorum causa, maxime amici sunt. quippe. Cũ per se ita sese habeant, & non ex accidenti. vnde eorũ amicitia præcipue permanet, quoad boni fuerint, virtus uero stabilis res est. Sic non multo post. μάλιστα μὲν ἐστὶ φιλία ἡ τῶν ἀγαθῶν, καθάπερ πολλάκις εἴρηται. i. ac maxime, quidem amicitia, sicut sæpius iam diximus, bonorum est. de hac vera amicitia lege ode 17. lib. secundi. ibi. *Ab te meæ si partem animæ rapit maturior uis*. amat Virgilium Horatius tanquam bonum, & pulchrum. quare perfecta illa fuit amicitia. pulchrum autem intelligo secundum Platonem id, quod inesse debet istis, qui se inuicem sunt amaturi, scilicet quam pulcherrimos esse. pulchritudo autem hæc in animo est. & ij vere sunt pulchri sapientibus, quorum animi pulchri sunt. qui quidem animus verus homo est; cum corpus, instrumentum sit. Aristot. non semel in Ethic.

Illi robur, & æs triplex, elegantissima digressio, & aptissime inducta ad stultitiam, atque auaritiam hominum detestandam. Cum Oratores, & poetæ digressionibus vtantur: oratores quidem in grauissimis causis extra propositum non diutius vagantur. poetæ vero longius excurrunt, atq; ita, vt sæpissime ad causam non reuertantur. exemplo sit Pindarus. Horatius hic digreditur, nec ad propositum sese refert. huiusmodi est illa de Europa lib. iij. Hoc genus incredibile est quantum gratiæ afferat, si ratione susceptũ sit. Siquidem ad exornandum, delectandumq; comparatum est. robur, & æs pro duritie sunt insignes metaphoræ. Sic Virg. dixit. *Graue robur aratri, & æternaq; ferri robora, & solidæq; suæ stant robore uires*. Idem. Et *centum iunctus aheneis post tergum nodis*, æream puppim, temonem æreum dixit pro valde forti.

Africũ, ab occidẽte brumali flat Africus, siue Libs. Garbinũ nuncupant.

Decertantem, sic locutus est ode prima, luctantem Africum vocans, alibi ventos depreliantes dixit, sic Virg. Omnia ventorum concurrere prælia vidi. Idem. *Luctantes uentos, & magno discordes æthere uenti prælia iam tollunt, & aduersi confligunt turbine uenti*. pulcherrime etiam venti prælia miscere dicti sunt.

Rabiem

Rabiem noti, sic Ouid. rabiem sæuam uentorum dixit. Notus autem siue Auster vulgo Ostro à meridie flat.

Arbiter Adriæ, Notum etiam lib. iij. ducem Adriæ uocat. sic, neq; auster Dux inquieti turbidus Adriæ. Adriam insanas ciere tempestates poeta indicat ibi. Ego quid sit ater Adriæ noui sinus, & ibi, ira fretis acrior Adriæ curuantis calabros sinus, &, improbo iracundior Adria. Adriam sane alij uentosum, alij præcipitem, appellauerunt. Obseruabunt adolescẽtes pro mari uirilis esse generis, pro urbe fœminini. Hic insurgit Scaliger. In tertia, inquit ode Austrum ait Horatius præter cæteros uentos summũ habere imperium in mare Adriaticum. quod falsum esse intelliget, qui sciet Adriaticum recta excurrere in Vulturnum. Ideo putat iste huius uenti rationem ignotam poetę fuisse. & propterea ignoratione lapsum. Atqui nos recte locutum fuisse Horatium, & venti rationem, atque Adriatici maris situm plane cognitum habuisse arbitramur. Cum igitur dixerit Notũ, siue austrum arbitrum Adriæ, uere, recteq; dixit. Nam, & si non omnino in notum excurrat Adriaticum, ut ille arbitratur, nihilominus ita se habet illud mare ut non minus ab austro quam a Vulturno posit concitari. Scimus enim ex eorum obseruatione, qui de re nautica, ac de uentis litteris prodidere, vnumquenq; ex uentis, quos illi principales appellant, qui octo numero sunt, videlicet, Aparctias siue Septentrio; quam Tramontanã vulgo nominant, Auster siue Notus Ostro vulgo dictus, Apeliotes siue Subsolanus Leuantem uocant, Cæcias siue Lapix, quem græcum nominant, Libs siue Africus, quem Garbinum vocitant, Argestes siue Olympias, siue idem Chorus ac Sciron Magistri nomine celebratus, Trasceas, ac Circius, quem prouincialem nautæ omnes agnoscunt, duas quartas habere. Sic Nautæ loquuntur, & qui de uentis tradidere. In quibus vehementer mihi probatur Petrus Medina homo Hispanus, qui ventorum rationem in iij. libro suo de Re Nautica exactissime persecutus est. Is cap. v. in hanc sententiam, atque his ferè verbis ita scribit. In his Sexdecim Rhombis Ventorum alij Sexdecim, qui quartæ nominantur, describuntur. & sic collocantur. Nam quilibet principalium uentorum duas quartas habet. quæ quoniam principales uentos circumstant, colaterales dicuntur, hæ autem ex propinquiori uentò nomina sortitæ sunt. Exempli causa, Septentrionis duæ sunt quartæ, ea quæ ad Argestem, hoc est ad Magistrum spectat, quarta Septentrionis in Argestem, quæ uero ad Iapiga, hoc est ad Græcum uergit, Septentrionis ipsius quarta in Iapiga nominatur. Et ne omnes huiusce modi quartas pluribus persequamur, Vulturni quartæ duæ sunt, una quæ ad Apeliotem, seu Subsolanum respicit, hæc Vulturni in Apeliotem quarta dicitur. quæ uero in Austrum spectat, Vulturni quarta in Austrum appellatur. Quamobrem Vulturni quarta ad Austrum procul dubio pertinet, idest ad notum. partem uero istam Vulturni Australem, quæ eadem est cum ipso Vulturno, pro ipso Vulturno

so Vulturno poetice, scienterq; positam ab Horatio affirmamus. Ergo recte locutus Horatius videtur, minimeq; lapsus, ut Scaligero uidebatur ignoratione, imo ipsum Scaligerum a uentorum illa exacta scientia, ac cognitione, quam poeta tenuit, & ille præseferebat, longe aberrasse facile conuincitur. Quod si idem Scaliger, aut alius quispiam obijciat, quamuis uerum sit Vulturni quartam ad Austrum pertinere, & pro Austro haberi, nihilominus illud minus concedendum, scilicet tantum virium, atque impetus habere quartas, quantum principales venti, Medinam ipsum audiant sic in eodem capite statuentem. Huiusmodi, inquit, uenti octo in re nautica integri, siue principales appellantur, intra quos alij sunt, quos medios nominãt, non profecto quod minori spiritu, ac uehementia ferantur, quam illi, sed quoniam in ipsorum medio describuntur. Tam uehementes igitur esse quartas, quam principales illi sunt, perspicuum est, ut dubitandum de tota re minime sit. Neque illud omittamus; In eo enim idem Scaliger poetam notauit, quod tollere, seu ponere vult freta, dixerit, cum ex illius sententia ponere, seu tollere vult freta fieri debuisset, inquiens orationem crescere debere. minuta animaduersio. id enim proposuit quod potissimum illi uento tribuere uolebat, scilicet præcipuam maris concitandi uim, cum magis de commotione quam de tranquillitate esset agendum, initio uim illam merito putauit declarandam: huius enim uenti potentia magis in tollendis fluctibus quam in sedandis est; quare priori loco uerbum tollere fuit collocandum. Orationem autem hic crescere non oportebat. neque incremento aliquo opus erat: non me latet, quod etiam pueros non fugit, orationem crescere debere, sed re postulante. hic neque crescendi causa est, neque locus tam subtili notatione indigebat.

Quem mortis timuit gradum, varia sunt mortis genera. quod alibi poeta sic confirmat.

Dant alios furiæ torno spectacula Marti.

Exitio est auidum mare nautis. quare infert.

Me quoque deuexi rapidus comes Orionis

Illyricis notus obruit vndis.

Siccis oculis, sic Propertius.

An poteris siccis mea fata reponere ocellis? non dissimilia sunt siccæ sanguine fauces, siccum sanguine guttur, hoc recte ad robur, & ad æs triplex refertur eius, qui primus nauigare cœpit, quod tam duro corde fuerit, ut ne lachrymam quidem in tot tempestatibus fudisset.

Acroceraunia, Ceraunia appellat Virgilius. *prouehimur pelago uicina Ceraunia iuxta*, & ibi, *alta Ceraunia telo deijcit.* Cimeram hodie vocant.

Nequicquam, Sane humanum genus audax: Cum enim cœlum dijs, aer auibus, terra hominibus, ac brutis, mare piscibus assignatum fuisset, unum hoc genus & cœlum, & aerem, & mare tentare ausum est. Gigantes cœlũ,

Dædalus aerem, nautæ mare aggredi non dubitarunt. Sed omnes audaciæ pœnas dedere. mirifice autem in digreßione perseuerat. imo alia quædam adiuncta superiori uidetur.

Prudens, Deo prudentiam tribuit: non eam, quam homini inesse scribit Arist. quæ est in boni perquisitione, malique uitatione; qua idem philosophus narrat. vj. Eth. cap. viij. de Sapientia, Anaxagoram, & Thalem, & cæteros. huiusmodi homines caruisse. qui cum ignorassent quæ sibi essent utilia, non prudentes sed sapientes fuisse dicuntur. Verba Arist. sunt. διὸ Ἀναξαγόραν καὶ θάλην, καὶ τοὺς τοιούτους, σοφοὺς μέν, φρονίμους δε οὔ φασιν εἶναι, ὅταν ἴδωσιν ἀγνοοῦντας τὰ συμφέροντα αὐτοῖς. καὶ περιττὰ μέν, καὶ θαυμαστά, καὶ χαλεπὰ καὶ δαιμόνια, εἰδέναι αὐτούς φασιν, ἄχρηστα δ' ὅτι οὐ τὰ ἀνθρώπινα ἀγαθὰ ζητοῦσιν. idest. Vnde Anaxagoram, & Thalem atque huiusmodi homines, cum ignorare ea, quæ sibi utilia sunt, uideant, non prudentes, sed sapientes esse dicunt. ac superuacua quidem, & admiranda, & difficilia, & diuina cognoscere ipsos asserunt; sed inutilia tamen; præterea quod non humana bona inquirunt; Prudentia autem circa humana bona uersatur. atque ea, quæ in consultatione cadunt. Hunc locum interpretans Eustratius Deo proprie prudentiam conuenire adnotauit. Is enim animaduertit sæpenumero apud veteres prudentiæ nomen pro qualibet cognitione sumptum reperiri, etiam pro ea, quæ rerum præstantißimæ cum sit quippe cum Deo quoque eam tribuant, quemadmodum Plutarchus asserit, cum inquit, non argento aut auro beatum esse numen, neque tonitruis, & fulguribus munitum, sed prudentia, & scientia. Cætera enim omnia, cum indigeant homines, cum exhibeat Deus, intellectum, & prudētiam quæ propria ipsius sunt, quibusque utitur, non exhibet. Hæc vt pluribus agerem, non ab re factum arbitror, sed loco id postulante.

Iapeti genus, Prometheus Iapeti filius, est autem Periphrasis, quæ de Prometheo in fabulis tradita sunt, nota omnibus. quæ non temere sunt ab antiquißimis illis ficta, scilicet subduxisse illum ignem à Dijs: & propterea Caucaso affixum. Theophrastus enim scripsit idcirco existimatum a Prometheo ignem hominibus distributum, quod ille primus philosophiā mortalibus esset impertitus. summum enim philosophum fuisse narrat. ignis sane, idest luminis instar est philosophia. Alij interpretantur per ignē intellectualem vitam intelligi, etenim aiunt ipsam latere, sicut ignis ante quam in materia concipiatur. Sed ut ad fabulas reuertar, tres causas affert Lucianus in Prometheo, ob quas illo supplicio fuerit affectus. primum ob carnium distributionem, in qua Ioui imposuerit, pro carnibus ossa apponens. deinde quod homines effinxisset, quibus nihil astutius, præsertim mulierē. postremo quod ignem Deorum thesaurum surripuisset. non me latet alios aliam rationem addidisse, scilicet amorem Palladis, qua temeritate in Caucaso fuerit religatus, ea pœna, ut aquila eius cor exederet quod Mytho-

logi sic interpretantur. Scythiæ regem fuisse Prometheum, qui cum Aquila flumen, ἀετὸς dictum, regionem funditus uastaret, & propterea populi inopia laborarent, nec illi uastitati rex posset occurrere, in uincula coniectus sit. sed ab Hercule liberatum narrant, cũ flumen in mare corriuasset.

Fraude mala, perpetuum fraudis Epithetum est, mala, sed malim illud ad Prometheum referri, cui illa fraus tam perniciosa fuerit, ut ea de causa fuerit caucaso affixus.

Gentibus, mortalibus. populis. Virg. & mortalia corda, per gentes humilis strauit pauor, Et. Bisq; triumphatas utroque ab littore Gentes. sed, At non qua Scythiæ Gentes.

Macies; Pandoræ factum significat, quam Iouis iussu cum Vulcanus è luto finxisset, Prometheo iratus Iupiter dolum compensans misit. pulcherrima autem facie fuit ut narrat Hesiodus, omnes enim Dij ad ipsius pulchritudinem ornandam aliquid insigne contulerunt. Ad hanc fabulam nos etiã allusimus in oda, quam scripsimus de Vicentinorum laudibus. Sic

At nos edaces hinc propere greges
Curarum abite. protinus hinc pedem
Efferte Dirarum sorores,
Tristitiæ sociæ, ac laborum.
Infame pœnas semen Iapeti
Pressum tenebris perpetuum luat,
Quo regna ditis, quo tremendi
Eumenidum trepident colubri.
Tu, cum Deorum uitam ageret genus
Mortale terris, liberum, & undique
Immune, bombo nec dum ahena
Cornua perstreperent sonoro,
Nec dum cruentum iam chalyben rudis
Perferret incus, aut gemeret nouo
Experta cyclopum lacertos,
Gaudia dissoluis repente.
Tum pestis inclusæ exiluit cohors
Ignota terris, euolat hinc fames
Ieiuna, suadens ad nefanda,
Sanguineisq; inhians rapinis.
Hinc mille læti tristis imagines
Repsere, læti moxq; satellites
Luctusq;, pallentesq; morbi,
Pigra gelu, inualida & senectus. Hæc autem quæ de malis hominum narrat Hor. prudenter, atque erudite ab Hesiodo proculdubio sumpta sunt.

Tarda

Tarda necessitas, mors, scilicet quæ ex necessitate omnia consumit. Necessitatis Parcas filias esse uoluerunt. in quarum manibus est hominum uita, quare sic appellatas constat latinis, quod nemini parcant. unde ex illis unam Atropon græci dixerunt, quod flecti non possit, & propterea sit inexorabilis. quare ἀνάγκην, idest necessitatem uocari uoluerunt. Thales quidem Plutarcho auctore asseruit necessitatem esse ualidissimum quoddam. aitq; Stoicis cum Platone conuenire, qui dicunt necessitatem esse causam fixam, & uiolentam, nec me fugit Aristotelem in libello de Mundo per necessitatem Deum intellexisse, cui idcirco id nomen sit, quod natura quædam sit immobilis. quam sententiam Orphei fuisse scribit. Hęc siquis consideret, erudite Horatium iudicabit necessitatem duram appellasse.

Expertus uacuum, aliud insigne exemplum hominum temeritatis. Ita autem interpretatur hanc fabulam Palephatus, non alis, quod fieri non potuit, sed naui euasisse Dædalum cum filio. per alas autem uela uoluit intelligi. vnde etiam Virg. Et uelorum pandimus alas. alij alis fugisse dicunt idcirco, quod tam inuestigabilis fuisset illa fuga, quam uolatilium, quorum iter obseruari non potest. De Dædalo multa lege apud Lucianũ de Astrologia.

Acheronta, Synecdoche. pars pro toto.

Nil mortalibus, uerissimum, ac grauissimum dictum.

Neque per nostrum, ipsi nos nostrorum malorũ auctores sumus, Deum prouocantes nostris flagitijs. in hanc sẽtẽtiam Hom.j. Odyss. de Aegysto.

ὢ πόποι οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται
ἐξ ἡμέων γάρ φασι κακ᾽ ἔμμεναι· οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ
σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε᾽ ἔχουσι. idest

Mortales miseri superos incessere nunquam
Desistunt. ipsos auctores esse malorum
Accusant. sibi stultitia cum incommoda gignant. In hanc sententiam præclara lege apud Plat. ij. de Rep. ad illum locum. οὐκοῦν ἀγαθὸς ὅγε θεός. Idem in Timeo inquit, nisi homines sibi malorum causa sint, bene a Dijs gubernari.

Iracunda, sensus rei inanimatæ tributus. ut illud. pontem indignatus Araxes, & miraturq; nouas frondes; & non sua poma. Sic auidum mare, cuiusmodi multa in poetis. Sed iam quo pacto expolitæ sint hę sententię, quęramus. In primis per conuersionem nauem alloquitur, qua uectus est Virgilius. quę ratio, ideo est poetis usitatissima, quoniam mirum immodum exornat, atque etiam auget. Poetę quidem sępissime alloquuntur inanimata. *ut dulces exuuiæ dum fata, Deusque sinebant. & o Nauis referent in marem te noui fluctus.* sic alloquitur fontem Hor. O fons Blandusię, similiter arborẽ cuius causa pene perierat. Sic Theocr. ἄγκεα, καὶ ποταμοί. Et Κρᾶναι, καὶ βοτάναι γλυκερὸν φυτόν. Hanc aũt conuersione per potestatio-

nem

nem adhibet, nauem, ut incolumem amicum reddat rogans. hęc autem obtestatio indicat mirum amici desiderium, ut tuto nauiget, tutusque reuertatur. Cum autem dicere potuisset, venti ac stellæ secundæ tibi sint, & gratia hoc carere intelligeret, ad particulares stellas se contulit Veneris, & Castoris & Pollucis, quæ pręcipua sunt nautarum pręsidia. in quibus quoniam uenustatem maiorem desiderabat, periphrases asciuit, inquiens. *Sic te diua potens Cypri, sic fratres Helenæ lucida sidera, uentorumque regat pater.* Cumq; dicendum esset duro animo fuisse illum, qui primus nauigauit, nihil elegantius facere poterat, quam se ad ea, quæ durissima existimantur, cuiusmodi est robur atque æs, conuertere. Quod uero sequitur, quam feliciter illi successit? Nec timuit maris tempestates. hic ad ea respexit, quibus procellæ commouentur. nempe ad Africum pręcipitem decertantē Aquilonibus. ad Hyadas, ad noti rabiem, quibus egregie cōuestita est sententia non prætermittendæ dicendi formæ. Committere ratem pelago. quo Virgilius prius sic usus fuerat, ignoto sese committere ponto, & uitam committere uentis Africū decertare Aquilonibus. & reliqua, quæ una cum epithetis, quoniam facile internosci possunt, omitto.

AD L. SEXTIVM CONSVLAREM. Od. IIII.

Aduentu ueris, & communi moriendi conditione proposita hortatur ad uoluptates.

Soluitur acris hyems grata uice Veris, & Fauoni:
Trahuntq; siccas machinæ carinas:
Ac neque iam stabulis gaudet pecus, aut arator igni:
Nec prata canis albicant pruinis.
Iam Cytherea choros ducit Venus imminente Luna:
Iunctæq; Nymphis Gratiæ decentes
Alterno terram quatiunt pede, dum graueis Cyclopum
Vulcanus ardens urit officinas.
Nunc decet aut uiridi nitidum caput impedire myrto,
Aut flore terræ quem ferunt solutæ.
Nunc & in umbrosis Fauno decet immolare lucis,
Seu poscat agnam, siue malit hædum.
Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,
Regumq; turreis. ô beate Sexti,
Vitæ summa breuis spem nos uetat inchoare longam.
Iam te premet nox, fabulæq; manes,
Et domus exilis Plutonia, quo simul mearis,
Nec regna uini sortiere talis,

Nec

Nec tenerum Lycidam mirabere, quo calet iuuentus
Nunc omnis, & mox uirgines tepebunt.

COMMENTARII.

Soluitur acris hyems, describitur veris tempus. iucundissimæ sunt huiuscemodi descriptiones, si eleganter, & concinne inducantur. venit in mẽtem poetæ hortari Sextium ad uoluptatem, sumpta occasione a ueris tempore, quæ ætas cum iucundissima sit, merito unumquemque ad hilaritatem potest allicere. Multas autem & huius temporis, & aliarum horarum, ut Aestatis, Autumni, Hyemis, præterea personarũ, locorum, brutorum, rerumq; inanimatarum descriptiones inuenies apud poetas. in quibus tractãdis spectanda sunt, quæ cuiq; rei, uel personæ insunt. circunstantiæq; omñes, & quæ unicuique accidunt. quæ omnes scriptores secuti sunt. Siquis anni ætates uelit describere, necesse est sibi proponat, quæ illi ætati contingunt, ea autem accidentia sunt eligenda, quæ præcipua uisa fuerint. Exempli causa si cui ver describendum est. necesse est ad ea se conferat, quæ eo tempore pulchriora fieri videmus. quod prudenter animaduertit poeta noster. vidit enim tunc humum hyemis frigore conglaciatam, veris tempore remitti, ac relaxari. ventos lenius flare, naues in mare deduci. pecudes è stabulis agi in pascua. Omnes hilaritate perfundi. Idem spectauit lib. iiij. Od. vij. ad Torquatum. Idem secutus est Consilium Od. xij. eiusdẽ libri. pulcherrimum est Epigramma in Ανθολογίᾳ, de quo alibi, in quo multa præclara huius ætatis accidẽtia valde eleganter collecta sunt. cuius initium est. χείματος ἠνεμόεντος, plurima exẽpla in græcis, & latinis. hanc tamen rationem nemo Virgilio melius tenuit. quæ enim pulchriora excogitari potuere ijs, quæ sunt in ista descriptione ij. Georg. ?

Vere tument terræ, & genitalia semina poscunt.
Tum Pater omnipotens fœcundis imbribus æther
Coniugis in gremium lætæ descendit, & omnes
Magnus alit magno commistus corpore fœtus.
Auia tum resonant auibus uirgulta canoris,
Et Venerem certis repetunt armenta diebus.
Parturit almus ager, zephiriq; tepentibus auris
Laxant arua sinus, superat tener omnibus humor,
Inq; nouos soles audent se gramina tuto
Aut actum cœlo magnis Aquilonibus imbrem.
Sed trudit gemmas, & frondes explicat omnes. profecto non ver ipsum pulchrius, ac floridius est. videtis accidentium collectione quam fœliciter efflorerit, quæ exilis futura erat oratio.

Soluitur, sic Virg. *& zephyro patris se gleba resoluit.* & seu plures ca-

lor

lor ille vias, seu cæca relaxat spiramenta, tellus enim nouo calore resoluitur. quo idem poeta respexit. Cum dixit, *Candidus auratis aperit cum cornibus annum Taurus*. cui sententiæ ascribit Ouid.lib.iiij.Fast. Cũ inquit.

Nam quia uer aperit tunc omnia, densaque cedit,

Frigoris asperitas, fœtaq; terra patet,

Aprilem memorant ab aperto tempore dictum, Idem confirmat Macrob.j.Sat. sane tunc natura claustra nascendi aperit. vnde non omnino recte sensisse uidentur, qui Aprilem a Venere, quasi apherilem ἀπὸ τοῦ ἀφροῦ dictum putauerunt.

Gratia uice, sic alibi mutat terra uices.

Fauoni, Fauonius, idem Zephyrus, vulgari sermone ponentes dictus, ab occidente æquinoctiali flat. ueris comites appellat Fauonios lib.iiij.Od.xij.

Ac neque iam stabulis, ab eo quod huic ætati non contingit sumptum, hoc autem plerumque assumitur. vt siquis uer ipsum describens dicat, eo tempore non misceri aerem uentis. arbores, ac syluas non esse nudatas suis frondibus, non instar marmoris concreta esse flumina, ac lacus. *Et huiusmodi plura colligat*. quod uidit Hor.ibi, *Diffugere niues*, Et. *Iam nec prata rigent, nec fluuij strepunt hyberna niue turgidi*. Sic Virg. *Nec metuit surgentes pampinus austros. aut actum cœlo magnis aquilonibus imbrem.*

Iunctæq; Nymphis, sic lib.iiij.Od.vij.Gratia cum Nymphis, geminisq; sororibus audet ducere nuda choros. De Gratijs lege Lil.in Hist. Deo.

Alterno terram, sic semper fere ueteres illi poetæ saltationem describebant. nostri recentiores euidentius expressere. Sannazarius in salicibus.

Tum manibus simul implicitis per gramina festas
Exercent choreas, alios, aliosque reflexus
Inter se lætæ repetunt. nunc corpora librant
In saltus, nunc molle latus, nunc candida iactant
Brachia, & alterna quatiunt uestigia planta. Fracastorius
At tu omnem Telayra abrumpe pudorem,
Tum cum expectatum difflabit tibia cantum,
Ardentesque sono in choreas accendet amanteis,
Tum dextram, leuamque manus iungamus amicas
Inuideantque omnes, neque enim te doctior usquam
Vlla salit, non ipsa Iole, non nata Lycotæ.
Me uero quales in cœlum tollere saltus
Aspicies, Telayra, modo & te flectere in orbem
Et modo te contra stantem mira arte mouere
Ante, retroque pedes. spacio nec cedere ab uno.
Ipsa uenus ridens cœlo spectabit ab alto.

Cum uero mihi aliquando contigisset idem faciendum, ita feci. non, vt me cum magni nominis poetis conferrem, sed ut aliquid & ipse experirer, ad

rer,ad

ter, ad per illustrem Equitem Iulium Cæsarem Valmaranam Vicentiniue scribens.

Ipse hac sinistri lenta pedis mouet
Vestigia solas implicitas Lyce,
Lasciua meis ocellis
Arte Lyce iaculatur ignem.
Max æstuantes eam imbuerit Venus
Venas, iecurq; , concitus ætheris
Vibrat se in auras, mox relapsus
Emicat, & celeri rotatu in
Gyrum, rapacis turbinis in modum
Fertur retrorsum, atque ante uolubilis,
Se uersat illa, seq; miris
Implicat insinuata nodis.

Cum uero poeta dixit *terram quatiunt pede*, a consequenti necessario duxit formam dicendi. necessario enim sequitur, ut qui hoc agat, terram pedibus pulset. sed de multis modis exprimendi saltationem lege lib. iiij. Od. viij. ad illum locum. *gaudet inuisam pepulisse &c.*

Nunc decet, magnum usum fuisse coronarum apud ueteres neminem fugit. In lætitijs in primis adhibitas constat. unde conuiuales coronæ. & in triumphis, unde etiam triumphales dictæ. Quod autem dicit, aut flore terræ quem ferunt solutæ, sciendum cum è uarijs rebus coronæ fierent, coronas è floribus Musarum fuisse. unde illud Saphus. κατθανοῖσα δὲ κείσεαι, οὐ γάρ πεδ᾽ ἔχεις ῥόδων τῶν ἐκ πιερίας. idest mortua iacebis, non enim habes hortum rosarum ex Pieria. Sed cur in conuiuijs coronis usi sunt, Cælius lib. xiiij. cap. lix. ant. lect. explicat. sed de hoc alibi.

Pallida mors, crebro usitata sententia. mortem nullius habere rationē. sed in omnes mortales æquo iure uti. quare Pind. in Olymp. Θουλὰς ὀρθὰς ῥαδαμάνθυος appellauit, idest recta Rhadamanthi decreta. unde prouerbio usurpatum est. ῥαδαμάνθυος κρίσις. idest Rhadamanteum iudicium. hanc sententiam sic alibi feliciter expressit.

Diues ne prisco natus ab Inatho
Nil interest. an pauper, & infima
De gentem, sub dio moreris
Victima nil miserantis Orci. quod diuinitus sic uariauit.
Nulla certior tamen
Rapacis Orci fine destinata.
Aula diuitem manet
Herum, quid ultra tendis? æqua tellus
Pauperi recluditur.
Regumq; pueris. Sic ibi.

Scilicet omnibus
Quicunque terræ munere uescimur
Enauiganda, siue Reges, siue inopes erimus coloni.

Iam te premet nox, nox, manes, domus Plutonia, Synonyma sunt, quibus & uariatur,& ornatur oratio. Synonyma autem,quod ne pueri quidem ignorant,sunt,quę plura idem ualent,genus hoc poetis maxime aptum,alioqui idem uerbum sæpe repetendum esset, quod turpissimum est. ad hæc se retulit poeta. Cum idem bis,terq; fuisset repetendum,sic faciens. *iam te premet nox, fabulæq; manes, & domus exilis Plutonia.* quamuis autem, hæc ex dialecticorum sententia propria Synonyma non uideantur, sed potius figurata, nihil interest eadem in poetis sic appellari. Hæc non mediocriter in componendis carminibus conferunt. Cum enim aliquod uerbum minus apte inseri, atque accommodari potest, alio, quod idem significet, utimur. quare Arist.iij.Rhet. sic scribit. *Τῶν ὀνομάτων τῷ μὲν σοφιστῇ ὁμωνυμίαι χρήσιμοι, παρὰ ταύτας γὰρ κακουργεῖ. Τῷ ποιητῇ δὲ συνωνυμίαι*, hoc est. ex nominibus ambigua sophistæ utilia,quoniam ijs fallit,poetæ uero Synonymiæ. quod autem poeta hic dixit,premi nocte lib.iiij.Od.ix. sic fecit.

Sed omnes illachrymabiles
Vrgentur, ignotiq; longa
Nocte, carent quia uate sacro. Cat. sic mortem notauit
Nox est perpetua una dormienda. & Virg.
In æternam clauduntur lumina noctem. Qui sint autem manes isti
Fabulosi ex ijs patet.
Visendus ater flumine languido
Cocytus errans, & Danai genus
Infame, damnatusq; longi
Sisyphus Aeolides laboris. domum autem Plutoniam puto ex Hom. sumptum. apud quem sæpe leges. *εἰς ἀΐδαο δόμους.* i. ad Plutonis domos.

Fabulæq; manes, lege Cęlium lib.xj.cap.ij. Sed mihi non probatur,quod in hunc locum adnotauit. nam non magis ad uitæ fabulam respexit poeta, quam ad Hominum nonnullorum opinionem, manes, hoc est inferos negantium.

Quo simul mearis, significat omni uoluptate orbatam esse mortem. eleganter autem id facit duobus uoluptatum generibus assumendis, quibus intemperantes potissimum capiuntur. hæ sunt compotationes, atque amores hoc genus compotationis sic expressit Od.vij.lib.ij. quem Venus arbitrum dicet bibendi?

Et mox uirgines tepebunt, non me latet quomodo hunc locum interpretatus sit Lambinus. Is existimat in uerbo tepere uim inesse amoris maximi. sic inquit. quem mox Virgines exoptabunt, cuius amore erunt incensæ. mihi autem non uidetur illa uis esse in eo uerbo. Sed contra leuissimum

quiddam notare. Cum enim pene extinctam, aut potius imminutam esse flammam, atque ardorem significare uolumus hoc uerbo uti consueuimus. re uera aquam tepere dicimus, cum calor multum deferbuit, ac remissus est. Sic cineres tepentes, Solem, ignem tepentem dicimus, cum ardor est imminutus. quare cum leuis sit uerbi significatio, nō displicebat illa interpretatio, scilicet frigidius amaturas uirgines Lyadam, cum plus adoleuerit. quippe quod earum ea est natura, ut in molliores, teneriores que propensiores sint. iuxta illud Tib. Carior est auro Iuuenis, cui mollia fulgent ora, nec amplexus aspera barba terit.

Nuditati sententiarū ita occurrit poeta. Simplices enim sententiæ erāt, Ver est. Hilariter est uiuendum. statim moriemur. mortui omni uoluptate carebimus. Considerauit quæ huic ætati accidunt, & ex ipsorum accidentium assumptione primam sententiolām, scilicet, Ver esse, ita ornauit simul, ac dilatauit. Hyemem solutam esse grata uice ueris & fauonij, Carinas trahi machinis. pecus non amplius gaudere stabulis. aut aratorem igni. prata pruinis spoliata. *Venerem choros ducere cum nymphis. gratias saltare.* Secundam autem sententiam sic. coronandum esse inquit caput myrto, ac floribus. quod fit in lętitijs. ne uero illud etiam careret ornamento, ac gratia, nempe. moriendum esse omnibus, dixit, mortem æquo pede pulsare pauperum tabernas, & regum turres, translatione ab ijs ducta, qui domos ingredi cupiētes, ianuam pedibus percutiunt, quod λακτίζειν græci dicunt. sic locutus est Aristoph. in Nubibus. Moriturum esse Sextium, quomodo elegantius fieri potuit? quam sic? Iam te premet nox, fabulæque manes, & domus exilis Plutonia. quæ sunt fabulosę locutiones. Voluptate uero carere mortem, assumptis duobus uoluptatum generibus, rem mirifice exornauit. quod paulo superius attingebamus. Verborum, Figurarum, Epithetorum, formarum dicendi, sine quibus omnis sordescit oratio, elegantisimus delectus factus est. *vt hyemem solui vere. naues trahi.* ideſt deduci. prata albicare pruinis. *Cythercam choros ducere.* Gratias alterno terram pede quatere. impedire caput myrto. ac floribus. inchoare spem longam, premi nocte. Iuuentutem calere aliqua uirgine. virgines tepere, Translationes sunt notisimæ. Epitheta, hyems acris, pruinæ canæ, Gratiæ decentes, myrtus uiridis, luci umbrosi, mors pallida. Sed me ad Scaligerū refero nō dimittentē. Horatiū is in hac ode multa reprehendit. in primis illud. *Dum graues Cyclopum Vulcanus ardens urit officinas.* Ait Vulcanum non urere officinas, aut caminos, quoniam deficerent. at nō deficiunt, inquit, quasi Horatius re uera Vulcanum officinas urere significare uoluisset. Atqui non urere, sed adeo operi, quod igne perficitur, Vulcanum esse intentum significat, ut, cum non urat officinam, urere tamen uideatur. sic sæpisime loquuntur poetæ. ut. *Nox humida cœlo præcipitat.* i. præcipitare uidetur, &, *suadentque cadentia sidera somnos*, quomodo sidera somnos suadere possunt?

at quodam modo suadere uidentur. sic illud, *Massyliq; ruunt equites.* hoc est ruere uideri poterant. Et quia duxerat trahuntq; siccas machinæ Carinas, quærit quænam machinæ Carinas siccas trahant. in aqua sane, inquit, fluitant. Quod si (subiungit) dicas hyeme subductas deduci, in mare, neutiquam id machinis, aut tractu fit, sed pulsu, phalis subiectis. profecto ego nescio. quomodo in mare deducuntur naues, nisi machinis. quid censemus machinas esse, nisi instrumenta, quibus moles quocunque uolumus, impellimus? quicquid illud sit, & quouis alio nomine appelletur id, quo naues detrudimus, ac mouemus, ego machinam uocarem, siue phali, seu quiduis aliud sint. Accedit, quod, graues, Epithetum officinarum non probat. quod non putauit ad Cyclopas incumbentes referri, sed tanquam proprium Epithetum poetam officinis tribuisse. At graues officinas sic uocauit, non quod tales sint, sed ab effectu, quod Cyclopibus graues, hoc est molestæ, atque inuisæ sint, ab effectu enim plerumque ducimus Epitheta. vt cum pallidam, frigidam appellamus mortem. Non contentus his uulneribus aliam plagã poetæ imposuit. ait enim quid Gratijs choros ductantibus cum marculis Cyclopum? quid prohibet Vulcano enixe, atque anxie incumbente Venerem cum Gratijs choros ducere? inepta ne fictio? quid absurdi? an ab re est, Venerem uere ineunte ludere, quamuis ipsius uir Vulcanus laboret? At decorum est Venerem ludere. & Vulcanum tela, ac fulmina Ioui conficere, eo præsertim tempore, quo usui Ioui esse incipiunt. Vere enim atque Aestate Iupiter fulmina iaculatur. Domum uero Plutoniam, quod idem etiam notauit, quis non intelligat uel superioris regionis comparatione exilem uocatam a poeta? uel si simpliciter locutus est, quid uitij fuit sic appellare illam regionem, quam tam latam, atque amplam fuisse nihil interest, cum inanes tantum umbras, corpore carentes, nihil loci occupantes recipiat? Quare Virg. in vj.

Perq; domos Ditis uacuas, & inania regna. dixit & in eodem.
Et ni docta comes tenues sine corpore uitas
Admoneat uolitare caua sub imagine formæ, Irruat. ij.Aen.
De Creusa.
Ter conatus ibi collo dare brachia circum,
Ter frustra comprehensa manus effugit imago,
Par leuibus uentis, uolucriq; simillima somno.

& in iiij. Aen. mortuorum animas umbras uocat. ibi.

Vel pater omnipotens adigat me fulmine adumbras
Pallentes umbras herebi. Sic Hom. νεκύων ἀμίνηνα κάρηνα. idest euanida, quæ ueluti fumus euanescunt mortuorum capita, appellauit. quid igitur mirum si poeta Plutoniam domum exilem uocauit?

AD PYRRHAM. Od. V.

Miseros esse, qui illius amore teneantur, se ex eo, tanquam è naufragio, enatasse.

QVIS *multa gracilis te puer in rosa*
Perfusus liquidis urget odoribus
Grato Pyrrha sub antro?
Cui flauam religas comam
Simplex munditijs? heu quoties fidem,
Mutatosq; Deos flebit, & aspera
Nigris æquora uentis
Emirabitur insolens,
Qui nunc te fruitur credulus aurea:
Qui semper uacuam, semper amabilem
Sperat, nescius auræ
Fallacis. miseri, quibus
Intentata nites. me tabula sacer
Votiua paries indicat vuida
Suspendisse potenti
Vestimenta maris Deo.

COMMENTARII.

In rosa, in delicijs. sic poetę, atq; etiam oratores locuti sunt. Prop. lib. iij.
Me iuuat & multo mentem uincire Lyeo,
Et caput in verna semper habere rosa. Cicer. Tusc. v. An tu me in uiola, aut in rosa putas dicere. Idem de Fin. de M. Regulo. Quem quidem cum sua uoluntate, nulla ui coactus, præter fidem, quam dederat hosti, ex patria Carthaginem reuertisset, tamen ipsum cum uigilijs & fame cruciaretur, clamabat uirtus, beatiorem fuisse quam potantem in rosa Thuriam.

Perfusus, sic dicimus perfusum lachrymis, sanguine, flumine, nectare, sanie, ut apud Virgilium, qui translatè hac uoce usus est. sic armaq; & ostro perfusus uestes, quod in ij. Georg. dixerat illusas auro uestes. & Papauera somno Letheo perfusa, illud elegantissimum fuit, cum dixit Luciferum perfusum undis Oceani. Sic puluere perfusum, Iuuentutem oleo perfusam nitescere. Tib. uero *nec quisquam multo perfusum tempora Baccho excitet*. quid illa apud Cic. uoluptate dulcedine, horrore perfundi.

Vrget, uerbo minus obscæno usus est. abstinuit a proprio, quod diligenter obseruauit uerecundiores poetæ. Contra Epigrammatum, Satyrarumq; scriptores id minime curant. nullum enim uerborum genus est, tam fœdum, quod ipsi repudient. urget autem hic ualet in Venerem anxius incumbere. Cuius uim his versiculis descripsit Catullus ad Flauium.

Nam te nec uiduas iacere noctes
Nequicquam tacitum cubile clamat,
Sertisq;, Assyrio flagraris oliuo,
Puluinusq; peræq;, & hic, & illic
Attritus, tremuliq; quassa lecti
Argutatio, inambulatioq;. Hic ego Alexandri Guarini lectionem reciperem, legentis Sertis, ac Syrio flagrans oliuo. Sed ostendit me, cum uerbum flagrans ad ardentem æstum libidinis, refert, cum de unguẽtis, atq; odoribus sit mentio. fragrans quidem nullo pacto uersus potest admittere syllaba refragante. quare ego libentius legerem sertisq; ac Syrio madens oliuo. Ouid. enim sic locutus est, scilicet capillos madidos myrrha. Anacreon καταβρέχειν verbo id significauit ibi, ἐμοὶ μέλλει μύροισι καταβρέχειν ὑπήνην. idest mihi curæ est unguentis irrigare barbam.

Religas comam, sic alibi poeta, maturet in comptum Lacenæ more comam religata nodum. &, est ederæ uis multa, qua crines religata fulges.

Aurea, idest pulchra. sic Virg. vj. Aen. Quem capta cupidine coniux Aurea percussum uirga, uersumq; uenenis fecit auem Circe. & lib. Venerem auream, anumq; auream uocauit.

Emirabitur insolens, Scaliger putat hoc uerbum languidiusculum, neq; explere ambitum animi amatoris, cum merus furor sit. emendatq; detestabitur. nihilominus non damnare simulat. & addit, nempe stuporem uoluit intelligere. at mihi magnam habere uim uidetur uerbum, & proprie illud, quod ille desiderat, designare. quid enim est mirari, nisi ex aliqua noua, atque inusitata re obstupescere? Sic Virg. hoc uerbo usus est. cum inquit.

Grandiaq; effossis mirabitur ossa sepulchris &
Ipsa suas mirantur Gargara messes, Sic
Nec tantum Rhodope miratur, & Ismarus Orphea
Quantum omnis numerus gaudet cantante Sileno. Similiter, Et mirata suos requirunt flumina cursus. res neque probatione, neque exemplis ullis indiget. non ne in his stupor apparet? stupidus quidem is est, qui id non sentit. Sed si stupor fuit significandus, quorsum emendare detestabitur? quid huic uerbo cum stupore?

Quæ semper uacuam, semper amabilem, sic Cat.
Pauca nunciate meæ puellæ,
Non bona dicta.
Cum suis uiuat, ualeatq; mœchis,

Quos

Quos simul complexa tenet trecentos,

Nullam amans uere. Hoc quæruntur passim qui amant. Sed uidendum quomodo acceperit hoc loco poeta uerbum, amabilem, nemo ignorat amabilem esse eum, qui amari dignus est. ἐράσμιος græcis. Sed id non uidetur hic significari, uerum potius pro amante positum. hoc sensu. misceti qui sperant te semper uacuam, esse amatoribus, aut semper amare.itaq; existimo in aliam uim uerbi significationem traductam.

Aura fallacis, respondet superiori allegoriæ. & aspera nigris æquora uentis. quod uero ait,me tabula sacer uotiua paries &c. alludit ad morem, qui hodie etiam apud nos durat, suspendendi tabellas uotiuas in templis, cuius Tib. etiam testis est. ibi. *Nunc Dea, nunc succurre mihi, nam posse mederi Picta docet templis multa tabella tuis*. Siquis autem natnram huius sententiæ spectet, intelliget esse obiurgationem. & propterea sub Acrimoniæ formam redigendam. σφοδρότητα appellat Hermog. subtilissimus auctor in arcanis, quæ ad omnia orationum genera pertinent, aperiendis. parum distat hæc forma ab Asperitate, quam ille Τραχύτητα uocat. In eo tamen differunt,ut alibi dicemus,quod Asperitas maiores obiurgat, illa uero inferiores. has ab increpandi officio ἐπιτιμητικὰς, καὶ ἐλεγκτικὰς nominauit. In Acrimonia nulla lenitate utimur in reprehendendo, nullaq; correctione. quod obseruauit poeta in meretriculam acerbe inuectus. Huius figuræ propria est interrogatio, qua uel in carminis initio usus est. huic Generi uerba duriora, atque asperiora conueniunt. duriuscula sunt, gracilis, puer in rosa, perfusus urget odoribus. grato antro. religas, nigris æquora uentis, emirabitur, fruitur. qui sonus ex r. litteræ frequentiori concursu in constructione factus est. quod aures facile iudicare possunt.

Num uero minus artis, ac diligentiæ in hac oda adhibitum est in re uestienda, atque ornanda? Quis te in delitijs fruitur? cui placere studes? sæpe illum pœnitebit, qui in expertus, te sine amatoribus putat esse, & amare ego expertus sum hanc perfidiam meo periculo. hę sunt minutæ, & simplices sententiæ. primam sententiam illustrauit ijs, quæ uoluptatem cőficiunt eligendis, ut rosis, & unguentis. quæ duo in summis uoluptatibus adhibebant. quod sæpissime legitur apud hunc poetam. Sic hoc lib. Od. xxxvj.

Neu desint epulis rosæ,
Neu uiuax apium, nec breue Lilium. & lib. ij. Od. vij.
Funde capacibus
Vnguenta de conchis, quis udo
Deproperare apio coronas,
Curatve myrto? &
Cur non sub alta uel Platano, uel hac
Pinu iacentes sic temere, & rosa
Canos odorati capillos

Dum

Dum licet, Aſſyrioq; nardo
Potamus uncti?

Idem Græci ſecuti ſunt. Anacreontis ſunt verſiculi ſuauiſsimi.

Τί σε δεῖ λίθον μυρίζειν;
Τί δὲ γῇ χέειν μάταια;
ἐμὲ μᾶλλον, ὡς ἔτι, ζῶ
μύρισον. ῥόδοις δὲ κρᾶτα πύκασον. ideſt quid lapidem, ideſt ſepulchrū ungere opus eſt? Quid in terram fruſtra fundere? me potius, qui uiuo, unge, caputq; roſis orna. itaque ſic roſam laudat.

ὦ ῥόδον φέριστον ἄνθος, ῥόδον ἔαρος μέλημα, ῥόδα καὶ θεοῖσι τερπνά, ῥόδα παῖς ὁ τῆς κυθήρης στέφεται καλλοῖς ἰούλοις χάρισιν συγχορεύων. ideſt o roſa pulcherrime flos. roſa ueris cura. roſa Dijs grata. roſa puer Veneris coronatur capillos cum Gratijs choros ducẽs. Secunda ſententia erat. cui placere ſtudes? Non diſsimili conſilio id aſciuit, quo adhibito mulieres placere uolunt nempe capitis ornatum. quod expreſsit Virg. iiij. Aen.

Crines nodantur in aurum. & Tib. lib. j. Eleg. ix.

Tu ne putas illam pro te componere crines?
Aut tenues denſo pectere dente comas? Hor.
Nec ſola comptos at ſit adulteri
Crines, Ouid. primo Amorum.
Colligere incertos, & in ordine ponere crines. Idem Hor.
Aut teretis pueri longam renodantis comam. quod declarat pueros impudicos etiam comam alere, atque ornare. Hinc illa paſsim apud uarios poetas. Ornare, fingere, pectere, componere comas. Hoc quidem inter cætera ad pulchritudinem erat comparatum. Quid illud quomodo exornauit? Sæpe illum pœnitebit, qui inexpertus, te ſine amatoribus eſſe, & ſemper amare putat? aſſumpſit ea, quæ pœnitentiæ ſunt argumenta, eum ſcilicet, qui deceptus ſit, a meretrice, fidem, & Deos, quos conſtantes ſibi propoſuerat, fleturum. quod accidit ijs, qui pœnitentia ducuntur. uim autem addit ſententiæ, exclamatione. Illa autem allegoria admirabilis, qua ſignificatur fortunæ mutatio. Poſtremum erat, Ego hanc perfidiam ſum expertus meo periculo. conſecutus eſt allegoria, & ſimilitudine excellenti, ſe quoniam ſeruatus ſit eo naufragio, nautarum more ueſtimenta ſua Neptuno ſuſpendiſſe. uide ut ne unum quidem ferè uerbum ſimpliciter protulerit. Hinc unuſquiſque ſecum ſtatuere poteſt, quam ſit difficile ita ſcribere. Verba, quæ reddunt orationem elegantem ſunt, perfuſus odoribus, religare comam, flere fidem, & Deos mutatos, eſſe uacuum, neſcius auræ fallacis, ſuſpendere veſtimenta Dijs. Nec uero inopportuna ſunt Epitheta. puer gracilis, odores liquidi, flaua coma, uenti nigri, aura fallax.

AD

AD AGRIPPAM Od. VI.

Bella ab eo gesta a Vario cantatum iri: se conuiuijs tantum, & amoribus describendis aptum esse.

Scriberis Vario fortis, & hostium
Victor, Mæonij carminis alite,
Quam rem cumq; ferox nauibus, aut equis
Miles te duce gesserit.
Nos Agrippa, neque hæc dicere, nec grauem
Pelidæ stomachum cedere nescij,
Nec cursus duplicis per mare Vlyssei
Nec sæuam Pelopis domum
Conamur, tenues grandia dum pudor,
Imbellisq; Lyræ Musa potens uetat
Laudes egregij Cæsaris, & tuas
Culpa deterere ingeni.
Quis Martem tunica tectum adamantina
Digne scripserit? aut puluere Troico
Nigrum Merionen? aut ope Palladis
Tydidem superis parem?
Nos conuiuia, nos prælia Virginum
Sectis in Iuuenes unguibus acrium
Cantamus uacui, siue quod urimur,
Non præter solitum leues.

COMMENTARII.

Huic ualde similis est Ode xij. libri secundi. Hic laudaturus Agrippam, a communi, tritaq; consuetudine se eximit poeta. quæ singulas laudes numerat. qui mos, quoniam triuialis est, mihi nunquam est probatus. de quo dicebamus ad Odem xxvj. ad Lamiam. excellentiori iudicio, atque ingenio præditi longe aliam rationem sequuntur. In primis id Hor. animaduertit. qui, ut maiori laude afficiat Agrippam, se extenuans, illustrem eius uirtutem magis extollit. quæ ratio pulchrior uidetur. habet enim dissimulationem non ingratam. Hinc multa argumenta sumpta sunt a nostri temporis poetis, qui, quo magis uires suas extenuarunt, eo illustriorem personarum laudem fieri existimarunt. Sane ea, ad quæ ornanda optimus poeta fatetur uiribus suis diffidere, quæq; nobilioris poetæ operam, studiumq; requirunt, maxima esse necesse est.

Vario, Varius poeta Epicus fuit egregius, etiam Virgilij testimonio. de quo sic loquitur,

Imo ego nec Vario uideor, nec dicere Cinna

Digna, sed argutos inter strepere anser olores.

Huius non semel Hor. in Epistolis, & in Arte poetica meminit. Is dicitur Tragœdias etiam scripsisse, in quibus Thyestes, auctore Quinctiliano lib. x. cuilibet Græcorum comparari potest. Gyraldus Lil. in Dialogo octauo de Latinis poetis eandem Tragœdiam a Virgilio scriptam prodidit ex Donati, ac Seruij sententia. Cum enim Varius uxorem haberet ualde litteratam, cum qua Virgilius consuetudinem haberet, ei dedisse fabulam fertur, quam ipse composuisset, Vxor uero Marito, Maritus pro sua recitauit. quam rem per allegoriam Virgilium intellexisse in Bucolicis, quidam ex Commentarijs tradidere, ubi sic inquit:

An mihi cantando uictus non redderet ille,

Quem mea carminibus meruisset fistula caprum?

Si nescis meus ille caper fuit, & mihi Damon

Ipse fatebatur: sed reddere posse negabat. Idem auctor Thyestem hanc addit non Virgilij, sed Cassij poetæ fuisse, ex aliorum sententia. Quod uero Varium, & Varum unum, atque eundem esse plerique putauerunt, falsum id existimatum fuisse affirmat: ait enim eodem tempore duos Vari nomine fuisse, quorum unus Quinctilius Varus, qui prior fuit, dictus sit. alter L. Varus, qui & poeta, & Grãmaticus fuit. Isq; est, cui cum Plotio Tucca Augusti mandato post Virgilij mortem Aeneidos emendandæ negotium traditum est. Accedit, quod idem auctor, in hac re explicanda diligens, addit, fuisse nonnullos, qui L. Varum perperam eũdem cum Quinctilio Varo existimarunt. Sed de Alpheno etiam Varo meminit, de quo Catullus, & Horatius, quem Cremonensem Porphyrion fuisse narrat, domiq; sutrinam fecisse.

Fortis, quod requiritur in Imperatore, ut est pro lege Manilia apud Ciceronem.

Mæonij carminis, Carminum maiestatem significat. qualis Homeri fuit. sic Homerum appellat lib. iiij. Od. ix.

Non si priores Mæonius tenet

Sedes Homerus.

Nauibus aut equis, aut nauali, aut terrestri bello. alij narrant, quod ad Historiam attinet.

Nec grauem, ait se non esse tanti, ut digne de illustribus, ac fortibus uiris possit dicere. pro omnibus autem uiris fortibus Achillem, atque Vlyssem assumit. quod etiam a Virgilio factum in laudibus Italiæ meminerat. qui non dixit Italiam multos ac præclaros uiros genuisse, sed nonnullos præcipuos selegit. Sic:

Hæc Decios, Marios, magnosq; Camillos,
Scipiadas duros bello, & te maxime Cæsar
Qui imbellem auertis Romanis arcibus Indum. Idem fecit lib.ij. Oda xij. nam cum uellet dicere non esse Lyrico Carmini bella committenda, elegit Numantinum, & Punicú bellum, & pro fortißimis Imperatoribus Hannibalem, atque Herculem. de quibus dicere maximum esset periculum. sic pro tragœdijs Pelopis domum, de cuius domo tot tragœdię sunt confectæ, elegit.

Nec sæuam Pelopis domum, huius domus, atque huius argumenti tractatio, cum tragica sit, & propterea maximum, difficillimumq; negotium, se minus idoneum esse ad id fatetur. quo significat grauiora argumenta ad se nequaquam pertinere. de domo Pelopis, de Atreo, & Thyeste nemini ignotum est.

Tenues grandia, antitheta sunt, ab ornatu non aliena.

Dum pudor, extenuat se. id autem ualde ad gratiam proficere ab Hermogene traditum est in ea forma, quam ille ἐπιείκειαν, Latini Modestiam uocarunt. qua qui in dicendo utuntur, id consequuntur, ut, cum amabiles mores, humanitatemq; præseferunt, magnam apud omnes gratiam ineant. quod sensit Cic. in Partit. de suauitate orationis. Maxime, inquit, mouet ea, quæ motum aliquem miscet oratio, quæq; significat oratoris ipsius amabiles mores. qui exprimuntur aut significando iudicio ipsius ex animo humano ac liberali, aut inflexione sermonis, cum aut augendi alterius, aut minuendi sui causa, alia dici ab Oratore, alia existimari uidentur. idque comitate fieri magis, quam uanitate. Hanc sibi Virgilius gratiam conciliare uoluit, sic modeste faciens:

Sin has ne possim naturæ accedere partes,
Frigidus obstiterit circum præcordia sanguis,
Rura mihi, & rigui placeant in uallibus amnes,
Flumina amem, siluasq; inglorius.

Imbellisq; Lyræ, Carmen Lyricum non esse aptum rebus grauioribus sæpe dixit. lib.ij. Od. prima sic Musam arguit:

Sed ne relictis Musa procax iocis
Ceæ retractes munera Neniæ,
Mecum Dioneo sub antro
Quære modos leuiore plectro, & lib.iij. Od.iij.
Desine peruicax
Referre sermones deorum, &
Magna modis tenuare paruis. Scaliger hic, magis, inquit, arridere, si legamus, Imbellisq; lyræ Musa uetat potens. atqui omnes libri, quos uidi, ita habent. Sed aures iudicent, utra lectio sit suauior.

Deterere, elegans translatio. Tenuare, dixit in superiori exemplo.

Quis Martem, rem admodum difficilem proponit. Nos hunc locum sic aliquando sumus imitati ad Paulum Rhamnusium, singularis eruditionis, & suauitatis uirum, scribentes:

Quis speret iratum Encelado Iouem
Telo trisulco dicere? dum quatit
Moles Gigantum, quo profundis
Sedibus intremuit Megera.

Adamantina, infrangibili. Sic alibi poeta.

Si figit adamantinos
Summis uerticibus dira necessitas
Clauos. Ideo Propert. inferorum portas ex adamante dixit esse:
Non exorato stant adamante uiæ: & Virg.
Porta aduersa ingens, solidoq; adamante columnæ,
Vis ut nulla uirum, non ipsi exscindere ferro
Cælicolæ ualeant. Lege prouerbiorũ auctorẽ in prouerbio, Adamãtinus.

Egregij, honestissimum est Epitheron. Virg. Vrbes egregias, gentem bello egregiam, progeniem uirtute egregiam futuram, animas egregias, iuuenem egregium *præstanti mulier e donat*, dixit. Cic. Lælium in laude Bellica egregium appellat.

Puluere, idest in campo, & in bello Troiano. Ob puluerem, qui immensus a multitudine copiarum excitatur. quare sic Od. vj. lib. iiij. *Posuitq; collum puluere Teucrio.* de hoc puluere sæpe apud Virg. Sic Hom. Il. γ.

ὥς ἄρα τῶν ὑπὸ ποσσὶ κονίσαλος ὤρνυτ' ἀελλὴς ἐρχομένων: idest, sic pedibus euntium procellæ puluis excitabatur. postremũ illud fit in hac Oda. Cum se rebus grauioribus minus aptum uellet ostendere, leuioribus uero aptiorem esse, sententiæ lumen affert, quibusdam eligendis, quæ procul dubio magna sunt. Nam Achillis indignatio ob sibi raptam Bryseidam ab Agamemnone, quod materiam Homero subministrauit, deinde Vlyssis errores, quibus enarrandis non alia quam ipsius poetæ eloquentia opus fuit, grauissima argumenta fuere. Pelopis domum adiunxit, cuius infelicitatem nulli comparandam siquis stylo prosequi aggrediatur, summus, atque admirabilis sit necesse est. Tragœdiæ enim argumentum id est, quod uerborum, ac sententiarum maiestatem postulat. Leuissimæ autem cum sint cõuiuiorum sententiæ, atque amorum, ea pro quibusuis leuissimis assumpsit, quæ parum, aut nihil ponderis haberent. Verba, atque Epitheta per se adolescentes inuestigent.

Nos conuiuia, hoc argumentum esse Lyricorum nemo magis declarat, quam Anacreon: cuius omnes fere Odę huc spectant. & Hor. in Poet. confirmat, cum inquit:

Musa dedit fidibus diuos, puerosq; deorum,
Et pugilem uictorem, & equum certamine primum,

Et

Et iuuenum curas, & libera uina referre.

Sed, quamuis hoc peculiare sit huic generi, nihilominus existimarem nullam esse sententiam, quam non possit recipere. (nolo tamen his Iliadem committere) multa quidem grauissima hac poesi Græcos Lyricos tractasse exemplo est Alcæus. de quo Hor. ipse lib. ij. Od. xiij.

Et te sonantem plenius aureo
Alcæe plectro, dura nauis
Dura fugæ mala, dura belli.
Vtrumq; sacro digna silentio
Mirantur umbræ dicere, sed magis
Pugnas, & exactos tyramnos
Densam humeris bibit aure uulgus. Accedit quod ex ueteribus extitere, præter Alcæum, qui Lyrico carmine bella persecuti sunt. sanè Pindarum in magnis sententijs sublimiter esse uersatum, nemo doctus ignorat.

AD MVNATIVM PLANCVM. Od. VII.

Alias alijs, sibi Tiburtinam regionem placere.
Cohortatio ad uoluptates.

LAVDABVNT alij claram Rhodon, aut Mitylenen,
Aut Ephesum, bimaris ve Corinthi
Mœnia, uel Bacho Thebas, uel Apolline Delphos
Insignes, aut Thessala tempe.
Sunt; quibus unum opus est, intactæ Palladis urbem
Carmine perpetuo celebrare, &
Vndiq; decerptam fronti præponere oliuam.
Plurimus in Iunonis honorem
Aptum dicet equis Argos, ditesq; Mycenas.
Me nec tam patiens Lacedæmon,
Nec tam Larissæ percussit campus opimæ,
Quam domus Albuneæ resonantis,
Et præceps Anio, & Tiburti lucus, & udis
Mobilibus pomaria riuis.
Albus ut obscuro detergit nubila cœlo
Sæpe notus, neque parturit imbres
Perpetuos, sic tu sapiens finire memento
Tristitiam, uitæq; labores
Molli, Plance, mero; seu te fulgentia signis
Castra tenent, seu densa tenebit

Tiburis

Tiburis unda tui. Teucer Salamina, patremq;
Cum fugeret, tamen uda Lyæo
Tempora populea fertur uinxisse corona,
Sic tristes affatus amicos.
Quo nos cumque feret melior fortuna parente,
Ibimus, o socij, comitesq;.
Nil desperandum Teucro duce, & auspice Teucro.
Certus enim promisit Apollo,
Ambiguam tellure noua Salamina futuram.
O fortes, peioraq; passi
Mecum sæpe uiri, nunc uino pellite curas;
Cras ingens iterabimus æquor.

COMMENTARII.

Laudabunt, alios alia laudare ostendit. Res habet insignem uariationem, quam Hermogenes ἐπιμονὴν, alij συνωνυμίαν, Quinctilianus uerborum cōgregationem, auctor ad Her. Interpretationem appellauit. figura est ualde accommodata ad satietatem uitandam. Itaque frequentissime ab Oratoribus, ac poetis adhibita. turpe enim est, si idem uerbum sæpius citra figuram repetatur. accedit, quod orationis paupertatem arguit. Hæc autem uariatio eadem est cum ea, qua usus poeta est in prima Od. primi libri. & qua præcipue totum carmen ornauit. qua quidem significat alios alijs studijs detineri, illisq; tantum delectari. ibi sic: *Sunt quos curriculo puluerem Olympicum Collegisse iuuat*. Et: *Est qui nec ueteris pocula Massici, Nec partem solido demere de die Spernit*. Et, *Manet sub Ioue frigido Venator*. Et: *Me doctarum hederæ præmia frontium Dijs miscent superis:* quod artificium hic quoq; secutus est. quod si cum illo conferas, nihil discrepare intelliges.

Rhodon claram, multæ rationes afferri possunt, præter eas, quæ alij collegerunt, quamobrem poeta hoc Epitheto hanc urbem ornauit. artes quidem id meruisse potuerunt, quibus Rhodos claruit, in primis liberalium artium studia, ut Philosophiæ, Mathematices, unde celebre est illud Aristippi Socratici. cum enim is naufragio in Rhodiorum litus forte esset delatus, figurasq; Geometricas in arena descriptas conspexisset, lætatus dixisse fertur, Bene sperandum: hominum enim uestigia cerno. potissimum uero oratoria facultate insignis habita est. ad quam addiscendam Romanos adolescentes accessisse solitos proditum est. Cicero quidem ipse Rhodi Molonem audiuit. & eius insulæ oratores cognouit. ut non ab re bene locutos Rhodios existimatum sit. Ad Atticismum siquidem isti proxime accesserunt. melioremq; quam Asiatici dicendi rationem sunt secuti. quorum sic meminit Cicero in Bruto: Hinc Asiatici Oratores non contemnendi

quidem

quidem nec celeritate, nec copia, sed parum pressi, & nimis redundantes. Rhodij saniores, & Atticorum similiores. Claruit Rhodos egregijs artificibus. In ijs Cares, a quo Colossus est constructus, ex Lyndo urbe opulentissima fuit. horum artificum insignium argumenta sunt septingenta tria millia figurarum, & amplius, quæ fuisse Rhodi memorantur. Cum hæc omnia Insulæ claritatem attulerint, uero tamen similius uidetur, quod scribit Plin. lib. ij. cap. lxij. Rhodi & Syracusis nunquam tanta nubila obduci, ut non aliqua hora Sol cernatur. quamobrē Rhodon ab Ouid. lib. vij. Met. Phœbeam uocatam putarim. uel, si cui magis placet, quod Pind. Olymp. vij. in qua commendatur Diagoras Rhodius pugil, de Rhodo sic cecinit.

Καὶ νῦν ὑπ' ἀμφοτέρων
Σὺν διαγόρᾳ κατέβαν τὰν ποντίαν
Υ'μνέων παῖδ' ἀφροδίτας
ἀελίοιό τε νύμφαν
ῥόδον, εὐθυμάχαν, hoc est, Nunc cum utrisque, scilicet tibijs, & lyra, cum Diagora descendi, æquoream celebrans filiam Veneris, Solisq; Vxorem Rhodum bellicosam. quibus significat, Rhodum unam ex Nereidibus fuisse. quam conspectam cum Sol adamasset, rapuit, cum eaq; concubuit in cognomine Insula. ut Interpres in Pindarum adnotauit. additq; ex Herophili auctoritate Neptuni & Veneris filiam Rhodum fuisse. ex qua sic Insula denominata sit. ibi uariæ sententiæ afferuntur, quare Insula hoc nomen fuerit adepta. Non prætermittam quod idem poeta de Rhodo scripsit in eadem ode ad Insulæ felicitatem declarandam, aurum aliquando in eam pluisse. sic, inquit: *ἔνθά ποτε βρέχε θεῶν βασιλεὺς ὁ μέγας χρυσέαις νιφάδεσσι πόλιν*. idest, Vbi quondam irrigauit deorum ille rex magnus aureis niuibus ciuitatem. quod consentit cum illo Homeri de Rhodo: *Καὶ σφι θεσπέσιον πλοῦτον κατέχευε κρονίων*. i. Et in ipsis ingētes diuitias infudit Iuppiter.

Me nec tam patiens Lacedæmon, *αἱμακουρίας* significat, Lacedæmonem patientem appellans propter pueros, qui ad aras inducebantur, & ad disciplinam patiendi instituebantur, cum flagris, quousq; sanguis efflueret, cæderentur. ex quo sic factum est uocabulum. Id singulis annis in Pelopis memoriam faciebant Peloponnesij. quo cruore Pelopi litabant. id autem faciebant ad Herois fortitudinem indicandam, nihil illi dignius tribui posse existimantes. Nec me latet per *αἱμακουρίας* inferias mortuorum significari. ut est apud Pind. Od. prima Olymp. de Pelope. *Νῦν δ' ἐν αἱμακουρίαις ἀγλααῖσι μέμικται Ἀλφεοῦ πόρῳ κλιθεὶς τύμβον ἀμφίπολον ἔχων πολυξενωτάτῳ παρὰ βωμῷ*. idest, nunc autē in exequijs splendidis mixtus est iuxta Alphei uadum reclinatus, tumulum habens circumnreabilem apud aram hospitibus frequentissimam.

Domus Albuneæ, de hac Lil. primo Syntag. Hist. Deorum. Secundo autem. lib. Hist. poetarum inter Sibyllas numerat.

Albus

Albus ut obscuro, a simili. curas non debere esse perpetuas, sicut nec perpetuos imbres inducit Notus. Hanc sententiam sic uariauit Ode ix. libro tertio.

Non semper imbres nubibus hispidos
Manant in agros, aut mare Caspium
Vexant inæquales procellæ
Vsque, nec Armenijs in oris
Amice Valgi stat glacies iners
Menses per omnes; aut Aquilonibus
Querceta Gargani laborant,
Et folijs uiduantur orni. Sic lib. primo Od.x.
Informes hiemes reducit
Iuppiter, Idem submouet,
Non si male Nunc, & olim
Sic erit, quondam cithara carentem
Suscitat Musam, neque semper arcum
Tendit Apollo.

Tristitiam, uitæq; labores, ut hilariter uiuamus, curæ sunt amouendæ, tale est illud Anacreontis. τί μοὶ πόνων τί μοὶ γόων; idest quid mihi cum laboribus, ac luctibus? Idem ostendit Horat. lib. Od. xxvj. huius libri ualde eleganter,

Musis amicus tristitiam, & metus:
Tradam proteruis in mare Creticum
Portare uentis, quis sub arcto
Rex gelidæ metuatur oræ.
Quid Mithridatem terreat unice Securus.

Molli, Plance, mero, ad uoluptatem inuitat, quæ maxime comparatur bibendo. quare poeta alibi ait Scyphos in usum lætitiæ natos. id pluribus ex locis animaduertes, tum ex Anacreonte, ex quo sumptam hanc sententiam puto. quam tam crebro ab eo usurpatam scimus. Huic similes non pigebit unum in locum conferre. vt imitari uolentibus præsto sint. quod multum ad hanc sententiam conducere, nemo, nisi rudis fortasse aliquis, negarit. equidem in hoc poeta inter cætera id profiteor. plures autem sunt huiusmodi sententiæ, quibus amicos ad uoluptatem, hilaritatemq; inuitare poeta solet. ut illa libri primi Ode ix.

Benignius
Deprome quadrimum Sabina
O Thaliarche merum dyota. & Od.xj. eiusdem libri.
Sapias, uina liques, & spatio breui
Spem longam reseces. non aliter Od.xvij.
Hic innocentis pocula Lesbij

Duces sub umbra. Ode autem xviij.
Siccis omnia nam dura deus proposuit, neque
Mordaces aliter diffugiunt solicitudines. Od. autem xxxvij. sic:
Nunc est bibendum. in ij. autem libro Ode iij.
Huc uina, & unguenta, & nimium breuis
Flores amœnæ ferre iube rosæ. vij. eiusdem libri hoc pacto:
Cum quo morantem sæpe diem mero
Fregi coronatus nitentes
Malcbathro Syrio capillos &c. xj. vero:
Cur non sub alta uel platano, uel hac
Pinu iacentes sic temere, & rosa
Canos odorati capillos
Dum licet, Assyriaq; nardo
Potamus uncti. similiter Od. xiiij. lib. iij.
I pete unguentum puer, & coronas
Et cadum Marsi memorem duelli. Od. xxj. tota.
O nata mecum Consule Manlio: & Od. xxviij.
Prome reconditum,
Lyde strenua cæcubum. quære & xvij. lib. iij.

Cras Genium mero curabis. huius argumenti est xix. lib. iij. tota. ad Telephum, & xxviij. eiusdem libri ad Lyden, Item quę ad Męcenatem scribitur xxix. præterea initium Odes xj. lib. iiij. ad Phyllidem, tum Od. xij. eiusdem libri. ad Virg. nec omittendus finis Od. ix. Epod. ad Mæcenatem.

Fulgentia signis, fulgentia propter imagines brutorum, quæ in signis effingebantur, quas ex auro fuisse putandum est. imagines autem fuere Aquilæ, Lupi, Minotauri, Equi, Apri, quibus præeuntibus legiones deducere, & ferro decernere mos fuit. auctor dierum Genialium obseruauit Imperatorum etiam imagines in acie deferri solitas pro signis.

Seu densa tenebit, sensus est, siue militiæ, siue ruri esse iuuabit. Rude fuit, quod primum in mentem venit poetæ. id autem fuisse putandum est. Alios alia loca delectant. Ego Tiburtina regione delector. Tu uoluptati indulge. Cum sæpe de assumptione generis, & speciei dixerim, opus non est, ut toties idem repetam. tantum monebo poetam eodem artificio esse usum ad ornandam, & ampliandam, primam sententiam, multis urbium speciebus assumendis, secundum ornauit Tiburtinæ regionis, & Lacedæmonis, tum Larissæ comparatione, his suam regionem anteponens. Comparatio quidem id præstat, quod eius beneficio res crescit, & id oratori, uel poetæ adiumenti affert, quod, siquando ad rem, uel ad personam laudandam defuerint argumenta, huius auxilio orationem possunt extendere. quod ab Isocrate factitatum primo Rh. scribit Aristoteles. ubi de hac ipsa re præcipit. his uerbis: Κἂν μὴ καθ᾽ αὑτὸν. εὐπορῇς, πρὸς ἄλλους ἀντιπαραβάλλειν. ὅσπερ

Ισοκράτης ἐποίει. ideſt, quod ſi ex perſona eius, qui laudatur, non ſufficient argumenta ad ipſum ornandum, ad comparationes erit confugiendum. Quid, ſi id poetæ ſuccurrerit ad ſuum Tibur extollendum? & icčirco ſe hoc præſidio ſuſtinere uoluerit? Extremam expoliuit ſimilitudine, quæ eſt in aſſumptionibus. vult amicum non eſſe in perpetuis curis, ſimilitudine ducta a Noto. Sicut enim notus non perpetuis nubibus cælum obducit, neque imbres perpetuos parit, ſic vult amicum in curis aſsiduis non verſari. De ſimilitudinis aſſumptione lege lib. iij. de Imitatione. Illud uero, ſcilicet triſtitiam eſſe pellendã pulchrius reddidit elocutione, triſtitiam, & labores uitæ molli mero eſſe pellendos. triſtitiæ uocem ornauit notatione, ſiue definitione quadam. nam nihil eſt aliud triſtitia, quam uitæ labor, ex quo illa naſcitur. Modi dicendi, uerba illuſtriora, figuræ, atq; epitheta ſunt. unum opus eſſe alicui aliquid facere. decerpere aliquid, percuti re aliqua, ideſt delectari. uentos detergere nubila cælo. eoſdem parere imbres. uincire tempora corona. duce, & auſpice aliquo agere. pellere curas. iterare æquor. mœnia Corinthi, Vrbs Palladis, ſunt periphraſes. detergere, parturire, trãslata ſunt. Epitheta uero colligant Adoleſcentes. quæ ſunt in poetis ante omnia notanda. quod ornent, delectent, amplificent, illuminent ſententias, quæq; ſi a uerſibus demas, nil pulchrum, nil iucundum, nil elegans; omnia inſuauia futura ſunt.

AD LYDIAM. Ode VIII.

Oblique iuuenem, quendam, quem Sybarin uocat, ut mollem, & uoluptatibus colliquefactum notat.

Lydia, dic per omnes
Te Deos oro: Sybarin cur properes amando
Perdere: cur apricum
Oderit campum patiens pulueris, atque ſolis.
Cur neque militares
Inter æquales equitet: Gallia ne lupatis
Temperat ora frenis.
Cur timet flauum Tiberim tangere? cur oliuum
Sanguine uiperino
Cautius uitat: neque iam liuida geſtat in armis
Brachia ſæpe diſco,
Sæpe trans finem iaculo nobilis expedito?
Quid latet, ut marinæ
Filium dicunt Thetidis ſub lacrymoſæ Troiæ
Funera, ne uiriles
Cultus in cædem, & Lycias proriperet cateruas?

COM-

COMMENTARII.

Notat Sybarin Adolescentem turpi uoluptate captum, & mollem effectum, omnia uirilia studia neglexisse. numerat autem uarias exercitationes, in quibus antiquitas iuuentutem uoluit uersari uel ad otium turpe fugiendum, uel ad ualetudinem tuendam, uel ad tempora, ac commoda reip. ut, si opus esset, illam sic exercitati, uel patientia, uel laboribus ferendis, uel peritia armorum tractandorum, iuuenes tueri possent. Mira autem fuit ueterum in ijs cura de gymnastica ualde laborantium. Quamobrem multa ad hoc a summis philosophis tractata sunt a Platone, atque Aristotele. de quo studio nec luculentius, nec melius quisquam aut scripsisse, aut scribi posse iudicabit, qui absolutissimos Hieronymi Mercurialis uiri mirifici libros legerit. Socratem accepimus nihil tam propositum habuisse, quàm ut Adolescentia probe gubernaretur. noluit otio marcescere illam ætatem. fortitudinem autem illi sapientes in primis, ac temperantiam spectarunt. quas inesse iuuenti omnino uoluerunt. quæ duo poeta spectasse uidetur. Quæritur enim Sybarin intemperantem, & imbellem esse. puto istorum philosophorum educationem in mentem uenisse poetæ. quippe qui eorum institutis, ac præceptis præclare esset eruditus. Sed huius ætatis disciplinam egregie Virg.lib.ix.Aen. circumscripsit.

Durum a stirpe genus natos ad flumina primum
Deferimus, sæuoq; gelu duramus, & undis.
Venatu inuigilant pueri, siluasq; fatigant,
Flectere ludus equos, & spicula tendere cornu.
At patiens operum, paruoq; assueta Iuuentus
Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello,
Omne æuum ferro teritur. &c. Luc.in Dialogo de Gymnasijs multa in hanc sententiam. Meminerimus autem hanc oden esse eiusdem argumenti cum ea, quæ ad Neobulen scripta est lib. iij.

Tibi qualum Cytherea puer ales,
Tibi telas, operosæq; Mineruæ
Studium aufert Neobule Liparei nitor Hebri.

Per omnes Deos, particula, Per, apta obsecrationibus. vt per liberos, per fortunas, per caput, per cineres. Cic. ad Att.lib.xij. eam multis uerbis agere mecum, per cognationem, quæ mihi cum ea esset, per eum Marium, quem scripsissem, per eloquentiam L. Crasi aui sui, ut se defenderem.

Cur properes, hic arguitur turpitudinis, atque intemperantiæ.

Cur apricum, hic uero ignauiæ, quod abhorreat ab illis studijs, quibus uacet Iuuentus Romana, cum alioqui natura aptus sit ad illas exercitationes, patiens pulueris, atque solis. quæ duo in optimo milite spectantur.

De Campo Martio, & exercitationibus intus, quæ in eo fierent, alibi Hor. lib.iij. Od.vij.

Quamuis non alius flectere equum sciens
Aeque conspicitur gramine Martio,
Nec quisquam citus æque
Tusco denatat alueo.

Cur neque militares, equitandi studium uiro forti & homini libero maxime conueniens esse Plato in Lachete auctor est, bellicis rebus aptissimus equus. Ideo Marti dicatus.lib.iij. Od.xxiiij. poeta inuehitur in Iuuentutem Ro.quæ equitandi artem ignoraret.

Nescit equo rudis
Hærere ingenuus puer;
Venariq; timet, ludere doctior
Seu Græco iubeas, trocho,
Seu malis uetita legibus alea. quanti id facerent, testis est Cato Censorius, qui filium instituit auctore Plutarcho in ipsius uita, qui scribit, cum primum filius per ætatem intelligere potuit, illum literis erudiuit, tametsi Chilonem gratissimum seruum grammaticum domi haberet, qui tum pluribus pueris ludum aperuerat.addit ipsum leges edocuisse, ipsumq; exercendi corporis magistrum non modo iaculandi, tractandi arma, equitandi, sed etiam pugno dimicandi, calorem, & frigus tolerandi, ac rapidos gurgites, & asperrimos fluuios traijciendi artes tradidisse.

Lupatis, Lupatum frenum est, auctore Cœlio, quod Lycon appellant. de quo Virg.in Georg. Causam affert Cœlius, quæ Lambinum diligentem hominem non latuit. Temperet autem recte dixit, ut significaret asperrima fuisse illa frena, & eiusmodi, ut moderari equi febricitatem possent.

Cur timet flauum Tyberin tangere, & hoc aptum Iuuentuti ob necessitatem flumina traijciendi, dum bellum geritur. quamobrem natare discebãt pueri. natationem inter gymnastica militaria ponit Mercurialis. quem de ijs omnibus exercitationibus legere operæpretium est. Scribit Suet. Augustum, fortasse Catonis imitatione, & litteras, & natare, aliaq; nepotes docuisse. tanti autem fuit hoc, ut, Platone auctore in iij.de legibus, probri loco duceretur, siquis neque litteras, neque natare didicisset. de hoc studio meminit lib.iij. Ode xij Hor.

Eques ipso melior Bellerophonte,
Neque pugno, neque segni pede uictus
Simul unctos Tyberinis humeros lauit in undis.

Cur olivum, palæstram intelligit. Huius inuentorem Theseum in Atticis fuisse scribit Pausanias. a quo Cercyonem in omnes hospites immanem, in eos præsertim, qui in luctæ certamen descendere recusassent, interfectum, tradit: mitto Platonem summum athletam fuisse, & a palæstra se ad

philo-

philosophiam contulisse.

Sæpe trans finem, hoc inter puerilium exercitationum rudimenta. hastilia scilicet iacere, sudem torquere, hoc assueti hostem bene, ac certe ferire poterant.

Disco, de hoc alij.

Quid latet, Scaliger hunc etiam locum notat: inquiens: Non sane conuenit, latet Achilles in Scyro sub Troiæ funera. Cur non conuenit? an propterea quod non decet Achillem dehonestare, quod latuisset. ne in bellum Troianum abriperetur? at hoc decorum non oportuit a poeta considerari. Similitudo tantum, & comparatio spectanda fuit. quemadmodum enim Achilli inter filias Lycomedis latere turpe fuit, ita Sybari inter meretrices delitescenti, & Campi Martij certamina detrectanti. Sed simplex illud fuit. cur nulla in re se exercet Sybaris. dilatauit sententiam per breuem, multis exsecrationum speciebus collectis. sic totum carmen ornauit, quod secus frigidum fuisset.

AD THALIARCHVM. Od. IX.

Hieme indulgendum uoluptati.

VIDES, *ut alta stet niue candidum*
Soracte: nec iam sustineant onus
Siluæ laborantes: geluq;
Flumina constiterint acuto?
Dissolue frigus, ligna super foco
Large reponens: atque benignius
Deprome quadrimum Sabina
O Thaliarche merum dyota.
Permitte diuis cetera: qui simul
Strauere uentos æquore feruido
Deprœliantes, nec cupressi,
Nec ueteres agitantur orni.
Quid sit futurum cras, fuge quærere: &
Quem fors dierum cumque dabit, lucro
Appone, nec dulces amores
Sperne puer, neque tu choreas,
Donec uirenti canities abest
Morosa. nunc & campus, & areæ,
Lenesque sub noctem susurri,
Composita repetantur hora.
Nunc & latentis proditor intimo
Gratus puellæ risus ab angulo:

Pignusq;

Pignusq; direptum lacertis,
Aut digito male pertinaci.

COMMENTARII.

Vides ut alta, Genio indulgendum esse monet hieme postulante. Hoc argumentum frequens est apud Horatium. puto id ductum ex Anacreonte. sic ille: μεὶς μὲν δὴ ποσειδηΐων ἕστηκε. νεφέλαι δ' ὕδατι βαρύνονται, ἄγριοι δὲ χειμῶνες παταγοῦσι. idest mensis adest December, nubes aquis grauantur, procellæ uehementer fremunt. Archilochus idem expressit: γλαῦκε ὅρα, βαθὺς γὰρ ἤδη κύμασι ταράσσεται πόντος. ἀμφὶ δ' ἄκρα γυρεὸν ὀρθὸν ἵσταται νέφος, σῆμα χειμῶνος, κιχάνει δ' ἐξ ἀελπτίης φόβος. idest, Glauce aspice ut iam profundum pelagus fluctibus commouetur. & nubes curua arboribus summis imminet. tempestatis argumentum. subitusq; metus ex improuiso ingruit. Est autem hæc iniqui temporis descriptio. Cuiusmodi passim sunt apud hunc poetam. ut lib.ij.Ode ix.vbi,quamuis aliud significetur, nihilominus inde imitatio peti potest incommodæ tempestatis.

Non semper imbres nubibus hispidos
Manant in agros, aut mare Caspium
Vexant inæquales procellæ
Vsque, nec armenijs in oris
Amice Valgi stat glacies iners
Menses per omnes, aut Aquilonibus
Querceta Gargani laborant,
Aut folijs uiduantur orni. & Ode x.lib.iij.
Audis quo strepitu Ianua, quo nemus
Inter pulchra situm tecta remugiat
Ventis, & positas ut glaciet niues
Puto numine Iuppiter. Item Ode xvij.eiusdem libri:
Cras folijs nemus
Multis, & alga litus inutili
Demissa tempestas ab Euro
Sternet. & Ode xxvij. eiusdem libri:
Sed uides quanto trepidet tumultu
Pronus Orion, ego quid sit ater
Hadriæ noui sinus, & quid albus
Peccet Iapyx.
Hostium uxores, pueriq; cæcos
Sentiant motus orientis hædi, &
Aequoris nigri fremitum, & trementes
Verbere ripas. Sic Epodo.ij.

At cum

At cum Tonantis annus hibernus Iouis
Imbres, niuesq; comparat. Et Epod. x.
Mala soluta nauis exit alite
Ferens olentem Meuium,
Vt horridus utrunque uerberes latus
Auster memento fluctibus.
Niger rudentes Eurus inuerso mari,
Fractosq; remos differat.
Insurgat Aquilo quantus altis montibus
Frangit trementes ilices.
Nec sidus atra nocte amicum appareat,
Qua tristis Orion cadit.

Hæc ignauissimo cuique possunt lumen accendere ad huiusmodi tempestates imitandas, & ad talia eruenda.

Niue candidum Soracte? montes niuibus semper fere abundant. Virg. de Atlante:

Atlantis, cinctum assidue cui nubibus atris
Piniferum caput, & uento pulsatur, & imbri,
Nix humeros infusa tegit. quare alpinas niues appellat in Gallo.
Alpinas ah dura niues, & frigora Rheni. Hiemi idem tribuit ibi:
Cum nix alta iacet, glaciem cum flumine trudunt. quemadmodum autem hoc loco dixit Soracte stare candidum niue, sic dixit glaciem stare.
Vsque nec Armenijs in oris Amice Valgi stat glacies iners. sic glacies stat congelatis amnibus.

Laborantes, sensus inanimatæ rei tributus gratiam addit.

Geluq;, aliud pulcherrimum ex his, quæ hiemi accidunt. Sic Virg.
Canescunt subitæ currenti in flumine crustæ;
Vndaq; iam tergo ferratos sustinet orbes,
Puppibus illa prius, patulis nunc obuia plaustris. & lib. j.
Rura gelu tum claudit hiems. & in iiij. Georg.
Et cum tristis hiems etiam nunc frigore saxa
Rumperet, & glacie cursus frenaret aquarum.

Dissolue frigus, Sic lib. iij. Od. xvij.
Dum potes aridum
Compone lignum. Virg. iij. Georg.
Ipsi in defossis specubus secura sub alta
Otia agunt terra, congestaq; robora, totasq;
Aduoluere focis ulmos, igniq; dedere.

Deprome quadrimum, hæc sententia plurimis in locis celebratur a poeta. vide ad Oden septimam huius libri.

Permitte diuis cætera, ita faciendum monet Od. xj. ad Leuconoen.

strauere

Strauere uentos, Ex Vallæ ſententia frequentius dicimus Sternere humum floribus, aut ramis, quàm Sternere flores,aut ramos humi, ſic oportuit hoc loco dixiſſe. ſtrauere equor feruidum uentis. ſed poetæ inuertunt modos loquendi. ſanè æquor ſternitur, non autem venti. Venti quidem æquor ſternere dicuntur. Virg. *Placidi ſtrauerunt æquora uenti*. vnde æquor ſtratum dicitur. vt Idem: *Et nunc omne tibi ſtratum ſilet æquor*; *& omnes, Adſpice uentoſi ceciderunt murmuris auræ*. hanc locutionem ſic extulit Virg. *Placataq; uenti dant maria*, & *cum uenti poſuere, omniſq; repente reſedit flatus*, & , *cum placidum uentis ſtaret mare*.

Deprœliantes, vide ad Oden iij. de uentorum pugna, & de metaphora a prœlijs ducta.

Aequore feruido, æſtuanti. Virg. feruetq; fretis ſpirantibus æquor. Cic. iij.de Or. *Feruet æſtu pelagus*.

Agitantur orni, orni pro omnibus arboribus, nota figura. agitantur inquit arbores uentis, mare agitari etiam dicitur. & feræ a uenatoribus.

Quid ſit futurum, in hanc ſententiam ſic lib.iij. Od.xxix.

Prudens futuri temporis exitum
Caliginoſa nocte premit deus.
Ridetq; , ſi mortalis ultra
Fas trepidet. quod adeſt memento
Componere æquus. Sic Ode xj.ad Leuconoen.
Tu ne quæſieris, ſcire nefas, quem mihi, quem tibi
Finem dij dederint Leuconoe. talem ſententiam protulit Anacr.

ἐπεὶ δὴ βροτὸς ἐτέχθην,
βιοτοῦ τρίβον ὁδεύειν
χρόνον ἔγνων, ὃν παρῆλθον,
ὃν δ᾽ ἔχω δραμεῖν οὐκ οἶδα. ideſt quoniam mortalis genitus ſum,ut per uitæ callem ambulem,tempus noui, quod pręterij. quod curſurus ſum ignoro: Idem, τὸ σήμερον μέλει μοι,τὸ δ᾽ αὔριον τίς οἶδε. &: πόθεν οἴδαμεν τὸ μέλλον; ideſt hodiernus dies mihi curæ eſt,craſtina quis nouit? &, Vnde futura noſcimus.

Neque tu choreas: neque ab hoc loco potuit ſe continere Scaliger. putat, Tu, pronomen eſſe ſuperfluum. & ad complendum uerſum interpoſitum. Nemo negat hoc aliquando poetis cōtingere uel Latinis,uel Græcis, ſed græcis potiſsimum, quos uidemus interpoſitione particularum minutiſsimarum adiuuari. quo maior eſt illis componēdorum carminum commoditas quam noſtris. hæc autem uerba otioſa appellāt,ſicut Hor. in poet. otioſos uerſus inertes uocauit, cum inquit. *Vir bonus & prudens uerſus reprehendet inertes*. uerba autem huius modi otioſa ea eſſe ſciendum eſt, quibus demptis ex oratione nihilominus eadem manet ſententia. hoc uitium πλεονασμὸν uocarunt. Hermog. περιττότητα. Verum in talibus uerbis,

ut

ut Aquila Romanus admonuit, dignitas ſubeſt, quæ uerbum uindicat a uitio. quam dignitatem illi pronomini ineſſe quilibet poteſt intelligere. hoc enim ſignificare uoluit poeta illo pronomine. neque tu, qui ætate iſta flores, tu inquam, cui uirenti canicies abeſt. tu, cui campus & areæ, lenesq; ſub noctem ſuſurri conueniunt. quare quis dixerit pronomen illud uacare? Sed animaduerte Scaligerum hoc loco ſibi non conſtare. & dicere contra ea, quæ lib. iiij. cap. xxxiiij. ſuæ poetices præcepit. eius uerba libet apponere. Sic ait. ſic in ſexto redundat pronomen:

At pater omnipotens media inter nubila telum

Contorſit. non ille faces, neque fumea tadis

Lumina. Elegantiæ tamen cauſa toleratur, & fit figura, qualis apud Comicos frequens. apud quos inuenias ſæpe pronomen, is, & id, ſine ulla neceſsitate. itaque dupliciter peccat, uel quod id uitium putat, quod uitium non eſt, uel quod repugnantia ſibi ipſi dixit. præterea, ſi illud in Virgilio ferendum, cur non etiam in Horatio? aut ſi uitium eſt, cur non commune utriuſque uitium eſt?

Canicies, pro ſenectute uſurpant poetæ. Virg. x. Aen.

Caniciemq; ſibi, & longos promiſerat annos. Hor. lib. ij. Od. xj. fugit retro

Leuis iuuentus, & decor, arida

Pellente laſciuos amores

Canitie, facilemq; ſomnum. Prop.

Ipſa meam norit gloria canitiem.

Suſurri, de hoc ſuſurro Prop.

Nec mihi conſuetos complexu nutrit amores,

Cynthia, nec noſtra dulcis in aure ſonat. Idem:

Quam uacet alterius blandos audire ſuſurros.

Hiemem eſſe uides, prima ſententia eſt. hanc ampliauit accidentibus. hiemi enim nix, gelu, glaciesq; contingunt. cum autem dixiſſet montes eſſe canos niuibus, ſiluas uix poſſe ſuſtinere onus niuis, & flumina gelu conſtitiſſe, quid aliud ſignificauit, quam hiemem eſſe. quæ propria ſunt huius tẽporis accidentia. Secunda ſententia tota fuſe, ac naturaliter mihi uidetur expreſſa. nulla aſſumptio. nullus locus topicus. proprijs tantum uerbis ornata eſt. & ipſa uerborum proprietate illuſtris. Tertiam ſententiam tranſlationes elegantem reddiderunt, ut uentos ſtrauiſſe æquora. deprçliantes, quos alibi certantes appellat. ſenſus eſt, omnia parata reddi Deo uolente. Quarta ſententia, Craſtina ne cures. dum iuuenis es, uoluptatibus fruere. hoc ornauit uoluptatum ſpecies aſſumens. Sic, nec dulces amores, ſperne puer, neque tu choreas. uirentem autem iuuenem inſigni metaphora uocat. ſic Ouid. æuum uiride dixit prima eleg. de Ponto. ſic Virg. appellat Eurialum. Eurialus forma inſignis, uiridiq; iuuenta. quos ſecutus Fr. Petr. ſic fecit:

Tutta la mia fiorita, & uerde etade Paſſai. &:

Nell'eta piu fiorita, & uerde barranno &c. Contra Hor. Senectutem frondibus aridis comparauit. lib. j. Od. xxvj.

Aridas frondes hiemis ſodali dedicet Hebro. ἀπὸ καλοῦ ducta metaph. quod genus ualde Ariſtoteli, ac Ciceroni probatur. talia enim ſenſum, intellectumq; delectant. commendatur autem τῇ φωνῇ, ἢ τῇ δυνάμει, ἢ τῇ ὄψει, ἢ ἄλλῃ τῇ αἰσθήσει: ideſt, uel ſono, uel intellectu, & notione, uel uiſu, uel aliquo alio ex ſenſibus. Contra iniucundæ ſunt illæ metaphoræ quæ ex re turpi ducuntur. ut ſtercus curiæ Glaucia. ob ſimilitudinem rei fœdæ, & obſcœnæ. Quinta erat Amores huic ætati conueniunt. ad quam ornandam, ac dilatandam ad uarios iuuentutis luſus ſe retulit. vt ad ſuſurros nocturnos, riſus puellarum, pignora lacertis direpta. modos dicendi nunc adoleſcentibus inueſtigandos dimitto.

IN MERCVRIVM. Ode X.

MERCVRI *facunde, nepos Atlantis,*
Qui feros cultus hominum recentum
Voce formaſti catus, & decoræ
More palæſtræ:
Te canam magni Iouis, & deorum
Nuncium, curuæque lyræ parentem,
Callidum, quidquid placuit iocoſo
Condere furto.
Te, boues olim niſi reddidiſſes
Per dolum amotas, puerum minaci
Voce dum terret, uiduus pharetra
Riſit Apollo:
Quin & Atridas duce te ſuperbos
Ilio diues Priamus relicto,
Theſſalosque ignes, & iniqua Troiæ
Caſtra fefellit.
Tu pias lætis animas reponis
Sedibus: uirgaq; leuem coerces
Aurea turbam, ſuperis deorum
Gratus, & imis.

COMMENTARII.

Mercuri, facundus Mercurius eloquentiæ deus. ideo λόγιος Græcis dictus. Plato in Cratylo ἑρμῆν ab eo quod eſt ἐρεῖν, quod loqui ſignificat, ap-

pellatum

pellatum putat. quare etiam Maiæ, & Iouis filium dixerunt, idest τοῦ νοῦ, καὶ φρονήσεως, quod ex mente, & prudentia oratio ducatur.

Qui feros, vulgatum hoc de Mercurio, atque Orpheo, qui suauitate dicendi a feritate agresti ad politiorem uitam homines traduxisse dicuntur.

Et decoræ, Mercurio quattuor tribuunt: litterarum inuentionem, Musices, Geometriæ, & Palęstræ. Ideo tetragonon in Gymnasijs illum effinxerunt: sed quare sic uocatus sit, lege Lilium. Hyginius huic palęstræ inuentionem tribuit. Hunc locum Scaliger emendare ausus est, existimans pro decoræ more palęstræ, Lege palęstræ, corrigendum. offenditur ille ea resonatione, ut illius uerbo utar, decoræ more, & insuaue putat. Atqui Virgilius sexcentris hunc sonum, complosionemq;, tanquam iucundam, & suauem accersiuit. quod cum toties fecisset, ipse etiam accusari merito posse uidetur. Nolo ea proferre, quæ Nicolaus Erythręus uir doctus, ac diligens, plurima, ne dicam infinita huiusmodi obseruauit, ac collegit ex Virgilio, quæ cuiuis obuia sunt. Quod uero ait sibi Epitheton illud, Decoræ, non satisfacere, ualde miror. nam quid magis aptum apponi potuit pro Epitheto, quam id, quod erat palęstræ proprium? quod in ea nihil agreste, nihil inconueniens est, in quo est decorum. hæc quidem omnes corporis partes componit, ita, ut ad excellentem, atq; decoram actionem oratori etiam percommodam esse grauissimi scriptores tradiderint. Quinctilianus lib. primo cap. xviij. vbi de pronunciatione meminit, sic scribit: Nec illos quidem reprehendendos puto, qui paullum palęstricis uacauerunt. Cicero quidem histrionem palæstra adiuuari prodidit. de qua pulcherrimus est in perfecto Oratore locus. Vt enim, inquit, athletas, nec multo secus gladiatores uidemus nihil nec uitando, nec petendo uehementer, in quo non motus hic habeat palęstram quandam, ut quidquid in his rebus fiat utiliter ad pugnã, idem ad adspectum etiam sit uenustum, sic oratio nec plagam grauem facit, nisi petitio fuerit apta, nec satis tecte declinat impetum, nisi etiam in cedendo, quid deceat, intelligit. Itaque, qualis eorum motus, quos ἀπαλαίστους Græci uocant, talis horum mihi uidetur oratio &c. In palęstra igitur est decorum. Ideo, si conseruatrix, ac parens decori palęstra est, merito mihi nõ probatur docti hominis iudicium, qui sibi decoræ palęstræ Epithetum nnn satisfacere tam aperte proferre ausus fuerit. De palęstræ nomine Mercurialis cap. ix. Gymn. libri primi, hanc scribit non tantum luctam habuisse, sed omnia genera exercitationum, ut hastam, discum, pugilatum, pilam, saltum.

Magni Iouis, & deorum nuncium, Idem omnes affirmant. Homerus ἄγγελον ἀθανάτων ἐριούνιον appellat. & Orpheus: Κλῦθί μευ Ἑρμεία Διὸς ἄγγελε.

Curuaq; lyræ, Hom. in eodem hymno pluribus narrat historiam de lyra inuenta a Mercurio.

ἔνθα χέλυν εὑρὼν ἐκτήσατο μυρίον ὄλβον
ἑρμῆς τοι πρώτιστα χέλυν τεκτήνατ' ἀοιδόν. Hanc in Cyllene monte Arcadiæ fecisse dicitur Mercurius septem chordarum, ad Atlantidum numerum. deinde, cum postea Apollini boues furatus esset, ab eo deprehensus, ut scribit Hyginius lib. ij. quo sibi facilius ignosceret, petenti Apollini, ut liceret sibi dicere se lyram inuenisse, concesit, & ab eo uirgam accepit, quam olim manu tenens, cum in Arcadiam proficisceretur, duosq; dracones pugnantes offendisset, proiecta inter eos uirga, eos diremit, quo circa eam uirgam pacis conciliatricem esse putauit. Indeq; factum est, ut illi uirgæ duo dracones circumuoluti essent additi.

Condere furto. furandi deus Mercurius. quare κλέπτης fuit illi cognomen. & δόλιος. aliqui sic interpretantur, ut ad orationis uim referant. cuius inuentor exstitit. oratio enim quasi furari uidetur. adeo enim animos influit, ut eos quocumque uelit trahat. & ab ijs, quod uelit, extorqueat.

Per dolum, idcirco δόλιον appellatum dixi. & fortasse per dolum intelligit præstigia. quibus præstitisse narrant hunc deum. & præstigiatorum artem inuenisse.

Puerum minaci uoce, hic apparet præstigijs usum Mercurium, cui cum uehementer iratus esset Apollo, ob furtum, eiq; propterea minitaretur, uix sensit sibi lyram surreptam, cum ea se priuatum esse animaduertit. quare, insignem fallaciam admiratus, a risu temperare nequiuit.

Duce te, ideo ἡγεμόνιος ἑρμῆς. quod ducatum præstet.

Ilio diues Priamus, non recte Scaliger portam reprehendit, quod Priamum diuitem appellauit. Huius hæc sunt uerba: Quid enim hic diues, qui esset omnium miserrimus? orbus pæne liberis omnibus. uniuerso pæne regno spoliatus. potius mœrens, & infelix. Existimauit ille Horatium ingentes ac regias opes, & thesauros Priami significare uoluisse nec intellexit poetæ locum. nec quamobrem diuitem uocarit Priamum. profecto diuitem dixit ob munera amplissima, ac pretiosissima, quæ secum Rex Ilium relinquens, atque ad Achillis naues proficiscens ipsi Achilli donanda ferebat ad Hectoris a se interfecti corpus redimendum. quibus sæuum uictorijs animum placaret. ut ait Hom. lib. ult. Iliados. δῶρα ἀχιλλῆι φερέμεν, τά κεν θυμὸν ἰήνῃ. idest, dona Achilli ferre, quæ animum lætificant. quam pretiosa autem essent illa munera, eodem in libro declarat. ut comprehendi facile posit, ob hæc tantum, diuitem Priamum appellatum a poeta. Huiusmodi autem fuere munera:

δώδεκα δ' ἁπλοΐδας χλαίνας, δώδεκα δὲ τάπητας.
τόσσα δὲ φάρεα καλά, τόσους δ' ἐπὶ τοῖσι χιτῶνας,
χρυσοῦ δὲ στήσας ἔφερεν δέκα πάντα τάλαντα.
ἐκ δὲ δύ' αἴθωνας τρίποδας, πίσυρας δὲ λέβητας.
ἐκ δὲ δέπας περικαλλὲς ὅ οἱ θρῆκες πόρον ἄνδρες. idest duodecim simplices

lenas,

lenas, totidemq; tapetas, totidem pulchra pallia, totidemq; sagula. auri talenta decem ferebat. duosq; ardentes tripodas, quattuor lebetes. poculúq; uisendum, quod ipsi Thraces donarunt. & non multo post, quasi munerum infinitum numeru m comprehendens, sic:

ἐκ θαλάμου φέροντες ἐϋξέστου ἐπ᾽ ἀπήνης
νήεον ἑκτορέης κεφαλῆς ἀπερείσι᾽ ἄποινα.

Ex thalamo efferentes in pulchrum currum ad Hectorem redimendum infinita dona conferunt. Minus igitur liberaliter accusatur poeta.

Castra fefellit, scilicet somno custodibus inducto. nam sic Hom.

ἀλλ᾽ ὅτε δὴ πύργους τε νεῶν, καὶ τάφρον ἵκοντο
οἱ δὲ νέον περὶ δόρπα φυλακτῆρες πονέοντο,
τοῖσι δ᾽ ἐφ᾽ ὕπνον ἔχευε διάκτορος ἀργειφόντης. πᾶσιν, idest. hi cum ad turres nauium, & fossam peruenerunt, & custodes de cęna laborarent, his Mercurius somnum in iecit. Sane Mercurium somni deum omnes agnoscunt, & Orpheus celebrat.

Tu pias lætis, Ideo quæstorẽ animarum Pythagoras dicebat. hoc autem munus pellendi animas ad inferos non Mercurio tantum, sed etiam Plutoni datum auctor est Pind. Olymp. ix. vbi narrat de pugna ipsius aduersus Herculem, quo tempore ad inferos descenderat Eurysthei iussu ad Cerberum rapiendum. *οὐδ᾽ ἀΐδας ἀκίνητον ἔχε ῥάβδον, βρότεα σώματα ᾇ κατάγει κοίλαν πρὸς ἄγυιαν θνασκόντων*. idest: Neque Pluto immobile habuit baculum, quo mortalia corpora mortuorum ad curuam uiam deducit. Quantum pertinet ad huius laudationis tractationem, laudaturus Mercurium, præclaras illius uirtutes colligit: a quattuor autem locis eum laudat. A genere, Atlantis Nepotem appellans, in hoc autem se non diffundit, quod modice ac breuiter Cicero faciendum precepit in Partitionibus, idcirco, ut ego interpretor, quod in animo, magis quam aut in genere, aut in bonis externis, laus posita est. A rebus gestis, cum feros hominum cultus a Mercurio formatos dicit. fuit autem factum illud præclarum. & summa illius uirtus. qui tanto adiumento mortalibus fuerit. præclara sane illa putatur uirtus auctore Aristotele, quæ alijs utilis est. Sic enim scribit. *ἀνάγκη δὲ μεγίστας εἶναι ἀρετὰς τὰς, τοῖς ἄλλοις χρησιμωτάτας, εἴπερ ἐστὶν ἀρετὴ δύναμις εὐεργετική*: idest, Illas uirtutes maximas esse necesse est, quæ alijs sunt utilissimæ, si uirtus est uis benefica. A rebus inuentis, cum palæstræ auctorem prædicat fuisse. Ad officium respexit, cum inquit: Te canam magni Iouis, & deorum nuntium. Cum autem lyræ parentem, hoc est, inuentorem esse dicit, alia a rebus inuentis commendatio est. quo loco Ouid. Apollinem ornauit.

Inuentum medicina meum est, opifexq; per orbem
Dicor, & herbarum subiecta potentia nobis. Res gestas repetit, cum narrat Mercurium tanta uirtute fuisse, ut per medias hostium acies Priamũ ad Achillem perduxerit. factorum quidem locus uberrimam, amplissi-

mamq;

mamq; materiam ad laudandum subministrat. Ab officio iterum, atque ab auctoritate laudat, cum inquit. Tu pias lætis animas reponis sedibus: tanti esse dicit Mercurium, ut etiam ius habeat in animas. Verba, & figuræ, tametsi iam patere omnibus possint, hæc obseruabimus. formare cultus feros, condere furto, amouere per dolum, reponere animas lætis sedibus, & eas uirga coercere. figurata sunt, formare, parens, uiduus pharetra. Epitheta cultus feri, recentes homines. decora palęstra. iocosum furtum, &c. quę rudes poterant internoscere. libet addere quod Lilius monuit. hunc hymnum non tantum legendum, sed etiam ediscendum.

AD LEVCONOEN Od. XI.

Indulgendum uoluptati omissa futurorum cura.

TV ne quæsieris, (scire nefas) quem mihi, quem tibi
Finem dij dederint Leuconoe: nec Baylonios
Tentaris numeros, ut melius, quidquid erit pati:
Seu plures hiemes, seu tribuit Iuppiter ultimam:
Quæ nunc oppositis debilitat pumicibus mare
Tyrrhenum: sapias uina liques: & spatio breui
Spem longam reseces. dum loquimur, fugerit inuida
Aetas. carpe diem, quàm minimum credula postero.

COMMENTARII.

Summa stultitiæ esse putare futura præuideri posse. unius hoc dei est, aut eorum, quibus deus ipse hoc fuerit impertitus. quare ualeant harioli, haruspices, & illa ad fallendum excogitata oracula ab omnibus philosophis explosa, & reiecta. quamuis multa horum miracula proferantur. Nota est elegantissima Ciceronis disputatio, ut in hanc sententiam, pluribus agendum non sit. In libello de Fato ex Carneadis sententia ait, ne Apollinem quidem futura posse dicere, nisi ea, quorum causas natura ita contineret, ut ea fieri necesse esset. Virg. idem sensit, inquiens: *Heu uatum ignaræ mentes.* Hor. paulo superius ad Thaliarchum,

Quid sit futurum cras, fuge quærere: & Ode xx. lib. iij.
Prudens futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit deus,
Ridetq;, si mortalis ultra
Fas trepidet. Sic Propertius reprehẽdit Cynthiæ in hac re studiũ lib. iij.
Nam quid Prænestis dubias o Cynthia sortes,
Quid petis Oeæi mœnia Telegoni?

Babylonios

Babylonios, de ijs Lucianus in Dialogo de Astrologia.

Vt melius, hoc sensu. quam melius est quidquid erit pati, quam assidua futurorum cogitatione distorqueri. quod enim futurum est, effugere, ac uitare nemo potest. accedit, quod sæpe id ignorare utile est. belle Lambinus hunc sententiam explicat.

Vina liques, placet Lambini interpretatio. sic lib. ij. Ode iij. postquam poeta affirmauit Delium, seu mæstus, seu hilaris degeret, fore tamen ut moreretur, statim subiungit:

Huc uina, & unguenta, & nimium breuis
Flores amœnæ ferre iube rosæ,
Dum res, & ætas, & sororum
Fila trium patiuntur atra. sic Ode. ix. huius libri hortabatur Thaliarchum, ut diuis cætera permitteret. tantumq; uoluptati ac Genio indulgeret. cui sententiæ similem omnino protulit lib. iiij. Ode xij. sic:

Verum pone moras, & studium lucri
Nigrorumq; memor dum licet ignium
Misce stultitiam consilijs breuem.

Spatio breui, summam breuis uitæ dixit superius ad Sextium quod hic breue spatium uocat.

Dum loquimur, uitæ fugientis perpulchra significatio. Tale illud est apud Ausonium de occasione:

Tu quoque dum rogitas, dum percunctando moraris
Elapsam dices me tibi de manibus.

Credula postero, fore sperans, ut te crastina lux uiuum inueniat. Cætera adolescentibus perquirenda mittamus. Sed uideant homines elegantes an recte, prudenterq; fecerit Scaliger, qui, inquit. Vndecima, de hac ipsa intelligens, si a nostri temporis poeta aliquo scripta esset, nequaquam inter probas haberetur. nihilominus nihil præcipuum notauit. propterea ridenda accusatio. si, in quo peccatum est, non ostenditur.

AD AVGVSTVM. Ode XII.

Dijs, Heroibus, uirisq; aliquot illustribus laudatis postremo commendat Augustum.

QVEM *uirum, aut Heroa lyra uel acri*
Tibia sumes celebrare Clio?
Quem deum? cuius recinet iocosa
Nomen imago,
Aut in umbrosis Heliconis oris,

Aut

Aut super Pindo, gelidove in Hemo?
Vnde uocalem temere insecutae
Orphea siluae,
Arte materna rapidos morantem
Fluminum lapsus, celeresq; uentos,
Blandum & auritas fidibus canoris
Ducere quercus.
Quid prius dicam solitis parentis
Laudibus? qui res hominum, ac deorum,
Qui mare, & terras, uarijsq; mundum
Temperat horis?
Vnde nil maius generatur ipso:
Nec uiget quidquam simile, aut secundum.
Proximos illi tamen occupauit
Pallas honores.
Prœlijs audax neque te silebo
Liber, & sæuis inimica uirgo
Belluis: nec te metuende certa
Phœbe sagitta.
Dicam & Alciden, puerosq; Ledæ,
Hunc equis, illum superare pugnis
Nobilem: quorum simul alba nautis
Stella refulsit:
Defluit saxis agitatus humor:
Concidunt uenti, fugiuntq; nubes:
Et minax (quod sic uoluere) ponto
Vnda recumbit.
Romulum post hos prius, an quietum
Pompili regnum memorem, an superbos
Tarquini fasces, dubito, an Catonis
Nobile lethum.
Regulum, & Scauros, animæq; magnæ
Prodigum Paullum superante Pœno,
Gratus insigni referam camœna,
Fabriciumq;:
Hunc, & incomptis Curium capillis
Vtilem bello tulit, & Camillum
Sæua paupertas, & auitus apto
Cum lare fundus.
Crescit, occulto uelut arbor æuo,
Fama Marcelli. micat inter omnes

Iulium

Iulium sidus, velut inter ignes
Luna minores.
Gentis humanæ pater, atque custos,
Orte Saturno, tibi cura magni
Cæsaris fatis data: tu secundo
Cæsare regnes.
Ille, seu Parthos Latio imminentes
Egerit iusto domitos triumpho:
Siue subiectos Orientis oræ
Seras, & Indos:
Te minor latum reget æquus orbem:
Tu graui curru quaties Olympum:
Tu parum castis inimica mittes
Fulmina lucis.

COMMENTARII.

Hoc carmen habet laudem Augusti. ita autem hominem laudat, ut cæteris illum mortalibus anteponat, Ioue tantum inferiorem esse concludens, sic, ut Iuppiter cœlo, Augustus terris omnibus imperet. Enumeratione multorum illustrium uirorum Augusti laus crescit. quod laudationibus in primis conuenit, ut scribit Arist. ad Th. lib. j. vbi præcepta dat Demonstratiui generis. ὅλως δὲ τῶν κοινῶν εἰδῶν ἅπασι τοῖς λόγοις, ἡ μὲν αὔξησις ἐπιτηδειοτάτη τοῖς ἐπιδεικτικοῖς. idest, cum omnibus generibus amplificatio cōueniat, demonstrationibus uidetur aptissima. Cum uero multa ad augendum petantur, comparationes hoc præstant, ut res longe maiores appareant illius beneficio. adeo autem hanc extollit Aristoteles, ut præcipiat, siquem laudandum suscipimus, cuius præclaras aliquas uirtutes recensere nequeamus, ad comparationes confugiamus, quod tractauimus in ode septima huius libri ad illum locum, Rude fuit &c. præterea monet, eum, qui hoc sibi proposuerit, in præclaris comparationibus uersari oportere. quod animaduertit Hor. comparationibus clarissimorum uirorum assumptis. Sic enim ille. δεῖ δὲ πρὸς ἐνδόξους συγκρίνειν: cui subiungit & illud. αὐξητικὸν γάρ, καὶ καλόν, εἰ σπουδαίων βελτίων. idest, opus est eum præclaris uiris comparare, præcipue autem, si, quem laudes, doceas præstantioribus anteponendum. In hanc sententiam scribit Rodulphus Agricola laudationibus ante omnia amplificationē conuenire, & pleraque, quæ laudis loco ponuntur, frigescere, nisi oratione tollantur. affertq; Isocratis testimonium. qui in Helena ornanda, non satis habuit illius formam miris laudibus ornare, nisi illam omnibus alijs prætulisset. Hoc consilium secutus est poeta, ut maximi Imperatoris laudem pro dignitate efferret, facta bene longa clarissimorum uiro-

rum, atque Heroum commemoratione. quod procul dubio uice compa-rationis est, ut mihi plenum artificij hoc carmen esse uideatur.

Quem uirum, diuersam a Pindaro, a quo mutuatus est, orationem est secutus. ille Deum præponit. deinde Heroem. postremo uirum. Horatius secus, a uiro ordiens, sursum ad Heroem, mox ad Deum accedit. uter meliorem ordinem sit sequutus, puto esse perspicuum, si amplificationem ex incremento spectemus.

Lyra, uel acri tibia, in his carminibus tibiarum cantus cum fidibus misceri solitus est. cuius rei non semel Hor. est testis. ut:

Cur Berecynthiæ cessant flamina tibiæ. Et:
Cur pendet tacita fistula cum lyra? Et:
Virtute functus more patrum duces
Lydis remisto carmine tibijs &c. & Pind. ad Agesidamum in ὀλυμπ.
χλιδῶσα δὲ μολπὰ
πρὸς κάλαμον ἀντιάξει μελέων. idest, suauis autem cantus ad tibiam occurret. Scribit Cic. iiij. Tusc. ex Catonis auctoritate morem hunc Epularum apud maiores fuisse, ut deinceps, qui accumberent, canerent ad tibiam clarorum uirorum laudes, atque uirtutes. ex quibus cantibus fieri potuit, ut poetæ uarios numeros carminum excogitarint.

Iocosa imago, Scaliger putat de uera imagine potiùs intelligendum. sicq; legendum: Cuius referat uetusta nomen imago? quid per uetustam istam imaginem intelligat, nunquam potui diuinare. minus uero, quo modo uetusta imago eius nomen referre posit. alij uideant. mihi sane absurdum uidetur. alij omnes per iocosam imaginem sonum Echus intellexerunt, sicut Ode xx. huius libri ad Mæcenatem. *Vt paterni fluminis ripæ simul, & iocosa redderet laudes tibi Vaticani montis imago*, quod magis probat fato, quàm fatis, in extrema ode nihil leuiùs.

Aut in umbrosis, tres montes celebrant poetæ Musarum consuetudine claros. Parnasum, Hemum, Pindum. Virg.

O qui me gelidis in Vallibus Hemi sistat. Et,
Nam neque Parnasi uobis iuga, nam neque Pindi
Vlla moram fecere, neque Aonie Aganippe.

Vnde uocalem, notissima sunt, quæ de Orpheo ubique apud poetas narrantur. Sed Lucianus præter omnium sententiam de Orpheo ingeniosissime scripsit, Orphei lyram interpretãs, quidq; illa significare ipse Orpheus uoluerit declarans.

Quid prius dicam, egregie interpretatus est Lamb. hunc locũ. est autem διαπόρησις, idest dubitatio figura. Vt illa apud Virg. *En quid agam? Nomadumq; petam connubia supplex, rursusne procos irrisa priores experiar?*

Qui res hominum, unde πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. Sed de Dei potentia quis unquam satis dixit, aut referre poterit?

Et

Et sæuis inimica, ideo sic a Græcis poetis appellata. ἑκατηβόλος, ἰοχέαιρα, θηροφόνος, θηρεκτόνος, ἀγροτέρα, κυνηγετάτη, φυλόθηρος.

Defluit saxis, pulcherrima tranquillitatis descriptio.

Concidunt uenti, talis est apud Virg. sententia. lib. iij. Aen.

Inde ubi prima fides pelago, placataq; uenti
Dant maria. & lib. v.
Placidi strauerunt æquora uenti. & lib. vij.
Cum uenti posuere, omnisq; repente resedit
Flatus, & in lento luctantur marmore tonsæ. sic in Alexide:
Cum placidum uentis staret mare. & Egl. ix.
Aspice uentosi ceciderunt murmuris auræ. in j. Aen. *pelagi*
Fragorem cecidisse dixit. Contra uero lib. iij.
Continuo uenti uoluunt mare, magnaq; surgunt
Aequora. & lib. xij. *Sequiturq; ad littora fluctus qua uenti incubuere.*

Fugiuntq; nubes, Virg. j. Aen.

Collectasq; fugat nubes, scilicet Neptunus. semper enim nubes comitantur hiemem, & procellam. quare Virg. *Collecta ex alto nubes*, & iij. Aen. *Erumpunt subito nubes.* Et v. *Inuoluere diem nimbi.* serenitate adueniente dissipantur. ut lib. xij. *qua uenti incubuere, fugam dant nubila cælo*, & lib. v. *fugiunt uasto æthere nimbi.*

Vnda recumbit. subsidere dixit Virg. lib. v.
Subsidunt undæ, tumidumq; sub axe Tonantis
Sternitur æquor aquis.

Sæua paupertas, horrendam, & infelicem aliqui appellarunt. Ideo uere Thognis:

τεθνάναι φίλε Κύρνε πενιχρῷ βέλτερον ἀνδρὶ
ἢ ζώειν χαλεπῇ τειρόμενον πενίῃ. & illud apud Stob. οὐκ ἔστι πενίας οὐδὲν ἀθλιώτερον. *mori satius est O Cyrne homini indigenti, quam uiuere graui afflictatum paupertate.* ab affectu autem sic uocauit, quod plerumq; ad sæuitiam impellat. quare merito Vir. *Et male suada fames*, dixit. & Hor. ipse.
Magnum paupertas opprobrium, iubet
Quiduis & facere, & pati.

Gentis humanæ, magnifica sententia, & quæ summam laudem Augusti contineat, nihil profecto maius potuit excogitari, quam ita de eo homine dixisse, ut post Iouem in regnando secundus sit, cumq; eo q; ita diuisum imperium habeat, ut Augusto Orbis terræ, cœlum Ioui pareat. hanc sententiam diuinitus initio Georg. in ipsius Augusti inuocatione tractauit Virg.

Cæsaris fatis data. Scaliger mauult, Fato, at quid refert utrum Fatis legas? an inauditum est fata de uno tantum dici? Quæret aliquis, sub quod genus præsens carmen reduci possit? profecto sub Dignitatem, & Grauitatem. ut omittam omnem laudationem, quoniam amplificationibus con-

stet, esse dignitatis, præsertim si dijs, aut principibus uiris tribuatur. quamobrem ob id ipsum graue uideri potest, uel poema, uel oratio. nihilominus ut de præsenti carmine dicam, alijs adiumentis poeta pondus illi accersiuit, nempe uerborum generibus, eorum sono, tum compositione, sonãtia sunt, ac plena illa Heroa, Pindo, Hęmo, rapidos, morantem, ponto. & quæcunq; robustioribus consonantibus composita sunt. quo translata etiam sunt referenda. ut concidunt uenti, fugiunt nubes, minax unda. animæ prodigũ Paullum, adde uerba illustrium uirorum. quæ ualde dignitati conueniunt, quemadmodum vrbium, populorum, prouinciarum, regnorum. montium, fluminum nomina, cuiusmodi sunt illa apud Virg.

Sed neque Medorum silua ditissima regna,
Nec pulcher Ganges, atque auro turbidus Hermus,
Laudibus Italiæ certent; non Bactra, neque Indi:
Totaque thuriferis Panchaia pinguis arenis. & illa viij. Aen.
Vt bello egregias idem disiecerit Vrbes

Troiamq;, Oechaliamq;. cum his quæ sequuntur. Grauissima compositio est. Quem deum? cuius recinit iocosa nomen imago, quousque ad finem producitur sententia. & illa. Dicam & Alciden, puerosq; Ledæ usque ad Romulum post hos. quod genus compositionis Hermog. πλοκὴν appellauit. qua longius deducitur oratio, circuitu, & reuolutione quadam membrorum inter se. Non prætermittam uarietatem eiusmodi secutum poetã, ut, cum idem sæpius repetendum esset, uix semel eodem uerbo usus sit. ait enim, quid prius dicam? mox pręlijs audax neque te silebo liber. præterea Romulum post hos prius, an quietos Pompili fasces memorem? *Quin, Regulum & Scauros, insigni referam camœna.* quod obseruauit prima ode primi libri, & in vij. Adde quod omnium deorum, atq; hominum, quos commemorat, mentionem ita induxit, ut singulis propriam laudem, ac peculiarem tribuerit. Ioui hominum, ac deorum, maris, terrarum, totiusque Mundi gubernationem. Libero fortitudinem. Dianam sic nominat, ut dicat illam belluis, Phœbum sagittis certis esse metuendum. Castori, ac Polluci suum studium, atque artem assignat. denique nihil est, cui non suum reddiderit. quod ut ad dilatandam orationem est aptum, ita plurimum ad ornandum conducit.

AD LYDIAM. Ode XIII.

Dolet sibi Telephum anteponi.

CVm tu Lydia Telephi
Ceruicem roseam, cerea Telephi
Laudas brachia: uæ, meum

Feruens

Feruens difficili bile tumet iecur.
Tunc nec mens mihi, nec color
Certa sede manent: humor & in genas
Furtim labitur, arguens,
Quam lentis penitus macerer ignibus.
Vror, seu tibi candidos
Turparunt humeros immodicæ mero
Rixæ: siue puer furens
Impressit memorem dente labris notam.
Non, si me satis audias,
Speres perpetuum, dulcia barbare
Lædentem oscula, quæ Venus
Quinta parte sui nectaris imbuit.
Felices ter, & amplius,
Quos irrupta tenet copula, nec malis
Diuulsus querimonijs,
Suprema citius soluet amor die.

COMMENTARII.

Cum tu Lydia, ingens exprimitur dolor, quo amantes torquentur, quotiescunque sibi in amore alios præferri uident. quo œstro percitus Proper. sic queritur, lib. ij.

Possum ego in alterius positam spectare lacerto
Nec mea dicetur, quæ modo dicta mea est? pro cuius mœroris exemplo affert Achillis tristitiam, ob sibi raptam Briseidam ab Agamemnone. sic ille:

Ille etiam abrepta desertus coniuge Achilles
Cessare in tectis pertulit arma sua. paullo post inferens:
Tantus in erepto sæuit amore dolor. Tota hæc oda declarat amantis zelotypiam. cuius uis pulchre exprimitur lib. iij. Oda ix. & apud ipsum Propertium lib. ij.

Me iuuenum facies picta, me nomina lædunt,
Me tener in cunis, & sine uoce puer.
Me lædet, si multa tibi dabit oscula mater,
Me soror, & cum qua dormis amica simul.
Omnia me lædunt, timidus sum, ignosce pudori,
Et miser in tunica suspicor esse uirum.

Ceruicem roseam, iucundissimum omnium colorum hunc esse narrant, qui de coloribus scribunt. quare, ut illi etiam notarunt, os roseum, ut Virg. *roseoq; hæc insuper addidit ore.* Et:

Ad

Ad quem tum roſeo Talmantias ore locuta eſt, ceruicem, papillas, digitos roſeos appellant poetæ. quales tribuit Hom. Auroræ: quam uocat ῥοδοδάκτυλον. ſic genas roſeas, & quadrigas auroræ ipſius roſeas. quin Phœbum Virg. ſic nominat. *Ni roſeus feſſos in gurgite Phœbus Ibero tingat equos.* Quamobrem uidete, an ſcite Scaliget notarit poetá, inquiens, ceruicem roſeam non conuenire, ſed lacteam opus fuiſſe dicere. cur adoleſcenti, amanti, formoſo, laſciuo non conueniat?

Tumet, lege P. Victorium de hoc uerbo lib. antiq. lect. xviij. cap. xxij.

Iecur. in iecore ne, an in corde ſedes iræ ſit, conſule philoſophos. Sane Hor. modo iracundiæ ſedem eſſe iecur dicit, modo amoris, ac libidinis. ut in illo: *Si torrere iecur quæris idoneum*. Profecto doctiſsimi homines ſingulis uiſceribus hominum ſuam uim, ſuosq; affectus ineſſe prodiderunt. quare in felle iracundiam, in iecore amorem, ac libidinem, in corde ſapientiam (ut cordatus homo Catus Aelius Sextus) & timorem, in ſplene riſum poſitum eſſe dixere. lege Lamb. ad hunc locum.

Tunc nec mens mihi, egregia commoti animi, & amantis ſignificatio.

Humor & in genas, ſic Hom. δάκρυ δ' ἀπὸ βλεφάρων χαμάδις βάλε πατρὸς ἀκούσας. Lacrymas poeta humorem appellat. ita Fr. Petr. Latinos ſecutus Lacrymas uocat. ibi: [illegible]

In triſt' humor uo gl' occhi conſumando. volo mihi licere per elegantes homines, cum res poſtulabit hunc etiam poetá appellare. his enim, non impolitis, aut inſulſis, atque agreſtibus ſcribimus.

Quam lentis penitus, quo ſupplicio, ac pœna diſtorquear. Hinc quam noxius ſit uulgaris amor, ac ferinus, perſpici poteſt. nam eo amore, uel furore potius acti, nunquam quieſcimus. atque hæ ſunt illæ flammæ, in quibus torqueri ſe amantes paſsim queruntur, & quibus eo inſaniæ deuenimus, ut non modo uexari illis, ſed etiam aliquando ali prædicemus. quod confirmat illud elegantiſsimum Epigramma:

Igni ut ſuetum animal moritur, ſi demis ab igne,
Sic cernes, ſi me demis ab igne mori.
Igne alor. igne idem morior. uitaq;, necisq;
Cauſa ignis, uiuens cogor in igne mori.
Cogor in igne mori uiuens, & uiuere in igne
Mortuus, o fati ſors uiolenta mei. Ita Fr. Petr.
Paſſat' è'l tempo homai, laſſo, che tanto
Con refrigerio in mezzo'l foco uiſſi. Et:
In foco, e'n ghiaccio
Tremando, ardendo, aſſai felice fui. quoniam autem inter ſpem, ac metum uiuunt, qui amant, per ignem ſpem, per glaciem metum ſignificari uoluerunt. quare idem poeta:
Amor nell'alma, oue ella ſignoreggia.

Raccese'l foco, & spense la paura. Et:

I pensier son saette, e'l uiso un Sole,

E'l desir foco. ita:

Hor di madre, hor d'amante, hor teme, hor arde. hi autem præcipui sunt in amantibus affectus. quamobrem Idem:

Da indi in qua so che si fa nel chiostro

D'Amor, & che si teme, & che si spera.

Macerer, Porphyrion legit Concremer. quod mihi ualde probatur: sic omnibus consentientibus. nam in hoc affectu exprimendo sæpius hoc uerbo optimi poetæ usi sunt. & profecto plus est in hoc ponderis, quam in illo uulgato. Virg.

Me tamen urit amor. Et:

Daphnis me malus urit, &

Vritur infelix Dido. Hor.

Miseram tuis

Decens ignibus uri. talium exemplorum non pauca reperias. adde quod ad maiorem doloris acerbitatem notandam hoc uerbo statim post usus est, *Vror, seu tibi candidos turparunt humeros immodicæ mero rixæ.*

Immodicæ rixæ, rixæ sane compotationes, & ebrietatem sequuntur. huiusmodi rixarum exempla reperies apud Anacreontem.

Speres perpetuum, tale est illud. *Qui semper uacuam semper amabilem sperat.*

Quinta parte, res obscœna minime obscœne dicta.

Felices ter, & amplius, idcirco alibi poeta dixit. *Tecum uiuere amem, tecum obeam libens.*

Suprema citius, locutio similis illi, Quid prius dicam solitis parentis laudibus. idest, citius quam suprema dies aduenerit. hoc est, ante supremam diem: sic fere Propert. lib. ij.

Semper amica mihi, semper & uxor eris. Idem eodem lib.

Huius ero uiuus, mortuus huius ero. & paullo superius:

Atque utinam hærentes sic nos uincire cathena

Velles, ut numquam solueret ulla dies. tali uinculo se adstrictum esse Iac. San. eleganter ostendit. sic:

Tu puero, & teneris ignis mihi primus ab annis,

Vltima tu tremulo flamma futura seni.

Iam semel inter nos sanxerunt fœdera diui,

Fœdera ad extremos non soluenda rogos.

Suprema die, summam, & extremam etiam dixit Virg.

Venit summa dies, & ineluctabile tempus. Id.

Namque ut supremam falsa inter gaudia noctem

Egerimus mœsti. sic supremum digressum, de Andromacha loquens, suprema

prema munera, quæ mortuis deferimus, similiter supremos cineres uocauit? Quin supremos honores etiam dixit.

Soluat, sic Virg. *qui mihi reddat eum, uel eo me soluat amantem*. paulo post: *hæc se carminibus promittit soluere amantes*.

IN BRVTVM BELLVM CIVILE REPARANTEM. Ode XIIII.

O Nauis, referent in mare te noui
Fluctus: o quid agis? fortiter occupa
Portum. non ne uides, ut
Nudum remigio latus,
Et malus celeri saucius Africo,
Antennæq; gemant? ac sine funibus
Vix durare carinæ
Poßint imperiosius
Aequor? non tibi sunt integra lintea:
Non Dij: quos iterum pressa uoces malo.
Quamuis Pontica pinus,
Siluæ filia nobilis,
Iactes & genus, & nomen inutile:
Nil pictis timidus nauita puppibus
Fidit. tu nisi uentis
Debes ludibrium, caue.
Nuper solicitum quæ mihi tædium,
Nunc desiderium, curaq; non leuis,
Interfusa nitentes
Vites æquora cycladas.

COMMENTARII.

O Nauis, quæ ab alijs sunt animaduersa, ac notata, ut sæpe iam dixi, non attingam. idcirco quæ ad carminis argumentum, aut sententiam attinent, & reliqua, quæ alij attigere, prætermittam. tantum dicam ex allegoria, quæ perpetua est, depromptum esse materiam odes. nec dubium, quin illud Alcęi in mentem poetæ uenerit. & inde imitationem desumpserit.

τὸ μὲν γὰρ ἔνθεν κῦμα κυλίνδεται,
τὸ δ' ἔνθεν. ἄμμες δ' ἀν τὸ μέσον ναΐ
φορήμεσθα σὺν μελαίνᾳ,
χειμῶνι μοχθέντες μεγάλῳ. καλὰν
πὰρ μὲν γὰρ ἄντλος ἱστοπέδαν ἔχει

λαῖφος δὲ πᾶν ἄδηλον ἤδη,
καὶ λακίδες μεγάλαι κατ' αὐτό.

χαλῶσι δ' ἄγκυραι. hoc est, alij quidem hinc, alij illinc uoluuntur fluctus. nos autem in medio cum naui nigra ferimur. tempestate ingenti laborantes. mare habet lignum, cui malus alligatur. lintea iam euanuere omnia. in eisq; multa lacera laxatis anchoris. Cum autem poeta hoc carmine Brutum a bello renouando deterrere uellet, nescio, an ullo alio adiumento aptius assequi potuisset, quam hac figura. quæ Phaleræo præcipiente habet *ἔκπληξιν, καὶ φρίκην*. idest, terrorē atque horrorem. quamobrem ait factum, ut mysteria in allegorijs dicerentur ad metum quendam inducendum. quæuis, ac formido sit in ijs, nemo dubitat. scilicet. *O Nauis, referent in mare te noui fluctus*, & reliqua:

Et malus celeri, sic Hom. in v. Odys.

πηδάλιον δ' ἐκ χειρῶν προέηκε, μέσον δέ οἱ ἱστὸν ἔαξε
δεινὴ μισγομένων ἀνέμων ἐλθοῦσα θύελλα. idest, clauum e manibus auulsit, mediumq; perfregit malum grauis concurrentium uentorum procella incubans.

Antennæq; gemant, non sunt tibi integra lintea. sic Id. Hom. in eandem prope sententiam. *τηλοῦ δὲ σπεῖρον, καὶ ἐπίκριον ἔμπεσε πόντῳ.* idest, procul autem lintea, atque antennæ in ponto procubuere.

Vix durare carinæ, hic, Scaliger, non parcens huic etiam loco. sic: Animaduertendum, quibus legibus de una naui dixit, Carinas in numero plurali. uitium putauit ille. at quod uitium, si de uno homine sermonem habentes, pectora, ora, corda, si de una domo, tecta, culmina, limina, atria dicimus? quid mirum, si de una naui intelligens poeta Carinas dixerit? an tam rudes sumus consuetudinis tritæ poetarum? nimis magna est hæc superstitio. opus est exemplis? sic Virg.

Ipsa sed in somnis inhumati uenit imago
Coniugis, ora modis attollens pallida miris. Et:
Crudeles aras, traiectaq; pectora ferro Nudauit. Et:
Et summi culmina tecti. Et:
Perge modo, atque hinc te Reginæ ad limina perfer. sic: *Limina Vestæ, & area cui gradibus surgebant limina.* sic: *Apparet domus intus, & atria longa patescunt.* Sed nec illud quidem prætermittere debuit, male fecisse poetam, qui, cum malū numero unius dixisset, postea antennę numero multitudinis addidisset. Cum uni malo una tantum antenna, non plures alligentur. hæc otiosæ diligentiæ sunt. Addit & illud, non fidere Brutum dixisse poetā cum maxime confideret, minusque timeret. atqui hoc non de Bruto tantum dictum uidetur, quantum de omnibus, qui nauigant. quorum nemo huiusmodi puppibus fidit. sed profecto ad Brutum refertur, quem monet, ne, cum omnes nautæ minus confidunt, caueat & ipse, ne nimium fidat.

Cur uero Idem emẽdet, Tumidus nauita, pro Timidus, ego prorsus ignoro. nunquam incidi in hoc epitheton nautarum. at qui mari conuenire id quis non uidet? ut:

Nos tumidum sub te permensi classibus æquor. Et:

Dictis tumida æquora placat. Quare maria tumescere sæpissime legimus. ut: *aut freta ponti*

Incipiunt agitata tumescere, &

Qua ui maria alta tumescant.

Imperiosius æquor, Catull. impotentia appellauit freta.

Siluæ, filiæ Siluarum dici possunt arbores, quæ in ipsis nascuntur. sic naues, quæ ex illis conficiuntur. proxima huic sunt, quæ de phaselo dixit Catull.

Vbi iste post phaselus antea fuit
Comata silua, nam Cythorio in iugo
Loquente sæpe sibilum edidit coma.
Amastri Pontica, & Cythore buxifer
Tibi hæc fuisse, & esse cognitissima
Ait phaselus ultima ex origine.
Tuo stetisse dicit in cacumine.

NEREI VATICINIVM DE RVINA TROIAE. Ode XV.

PASTOR *cum traheret per freta nauibus*
Idæis Helenam per fidus hospitam,
Ingrato celeres obruit otio
Ventos, ut caneret fera
Nereus fata. Mala ducis aui domum,
Quam multo repetet Græcia milite,
Coniurata tuas rumpere nuptias,
Et regnum Priami uetus.
Eheu, quantus equis, quantus adest uiris
Sudor? quanta moues funera Dardanæ
Genti? iam galeam. Pallas, & Aegida,
Currusq; & rabiem parat.
Nequidquam Veneris præsidio ferox,
Pectes cæsariem, grataq; fœminis
Imbelli cithara carmina diuides:
Nequidquam thalamo graues
Hastas, & calami spicula Cnossij
Vitabis, strepitumq;, & celerem sequi

Aiacem. tamen, heu, serus adulteros
Crines puluere collines.
Non Laertiaden, exitium tuæ
Gentis, non Pylium Nestora respicis?
Vrgent impauidi te Salaminius
Teucerque, & Sthenelus, sciens
Pugnæ, siue opus est imperitare equis,
Non auriga piger. Merionen quoque
Nosces. ecce furit te reperire atrox
Tydides, melior patre.
Quem tu, ceruus uti uallis in altera
Visum parte lupum graminis immemor,
Sublimi fugies mollis anhelitu,
Non hoc pollicitus tuæ.
Iracunda diem proferet Ilio,
Matronisq; Phrygum classis Achillei.
Post certas hiemes uret Achaicus
Ignis Iliacas domos.

COMMENTARII.

Totum hoc carmen ex Homero sumptum certum est, nihil enim est, quod apud illum poetam non reperias, multa Lamb. notauit; quibus nos quoque pauca addemus.

Helenam perfidus hospitam, Hom. lib. iij. Il. vbi Hector iratus Paridi ob ignauiã, quam in certamine cum Menelao detrectando ostendit, sic scripsit

ἐν ποντοπόροισι νέεσσι
πόντον ἐπιπλώσας ἑτάρους ἐρίηρας ἀγείρας
μιχθεὶς ἀλλοδαποῖσι, γυναῖκ' εὐειδέ' ἀνῆγες
ἐξ ἀπίης γαίης. idest, naui equor sulcans socios amabiles colligens, exteris cõmistus ex aliena terra formosam mulierem adduxisti. hoc est quamobrem poeta Helenam hospitem appellauit.

Ingrato, Virg. vinculis & carcere frenari uentos dixit ab Aeolo. celeres autem uocat uentos, ut magis constaret nulla re magis eos gaudere, quam erumpere, & passim omnia perflare. unde non ab re poeta noster uagos appellat, ibi, *taceteq; ripa uagis taciturna uentis*. & Virgilius rapidos, *Quippe ferant secum rapidi, uerrantq; per auras*. Ideo Statius insanos, Ouid. uim feram uentorum, ac rabiem, Cat. uero uesanientes uocauit.

Fera fata, nimirum, quoniam sic Hom. eodem in lib. & loco, quem paullo superius citauimus, πατρί τε σῷ μέγα πῆμα; πόληΐ τε, παντί τε δήμῳ. idest patriq; tuo ingentem calamitatem, urbiq; atque uniuerso populo.

Nereus, hunc Vatem facit. Etenim Hesiodus, ut Lambinus etiam uidit, illum ἀψευδέα, καὶ ἀληθέα, idest minime mendacem; sed ueridicum appellat. quod Vatibus in primis conuenit. in quem Hesiodi locum uetus Interpres rationem reddit, quamobrem poeta ille ita Nereum appellauerit. uerba interpretis sunt. Νηρέα τὴν ῥεῦσιν, καὶ τὸ καταφερὲς τῆς ὕλης λέγει. ἀψευδῆ δὲ, καὶ ἀληθέα. ἀψευδῆ μὲν ὡς παλαιᾶς οὔσης τῆς ὕλης, καὶ ὅτι αἰσχρὸν τοῖς παλαιοῖς ψεύδεσθαι. ἀληθῆ δὲ ἢ ὡς μὴ λανθανόμενον τῶν ἀληθῶν. ἢ ὡς μὴ πειθόμενον ψευδέσι· ἢ ὡς μὴ λέγοντα ψεῦδος. quibus uerbis significat per Nereum hyles fluxum intellexisse poetas. Ideoq; non mentientem, sed ueracem uocasse, quoniam uerissima existente Hyle, mendax minime sit. nam ueteribus mentiri turpe fuit. Veridicum, quoniam ueritatis non obliuiscitur. uel propterea quod uera proferat. Omitto quæ Ioannes Diaconus in hunc ipsum locum attulit. Huc pertinet, quod Apollonij Rhodij interpres in iiij. Ἀργοναυτικῶν ex Pherecydis sententia scripsit. Nereum tanquam oraculum respondere solitum, siquis coegisset, quod de Proteo proditum est. etenim, cum Herculi ab Eurystheo esset imperatum, ut sibi aurea mala afferret, nec ubi Gentium reperiri possent, sciret, a Nymphis Iouis, & Thetidis filiabus, quæ ad Erydanum in spelunca abditæ habitabant, instructus, Nereum comprehendit, & ui tandiu tenuit, quousque, in omnia miracula rerum conuersus, in pristinam figuram reuersus est. quo factum est, ut Herculi locum indicarit, unde poma aurea cum abstulisset, ad Eurystheum attulit. verba quædã describere placuit, toto loco omisso ob longitudinem: καὶ ὅτι αἱ νύμφαι Διὸς, καὶ Θέτιδος οἰκοῦσαι ἐν σπηλαίῳ περὶ τὸν ἠριδανὸν ὑπέθεντο ἡρακλεῖ μαθεῖν παρὰ. Νήρεως ποῦ ἂν εἴη τὰ χρύσεα μῆλα λαβεῖν αὐτὸν βίᾳ, πρότερον μὲν μεταμορφούμενον εἰς ὕδωρ, καὶ πῦρ, εἶτα εἰς τὴν παλαιὰν ὄψιν καταστάντα δηλῶσαι τὸν τόπον: idest, quod Nymphæ Iouis, & Thetidis filiæ antrum incolentes ad Erydanum Herculem monuerunt, ubi essent mala aurea, debere ipsum ui comprehendere, primum quidem se in aquam, & in ignem transformantem, postea in pristinam formam redactum indicare locum.

Crines puluere collines, non de Paride tracto intellige, sed de eo, quod maxime uitandum fuit ex Nerei prædictione. Nam an tractus fuerit patris, non satis constat. uariæ enim sunt de eius morte sententiæ. Sunt qui narrent, cum susceptum esset inter Paridem, atque Aiacem Oileum certamen, mutuis utrunque uulneribus occubuisse, ut ab eo trahi non potuerit. alij scribunt, post Hectorem, & Troillum fratres interfectos, postq; ab eo occisum Achillem à Pyrrho, uel, ut alij sentiunt, à Philoctete necatum. Ego libentius sentio cum Lambino, & alijs antiquioribus.

Non Laertiaden, magna ex parte bellum Troianum confecisse uidetur Vlysses Homero auctore. Idemq; Cicerone affirmante: qui non Aiacem, aut Achillem ab illo poeta πτολιπόρθιον fuisse dixit, sed Vlyssem.

Tydides melior patre, hoc apparet ex lib. v. Iliad. in quo Diomedis uirtus

tus pluribus extollitur, Venerem, & Martem uulnerantis. Id autem Patri Tydeo non contigit, ut deos vulneraret. Sic est apud Hom.

Κύπριδα μὲν πρῶτον χεδὸν οὔταδε χειρ' ἐπὶ καρπῷ

αὐτὰρ ἔπειτα αὐτῷ μοὶ ἐπέσσυτο δαίμονι ἶσος. vbi loquitur Apollo, Martem increpans, qui tantum robur Diomedi permiserit, ut deos uulnerari ab eo passus esset.

Graminis immemor, Virg. Immemor herbarum.

Sublimi fugies mollis anhelitu, Scaliger existimat hunc locum considerandum. Non intelligo, inquit, ex toto Galeno, quid sit sublimis anhelitus. Ego non puto consulendum Galenum, aut quempiam alium medicũ. Vox Sublimis spectat ad modum, ac morem cerui fugientis. qui, exagitatus, non demisso, at sublimi, atque alto capite fugit. ad quem modum poeta respiciens, sublimem appellauit anhelitum cerui. Si enim fugiens anhelat, ac si alto, ac sublimi capite fugit, nonne & ipse anhelitus sublimis emittitur? quam interpretationem agnoscit Acron, ac Porphyrion. uterque siquidem hypallagen esse figuram pro sublimi corporis parte, idest ore edito sublimem anhelitum interpretans. Quidam ex interpretibus sic. Anhelitu sublimi, idest ex sublimi a te supinante attracto. Lambini expositionem non omnino reijcio, nec prorsus recipio. parum ad rem. Accedit, quod frustra, & parum uenuste idem Scaliger emendat locum, aliam animaduersionem adiungens: Achillis, inquit, classem prolaturam diem Ilio. nõ enim fuit classis, sed ipse. Solus igitur Achilles sine ullo suæ classis auxilio, si pugnare uoluisset, diem Ilio non protulisset, sed statim euertisset? quis credat? tanti hominem unum fuisse? Sed classem Achillis idcirco diem euersionis Ilij protulisse dixit poeta, quoniam, ob raptæ Briseidis indignationem, suam ipsius classem a pugnando continuit. quia non pugnante in longius tempus dilata est Ilij expugnatio. recte igitur dixit Hor. classem Achillis Ilij diem, ruinamq; protulisse.

PALLINODIA Ode XVI.

O Matre pulchra filia pulchrior,
Quem criminosis cunque uoles modum
Pones iambis, siue flamma,
Siue mari libet Adriano.
Non Dindymene, non adytis quatit
Mentem sacerdotum incola Pythius,
Non Liber æque: non acuta
Sic geminant Corybantes æra.
Tristes vt iræ: quas neque Noricus
Deterret ensis, nec mare naufragum,

Nec

Nec sæuus ignis, nec tremendo
Iupiter ipse ruens tumultu.
Fertur Prometheus addere principi
Limo coactus particulam undique
Desectam, & insani leonis
Vim stomacho apposuisse nostro.
Iræ Thyesten exitio graui
Strauere: & altis urbibus ultimæ
Stetere causæ, cur perirent
Funditus, imprimeretque muris
Hostile aratrum exercitus insolens.
Compesce mentem: me quoque pectoris
Tentauit in dulci iuuenta
Feruor, & in celeres iambos
Misit furentem. nunc ego mitibus
Mutare quæro tristia, dum mihi
Fias recantatis amica
Opprobrijs, animumq; reddas.

COMMENTARII.

Cum puellam sibi dilectam suis carminibus læsisset poeta, postea uero pœnituisset, & propterea in gratiam cum ea redire uellet, puella fuit lenienda. artificiose autem sibi illam reconciliare cupiens, ea adhibet, quæ potissimum ad iram leniendam ualent, hæc autem sunt. si ueniam petimus, si nos pœnitere dicimus. si peccasse fatemur. si in iram culpam malefacti cõferimus: si iniuriam gratia resarcire prompti sumus. Quæ omnia poeta summo artificio experitur. In primis ualde se pœnitere toto carmine declarat. & peccasse fatetur. quæ iræ placandæ ualde conducere auctor est Aristoteles, secundo Rhet. ubi inquit, καὶ τοῖς ὁμολογοῦσι, καὶ μεταμελομένοις. idest, confitentibus, atque ijs, quos pœnitet, placatiores sumus. sane, qui pænitentia ducuntur. peccati pœnas quodammodo dare uidentur. quod cum animaduertunt, qui iniuria affecti sunt, placãtur. Ideo sic idem philosophus, ὡς γὰρ ἔχοντες δίκην τὸ λυπεῖσθαι ἐπὶ τοῖς πεποιημένοις, παύονται τῆς ὀργῆς. idest, tanquam enim pœnam dantes iniuriæ mitigant iram. iccirco, quoniam dolor loco uindictæ sit, ira cessat. factum aperte confitetur poeta, cum inquit, Me quoque pectoris tentauit in dulci iuuenta feruor, & in celeres iambos misit furentem. intelligebat profecto eodem præcipiente plurimum in hoc esse momenti. sic enim scribit Arist. σημεῖον δ' ἐστὶ τῆς τῶν οἰκετῶν κολάσεως. τοὺς μὲν γὰρ ἀρνουμένους, καὶ ἀντιλέγοντας μᾶλλον κολάζομεν. πρὸς δὲ τοὺς ὁμολογοῦντας δικαίως κολάζεσθαι, παυόμεθα θυμούμενοι. quibus significat, mitio-

res

res fieri nos, confitentibus. quod in seruis probari dicit, in quos leniores sumus, si confitentur scelus admisisse, negantibus acerbiores. Accedit, quod in iram culpam conferre non leue est ad ueniam impetrandam. eodē Arist. auctore. qui inquit: καὶ τοῖς δι᾽ ὀργὴν ποιήσασιν ἢ οὐκ ὀργίζονται, ἢ ἧττον ὀργίζονται. ubi pulcherrimam huius rei rationem affert. quoniam apparent peccasse, non ut contemnerent, in iram enim non est contemptus. Igitur egregie simul, atque erudite se ira incensum iambos in hanc scripsisse se excusat, cum inquit: Non Dindymene, non adytis quatit mentem Sacerdotum incola Pythius. Iram autem suam amplificat comparatione, qua nulla aptior poterat reperiri. in qua id seruauit, quod in hoc genere seruari superius ex Aristotele docuimus. suū enim furorem uel maximis illis anteponit. Quoniam uero uindicta statim ira tollitur, petit, ut iambos, quibus puella fuerat læsa, uel flammis, uel mari perdat. Ad extremum, quasi nulla in re uoluerit ab ijs, quæ a summo philosopho didicisset, recedere, se passim puellæ submittit: huiusmodi enim hominibus non difficile placamur, qui sese nobis demissos præbent. nam nobis sic inferiores esse fateri uidentur. Carmen autem concludens pollicetur se iniuriam gratia resarcire, cum inquit: Nunc ego mitibus mutare quæro tristia.

O matre pulchra, hæc est recantatio. prima autem Palinodia fuisse creditur, quam Stesichorus cecinit in Helenam, quam uituperauerat, qua ademptum lumen oculorum sibi fuit restitutum. Cum poeta puellæ deformitatem obiecisset, nunc formosam esse dicit.

Criminosis iambis, sic appellat iambos, quod hoc carminis genere conuiciari inter se soliti essent ueteres. de quo in ore Aristoteles in Poetica. διὸ καὶ ἰαμβεῖον καλεῖται νῦν, ὅτι ἐν τῷ μέτρῳ τούτῳ ἰάμβιζον ἀλλήλους. idest, ideo iambicum nominatur nunc, quoniam hoc metro inuicem conuiciabantur.

Sine flamma, quotiescunque ueteres uellent dicere aliquid omnino perdendum, ita loqui soliti sunt. Tibullus lib. j. eleg. ix.

Illa uelim rapida Vulcanus carmina flamma
Torreat, & liquida deleat amnis aqua. & Propertius.
Hæc ego non ferro, non igne coactus, & ipsa
Naufragus Aegæa uerba ferebat aqua. Sic alibi poeta.
Musis amicus tristitiam, & metum
Tradam proteruis in mare ponticum
Portare uentis. cui affine est illud Virgilij.
Nec ferre uidet sua gaudia uentos. & illud eiusdem non dissimile.
Sed aura omnia discerpunt. cum quo facit illud Tibulli:
Hæc deus in melius crudelia somnia uertat,
Et iubeat tepidos irrita ferre notos. adde & illud eiusdem:
Venti temeraria uota
Aeria & nubes diripienda ferunt.

Adriano,

Adriano, delectatur poeta uti mari Adriano pro alijs æquoribus, ut:

Fretis acrior Adriæ. Et:

Improbo iracundior Adriæ. Et:

Frustra cruento marte carebimus,

Fractisq; rauci fluctibus Adriæ. lege ad Od.iij.huius libri.

Non Dindymene. In sacris Cybelis satis compertum est uel pulcherrimo Catulli carmine adeo insanire solitos sacerdotes, ut sibi membra furentes abscinderent. quare egregiam furoris speciem elegit, ut indicaret, se maiori rabie concitatum. ab hoc furore hanc deam φιλοιστρομανῆ appellauit Orpheus. quasi œstro concitatam. vnde etiam ἀπὸ τοῦ κυβιστᾶν τὴν κεφαλὴν Cybelem uocatam scribunt optimi auctores. quod huius deæ sacerdotes ex furore capita rotabant, ululantesq; futura prædicebant. quam capitis rotationem sic Catull. expresit:

Vbi capita Mænades ui iaciunt hederigeræ.

Pythius, tali furore se etiam actum dicit, quali Phœbades ab Apolline Pythio. quæ Bacchantium in morem insaniebant. Bacchantum autem insania nulla maior. quamobrem ad rem magis augendam, addit. Non liber æque &c. Corybantes autem, quos huic deæ ministros addidere, narrat deę cum ensibus adesse. quos etiã furere nomen indicat. nam κορυβαντίζειν dicebantur, qui & ipsi capita iactarent.

Quas neque Noricus, Noricis sæpe poeta utitur pro excellenti specie immanitatis. quattuor ponit terribilia. Noricum ensem, mare naufragum, ignẽ, & fulmen, quo nihil terribilius, quorum iram cohiberi nullo modo posse dicit.

Nec tremendo Iuppiter, Scaliger offenditur, in hoc pronomine, Ipse, quamuis fateatur habere emphasin. putat tamen potius ad complendum uersiculum esse additum, quod absurdum est dixisse. nam, si emphasis est in illa uoce, eius rei causa addita est. quare, quomodo ad uersum complendum infercita est? profecto uox, Ipse, eam habet uim, ut, si absit, nullum pondus habeat sententia. quare temere emendauit, Iuppiter horrisonus tumultu, uel nec tremenda fulminis horrisoni ruina. quam eleganter uideant doctiores. mihi eiusmodi uidetur uerborum istorum cõpositio, ut Iuppiter horribili suo tumultu præcipitare ac ruere uideatur. Addit: Nec cum ipso dixerim. bilem stomacho appositam. ita damnat, quasi in calcaneis appositam bilem dixisset poeta. At, quamuis ex philosophorum sententia iræ sedes in corde sit, nihilominus uulgi opinionem, quod sępissime faciunt poetæ, secutus, stomacho attribuit. uide Oden xiij. huius libri. ad illum locũ, *Væ meum feruens difficili bile tumet iecur.* Vulgus sane in stomacho sedere existimat iracundiam. unde Stomachari factum est uerbum. pro indignari. & Stomachus pro indignatione. Quod uero inquit, neque boni philosophi interest existimare partes nostras esse ex aliorum natura animaliũ

ex ceptas,

exceptas, ita uidetur sensisse. quasi poeta intelligere uoluisset re uera Prometheum expectoratis, atque exenteratis animalibus particulas illas extraxisse, atque in hominem suum iniecisse. sed illas partes intellexit, quæ similes essent illorum animalium naturis, quæq; cum illis consentirent, & has tributas homini fuisse. quare ille iram Leonis similem homini tribuit. sed poetice rem exprimere uoluit Horatius. Idem poetam irridens etiam philosophum appellat, cum hoc in loco nihil minus uideri uelit, quam philosophus. fingit poeta, & hominum opiniones sequitur. uerisimile sit illud, an non, poetæ nihil interest. Nec illud omittit, inquies: Nec Prometheus coactus fuit, aut coactus fecit. Ergo in iudiciū cogendus est Prometheus, ac uel iureiurando compellendus, uel in quęstione rogandus, ut confiteatur, an in illa sua hominis formatione inuitus, an uolens stomacho illius bilem apposuerit. Quid? quod illud etiam insimulat. Neque recte, inquit, dicas muris aratrum impressum, sed murorum loco deiectorum. Quid prohibet in ædificiorum fundamentis non euulsis, atque effossis impingi aratrum posse? nonne in subterraneis adhuc cellas, pauimenta, atque alia huiusmodi quotidie erui uidemus? Ideo hic est apud Virg.

Scilicet & tempus ueniet, cum finibus illis
Agricola incuruo terram molitus aratro
Exesa inueniet scabra rubigine pila.
Aut grauibus rastris galeas pulsabit inanes,
Grandiaq; effossis mirabitur ossa sepulchris.

Tremendo tumultu, elegans fulminis Periphrasis. alibi etiam pro ingenti ut posuit ibi: Nec fulminantis magna Iouis manus. Obseruabimus in ijs quattuor terribilibus esse incrementum. quod auctore Fabio viij. Inst. est, cum magna uidentur etiam quæ sunt inferiora. ensis quidem dolosa res est. mare formidolosior. ignis adeo formidolosus, ut cum eo nec enses, nec mare sit conferendum: fulmen uero omnia terribilia longe superat. est enim ineuitabile. tale incrementum lege Oda iij. libri iij. *Iustum, & tenacem propositi uirum non ciuium ardor. &c.*

AD TYNDARIDEN. Ode XVII.

V*ELOX amœnum sæpe Lucretilem*
Mutat Lycæo Faunus, & igneam
Defendit æstatem capellis
Vsque meis, pluuiosq; uentos.
Impune tutum per nemus arbutos
Quærunt latentes, & thyma deuiæ
Olentis vxores mariti:
Nec virides metuunt colubros,

Nec Martiales hædilia lupos,
Vtcunq; dulci Tyndari fistula
Valles, & Vsticæ cubantis
Leuia personuere saxa.
Dij me tuentur: Dijs pietas mea,
Et Musa cordi est. hinc tibi copia
Manabit ad plenum benigno
Ruris honorum opulenta cornu.
Hic in reducta valle, caniculæ
Vitabis æstus: & fide Teia
Dices laborantes in uno
Penelopen, vitreamq; Circen.
Hic innocentis pocula Lesbij
Duces sub vmbra: nec Semeleius
Cum Marte confundet Thyoneus
Prælia: nec metues proteruum
Suspecta Cyrum, ne male dispari
Incontinentes inijciat manus;
Et scindat hærentem coronam
Crinibus, immeritamq; vestem.

COMMENTARII.

Conatur poeta allicere puellam ad uillam suam, eam ab amœnitate, & uoluptate, multisq; commoditatibus commendans. fit enim, ut, proposita aliqua delectatione, uel utilitate, facile homines moueantur. quare nullo negotio ad id, quod uolumus, faciendum impelluntur. hac ratione Mœris pastor apud Virgilium Galatheam, ut ad se ueniat, inuitat delitijs istis proponendis.

Huc ades o Galathea, quis est nam ludus in undis?
Hic uer purpureum, uarios hic flumina circum
Fundit humus flores, hic candida populus antro
Imminet. & lentæ texunt umbracula uites. Similem Comatas amœnitatem proponit Laconi apud Theocritum.

οὐχ ἑρψῶ τηνεῖ. τουτᾷ δρύες, ὧδε κύπειρος,
ὧδε καλὸν βομβεῦντι ποτὶ σμάνεσσι μέλισσαι,
ἔνθ' ὕδατος ψυχρῶ κρᾶναι δύω. ταὶ δ' ἐπὶ δένδρῳ
ὄρνιχες λαλαγεῦντι, καὶ ἁ σκιὰ οὐδὲν ὁμοία
τᾷ παρὰ τίν. βάλλει δὲ καὶ ἁ πίτυς ὑψόθε κώνους. idest: Non ibo illuc, hic quercus, hic cyperus, hic dulce susurrant apes circum aluearia, hic gelidi fontes duo, uolucres in arboribus canunt. & umbra, quæ apud te

est,

est, nulla in re similis est. demittit & pinus desuper nuces. quo respexit Virg. in Gallo.

Mecum inter salices lenta sub uite iaceres,
Serta mihi Phyllis legeret, cantaret Amyntas,
Hic gelidi fontes, hic mollia prata Lycori.
Hic nemus. hic ipso tecum consumerer æuo.

Cum autem delectatio sit cognitiuæ uirtutis permotio, auctore Arist. primo Rhet. ubi, inquit, ὑποκείσθω δ' ὑμῖν εἶναι τὴν ἡδονὴν κίνησιν τινὰ τῆς ψυχῆς. idest, supponamus autem uoluptatem esse motionem animæ. cumq; cognitiuæ uirtutes duæ sint, sensus, & mens, quæ diuersis rebus delectantur, mentem, quæ præclara, & magna sunt, & cum uirtute coniuncta, delectant. sensum uero, quæ uoluptatem tantum habent, cuiusque propriam, uerbi causa, oculi coloribus, aures sonis delectantur. poeta prudens illud uoluptatis, ac delectationis genus adsciuit, quod mulierculæ cõuenire, quodq; sensus potissimum appetere intelligebat. Ideo amœnitatem, quæ in pulchritudine uillarum, collium, pratorum, siluarum, & fontium est, proponit. Huiusmodi multa sunt in poetis. in quibus illud poetæ non est prætermittendum.

Libet iacere modo sub antiqua ilice,
Modo in tenaci gramine.
Labuntur altis interim ripis aquæ,
Queruntur in siluis aues.
Fontesq; lymphis obstrepunt manantibus.
Somnos quod inuitet leues. quibus nihil suauius.

Velox, quid ita? cum sit caprinis pedibus? nam infirmis artubus hædos dixit Virg. an eo uerbo Dei cupiditatem uoluit declarare, ad Lucretilem properantis?

Defendit, Græci ἀμύνεται dicerent. quod uerbum & defendendi, & propulsandi uim habet. duo autem commoda a Fauno dicit capere, nempe ne æstus, neve pluuiæ noceant. quæ duo molesta sunt, Ideo Tibull. sic Priapo precatur:

Sic umbrosa tibi contingant tecta Priape,
Ne capiti soles, ne noceantq; niues.

Sic autem usus est poeta hoc uerbo, quemadmodum Virgilius. ibi:

Dum teneras defendo a frigore myrtos.

Pluuiosq; uentos, Virg. austros pluuiales, etiam appellauit: ibi.

Vere madent udo terræ, ac pluuialibus austris.

Sic hædos cœleste signum.

Quantus ab occasu ueniens pluuialibus hædis, Verberat imber humum,

Sic pluuias hyadas dixit.

Pluuiasq; hyadas, geminosq; triones.

Impune tutum, extollit Fauni cantum. quem adeo dulcem esse ait, ut

 greges

greges omnes luporum, ac ferarum, incursus spernentes, nihil metuant, tuti harmonia canentis Fauni. poeta huic Deo fistulam tribuit, qui idem est cum Pane. cui omnis antiquitas hoc organum tribuerat. Virg.

Pan primus calamos cera coniungere plures Instituit.

Nec uirides metuunt colubros, quamuis id tribuatur cantilenæ Fauni, nihilominus allusisse potuit poeta ad illud, quod narrant. scilicet in Parthenio Arcadiæ monte templum fuisse Panos, quod uelut Asylum animalibus fuerit, quo adire non audebant nec Leones, nec Lupi, dum ea insequerentur.

Dij me tuentur, dijs amicos esse poetas, cum multa, tum illud de Archilocho argumento esse potest. quem ab Apolline Pythio ualde dilectum narrant, adeo, ut Pythia illius poetæ interfectorem Calondam, uel, ut alijs placet, Calonidem tanquam impium, fuerit insecuta, eumq; ijs uerbis è templo eiecerit. μουσάων θεράποντα κατέκτανες, ἔξιθι ναοῦ. idest, musarum ministrum occidisti, exi de templo. Hor. etiā fatetur se a Fauno seruatum, lib. ij. Od. xvij. *Me truncus illapsus cerebro sustulerat, nisi Faunus ictum dextra leuasset Mercurialium custos uirorum.*

Caniculæ uitabis æstus. Ab utili. de huius ardoribus sic Virg.

Iam rapidus torrens sitientes Syrius Indos, Ardebat cælo. Et:

Tum steriles incendere Syrius agros.

Arebant herbæ, & uictum seges ægra negabat.

Quare Ouidius sitientem appellauit.

Et fide Teia, aliud genus uoluptatis ad puellam magis alliciendum suauissimum enim est in Vallibus recubantem, proiectumq; in gramine sub opacis umbris æstum uitare, & præterea alicuius cantu permulceri. quare inquit, & fide Teia dices laborantes in uno Penelopen, uitreamq; Circen. ubi malim legere, Disces, scilicet a me canente. nisi aliquis dicat, sic hoc loco uoluisse Tyndaridem cantare Penelopes, & Circes amores, quemadmodum lib. iij. Od. xxviij. uoluit Lyden Canere Latonam, & Dianam.

Nos cantabimus inuicem

Neptunum, & uirides Nereidum comas,

Tu curua recines lyra

Latonam, & celeris spicula Cynthiæ. Adde, quod Gyral. Lil. in poetæ uita scripsit alios dixisse, quod Anacreon scripsit.

Circen, & Penelopen in uno Vlysse laborasse.

Vnde sic fecisse putauit Horatium.

Hic innocentis, aliud incitamentum. quid enim suauius, quam, cum omnia caloribus æstuant, sub umbris potare? quare Virg.

Quale per æstum dulcis aquæ saliente sitim restinguere riuo.

Nec metues, quoniam non solum bonis abundare, uerum etiam malis carere optimum est, affirmat tutam fore puellam ab alterius amatoris incontinentia,

In uerbis hæc fortasse obseruare poterunt adolescentes. in ijs enim opus est eos potissimum laborare. ut ea in suis scriptis postea imitari discāt. mutare Lucretilem Lycæo, idest pluris facere, & propterea anteponere Lucretilem Lycæo. saxa personare fistula. copiam manare benigno cornu. uitare æstum, idest ardorem solis. sic *medios cum Sol accenderit æstus*, &, *ripaq; æstus uiridante leuaret*. ducere pocula Lesbij, locutio poetæ familiaris. quæ specie excellentis uini ornatior facta est. Thyoneum confundere prœlia cum marte. pro, uenire ad arma inter bibendum. qui modus pulchrior est metonymia Thyonei, idest Bacchi uini inuentoris pro uino. inijcere manus. scindere coronam crinibus. Cum uero dixit capellas quærere per nemora quod pascant, belle arbutos latentes, & Thyma elegit. Nec gratia caret capellas deuias dixisse, aut easdem uxores olentis mariti appellasse. Epitheta uero quam pulchra. amœnum maxime conueniens uillæ Epith. æstas ignea. Venti pluuij dicti sunt, sicut rores pluuij, arcus, aer. Colubri uirides. martiales lupi. uiridans ripa, fides Teia pro Lyrico carmine, sicut carmen Aeolium. fides Aeolia. sic Lesboum carmen, & barbiton sæpe usurpata sunt a poeta. Honores autem ruris pro omnibus, quæ è rure percipi solent, facile declarat quam uenustum sit. Hæc si collegerint Adolescentes, quis putarit inutile? Talia in uersibus scribendis eligenda eo studiosius, quod in paucos incurras, qui, quamuis se in hoc studio iactitent, nihilominus, quoniam hanc diligentiam uel contempserunt, uel hanc rationem ignorarunt, in quotidianis uerbis uersantes, ea scribunt, quæ solutis orationibus similiora sunt. ut me in ijs superstitiosum, curiosumq; uideri non pæniteat.

AD VARVM. Ode XVIII.

Vino moderate sumpto hilarari animum; immodico rixas excitari.

NVLLAM, *Vare, sacra uite prius seueris arborem*
Circa mite solum Tiberis, & mœnia Catili.
Siccis omnia nam dura deus proposuit: neq;
Mordaces aliter diffugiunt sollicitudines.
Quis post vina grauem militiam, aut pauperiem crepat?
Quis non te potius, Bacche pater, teq; decens Venus?
At, ne quis modici transiliat munera Liberi,
Centaurea monet Lapithis rixa super mero
Debellata: monet cum Scithonijs non leuis Euius:
Cum fas, atq; nefas exiguo fine libidinum
Discernunt auidi. non ego te, candide Bassareu,

Inuitum

Inuitum quatiam : nec varijs obsita frondibus
Sub diuum rapiam . saua tene cum Berecynthio
Cornu tympana : quæ subsequitur cæcus amor sui,
Et tollens uacuum plus nimio gloria uerticem .
Arcaniq; fides prodiga , perlucidior vitro.

COMMENTARII.

Nullam Vare, Scaliger insuauem, coactisque numeris quæsitam, potiusquam oblatam ait esse hanc Oden. Non dubium est alios numeros alijs esse iucundiores. si quis hanc Oden cum reliquarum odarum numeris cõparet, procul dubio insuauior uidebitur. huiusmodi sunt undecima primi libri, ac duodecima tertij. a qua iucunditate abest etiam illud Catulli carmen de Ati, & Cybele, hæc ob metri longitudinem, quæ differt exitum, quem aures expectant, amittunt uoluptatem. & quod magis solutæ orationi similia sunt, illis delicijs, quas Scaliger desiderat, carent. Verum si eleganter, & poetice, ut præsens carmen, contexta fuerint, finem suum assecuti poetæ sunt. Nemo igitur huiusmodi numeros debet improbare. De hoc numeri genere intellexit Cic. in perfecto Oratore, cum inquit: In uersibus res est apertior. quamquam etiam a modis quibusdam cantu remoto, soluta uideatur Oratio. maximeq; id in optimo quoque eorum poetarum, qui λυρικοὶ a Græcis nominantur, quos cum cantu spoliaueris, nuda pene remanet oratio : cur igitur reprehendit ille? si horum carminum ea est natura, ut per sese huiusmodi sint? profecto aut alij lyrici explodendi, aut horum numerorum inuentores irridendi.

Vare, de Varo lege ad Oden sextam huius libri, quæ adnotauimus.

Siccis, sic Virg. Fauces lupi famelicas dixit.

Collecta fatigat
Ex longo rabies, & siccæ sanguine fauces. sic de Caco:
Et angit inhærens
Elisos oculos, & siccum sanguine guttur. tunc enim siccæ sunt fauces, cum sitimus. Seneca de Tantalo in Herc. fur.
In amne medio faucibus siccis senex sectatur undas.

Mordaces, hac de causa Catonem Vticensem narrant ad auroram cum amicis potando uigilasse. quod Plato non reprehendit. qui largius bibendo hilariores animas reddi existimauit. Hinc illa:
Quare sæpe uiri nunc uino pellite curas, &
Dulci mala uino lauere, Ideo obliuiosum Masicum poeta appellat sane uinum est uerum νηπενθὲς, quod Helena apud Hom. miscuisse uino dicitur. ut esset ἄχολόν τε, καὶ κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων. idest, quod esset mæroris expers, & malorũ omniũ obliuio. quare sic lusit suauissimus Anacreon.

ὅταν

ὅταν Βάκχος εἰσέλθῃ, εὕδουσιν αἱ μέριμναι. idest, ubi Bacchus aduenerit dormiunt curæ. Sed nemini magis congruit uinum, quam poetis. quare non absurde dictum fuit a Nicerato poeta:

Οἶνός τι χαρίεντι μέγας πέλει ἵππος ἀοιδῷ

ὕδωρ δὲ πίνων οὐ καλὸν τέκοις ἔπος. idest, uinum gratioso poetæ magnus est equus. aquam bibens nunquam elegans carmen paries.

Ac nequis, uini mensuram transilite & periculosum, & turpe. nam aiunt, οἶνον οὐκ ἔχειν πηδάλια. idest, uinum non habere clauum. quo sicut nauis destituta, ac spoliata, huc illuc iactata fertur, ita ratio ebrietate impedita, atque obruta, temere agitatur. Alexandri uinolentia infamis habita est. hanc Cicero sæpe M. Antonio obiecit. Romæ fœdum hoc fuit. huic uitio præerant censores. in Græcia principes hac turpitudine notati Solonis legibus erant subiecti.

Centaurea, de hac rixa sic Virg.

Bacchus & ad culpam causas dedit. ille furentes
Centauros læto domuit. Rhetumq; Tholumq;
Et magno Hyleum Lapithas cratere minantem. Et Prop.
Aspera Centauros eadem dementia iussit
Frangere in aduersum pocula Pirhitoum.

Non ego te candide Bassareu, talem sententiam protulit Catullus.

Dea magna, dea Cybele, dea atrox Dindymi
Procul a me tuus sit furor omnis hera domo. Candidum appellans Bacchum, blanditur. sic Tib.
Candide Liber ades, sic sit tibi myslica semper Vitis.

Quæ subsequitur, mirum quam sibi placeant ebrij, quantumq; sibi tribuant.

Arcaniq; fides, ideo Bacchus nudus fingebatur, nempe ad naturam uini significandam. quod omnia secreta reuelat. unde illud, ἐν οἴνῳ ἀλήθεια. lege librum prouerbiorum.

DE GLYCERA. Ode XIX.

Se illius amore uri.

MATER sæua Cupidinum,
Thebanæq; iubet me Semeles puer,
Et lasciua licentia
Finitis animum reddere amoribus.
Vrit me Glyceræ nitor
Splendentis Pario marmore purius:
Vrit me grata porteruitas,

Et uultus nimium lubricus aspici.
In me tota ruens Venus
Cyprum deseruit: nec patitur Scythas
Aut uersis animosum equis
Parthum dicere: nec, quæ nil attinent.
Hic uiuum mihi cespitem, hic
Verbenas pueri ponite, thuraq;
Bimi cum patera meri.
Mactata ueniet lenior hostia.

COMMENTARI I.

Mater sæua Cupidinum, se grauissimo amore torqueri declarat. amoris autem sui tres causas esse narrat, scilicet Venerem, Bacchum, & nimiam licentiam. duæ sunt insignes Periphrases Veneris, & Bacchi.

Finitis animum, alibi etiam queritur se iterum ad amorem reuocari, scilicet lib.iiij.Od.j. Intermissa Venus diu rursus bella moues.

Vrit me Glyceræ nitor, pulchritudine Glyceræ dicit se grauissimo amore detineri. nimirum hæc illaqueat, atque irretit. amor enim pulchritudinem sectatur, & quærit. & profecto pulchritudo ipsa, auctore Ficino in Platonis Cõuiuium, est splendor quidam humanum ad se rapiens animum. qui est in oculorum, lineamentorumq; decore, quem nitorem appellat poeta. & propterea ait, se eo Glyceræ nitore splendentis pario marmore purius uri. quasi amoris causam indicaret.

Vrit grata proteruitas, sæpe contingit, ut puellarum asperitas magis incendat amantes. &, quo magis ab illis arceantur, eo magis eas quærant, atque appetant.

In me tota ruens Venus, sic Virg. de Didone:
Insideat quantus miseræ deus.

Nec patitur Scythas, uel re uera Scythas, & Parthos populi Romani hostes, bellumq; parantes significat. nam Ode xij. huius libri dixerat, *Ille seu Parthos Latio imminẽtes Egerit iusto domitos triumpho*. uel per hos intelligit bella cuiusuis nationis, quæ fortasse canere potuisset, nisi Glyceræ amore impediretur.

AD MAECENATEM Ode XX.

VILE *potabis modicis Sabinum*
Cantharis, Græca quod ego ipse testa
Conditum leui, datus in theatro
Cum tibi plausus,

Care

Care Mæcenas eques: ut paterni
Fluminis ripæ, simul & iocosa
Redderet laudes tibi Vaticani
Montis imago.
Cæcubam, & prelo domitam Caleno
Tu bibes uuam. mea nec Falernæ
Temperant vites, neque Formiani
Pocula colles.

COMMENTARII.

Leue est, quod in hac Ode tractatur. de cœnis, & compotatione agitur, quod humile est argumentum. hinc etiam apparet nihil esse quod non suscipiat Lyricus. Sed hæc exigua suam etiam habent rationem, qua tractanda sunt, sicut reliqua genera, quæ methodo constituuntur. in his potissimum λέξις. idest uerba sunt, quæ tenuitatem conficiunt. ea sunt auctore Phalereo, humilia, aut quæ a cõsuetudine non recedunt. sed, quoniam poetæ non possunt humi serpere, ab humilitate se plerunque eripiunt. & quãuis rem humilem tractant, nihilominus admiscent, quæ uenustatem habent figuris, & modis elegantissimis dicendi, accersendis. cuiusmodi sunt, Et iocosa redderet uoces tibi Vaticani montis imago, & Cæcubum, & prelo domitam Caleno tu bibes uuam. & illud, mea nec falernæ temperent uites, neque Formiani pocula colles.

Græca quod ego ipse testa conditum leui, huius uerbi uim sic expressit alibi, cum dixit: Corticem astrictum pice. pice enim obturabuntur dolia eius uini, quod seruari uellent. quare a pice picare factum est, & uasa picata. vnde est illud Virgilij in Copa: Est hic uappa cado nuper diffusa picato. qua uoce non semel Plinius, & Columella usi sunt. Contrariæ significationis est Relinere. Cuius loco modo dimouere ut est in superiori exemplo, est nisus, modo mouere, & promere, ut mouēri digna bono die, descende Coruino iubente pro mere languidiora uina, & prome reconditum Lyde strenũa Cæcubum. Interdum deripere. sic, parcis deripere horreo cessantem Bibuli Consulis amphoram. item uertere, ut non ante uerso lene merum Cado. Cum enim hauriendum esset uinum, dolium uertebant. libet etiam illud adiungere, poetam uini uetustatem ostendere uoluisse, cum inquit, datus in theatro cum tibi plausus. quo apparet tunc fuisse illud uinum conditum. Id alias sæpe sic notauit. Semel cum dixit, ut est in superiori exemplo, amphoræ fumum bibere institutæ consule Tullo. iterum ibi. Et cadum Marsi memorem duelli. uel cum sic fecit, O nata mecum consule Manlio, &, Parcis deripere horreo cessantem Bibuli Consulis amphoram. Sabinum conditum & proprie, & pulchre dictum est. obiter obser-

uabimus non tantum de uino dici Condere, quam de frumentis, cæterisq; omnibus fructibus.

Simul & iocosa redderet uoces. Pulchra & Echus, & plausus descriptio cum amplificatione. De Vaticano siquis requirat, legat Gellium lib. xvj. vel Lilium primo Syntag. uel Marlianum, de quo nemo diligentius tractauit lib. vij. cap. x.

IN DIANAM ET APOLLINEN. Ode XXI.

Sęculare Carmen.

DIANAM *teneræ dicite uirgines:*
Intonsum, pueri, dicite Cynthium,
Latonamq; supremo
Dilectam penitus Ioui.
Vos lætam fluuijs, uos nemorum coma,
Quæcunque aut gelido prominet Algido,
Nigris aut Erymanthi
Siluis, aut viridis Gragi:
Vos tempe totidem tollite laudibus,
Natalemq; mares, Delon Apollinis.
Insignemq; pharetra,
Fraternaq; humerum lyra.
Hic bellum lacrymosum, hic miseram famem,
Pestemq; a populo, & Principe Cæsare, in
Persas, atque Britannos
Vestra motus aget prece.

COMMENTARII.

Dianam, quamuis inscriptum sit sæculare carmen, non ideo ludis sæcularibus, qui centesimo, uel centesimo decimo anno celebrabantur, cantatum esse putandum est. Sed de Ludis Apollinaribus, de quibus Macrobius, Seruius in vj. Aen. Lil. Syntag. vij. intelligendum. Huic autem Deo, ritu Greco faciebant, boue aurato, & capris duabus albis auratis. xviij. Augusti in circo Max. quem si Tiberis inundasset, extra portam Collinam ad Veneris sacra faciebant.

Teneræ virgines, sic in sęculari carmine gratos dijs esse canit pueros, ac uirgines ob puritatem. Neminem latere debet hymnos in deorum laudem compositos puerorum, & puellarum choris canendos in sacris dari solitos.

Casti

Caſti enim ſunt. & caſta placent ſuperis. Itaque ſacerdotes ſacra facturi a Venere abſtinebant. quod Numam feciſſe narrant, cum pro frugibus faceret. Hinc eſt, quod nonnullorum deorum ſacerdotes, ut Matris Deum, Samia teſta ſibi uirilia amputabant. legimus Hierophantas Athenienſium ad ſacerdotium admiſſos cicutæ hauſtu ſe euiraſſe ſolitos. Ideo factum eſt, quamobrem lege peruetere ſcriptum eſt, Ad diuos caſte adeunto.

Intonſum pueri, comatum Apollinem fingunt per comas ſolis radios notantes. quare aureas comas huic tribuebant. unde χρυσοκόμης, χρυσοχαίτης, καίτηος, & ἀκερσεκόμης a poetis ſæpiſsime eſt appellatus, quod illud etiam demonſtrat:

Perpetua eſt Phœbo, Bacchoq; iuuenta,
Et decet intonſus crinis utrumque deum.

Cynthium, eadem ratione Delius, & Cynthius a loco natali dictus eſt. Conſtat enim eandem eſſe Inſulam Delon, & Cynthum.

Latonamq;, huic bouem auratam in his ludis ſacrificabant. Ouid.

Indutæ cornibus aurum
Conciderant ictæ niuea ceruice iuuencæ.

Vos lætam fluuijs, his enim delectatur Diana. quod in illis per æſtum cum Nymphis ſeſe oblectet. quare ποταμίαν ἀρτέμιδα Pindarus ij. Pyth. uocauit. ibi: ἱπάρματος ἥρων ἐν ᾧ κρατέων τηλαυγέσιν ἀνέδησεν ὀρτυγίαν στεφάνοις ποταμίας ἀρτέμιδος. ideſt, in quibus quadrigis, ſcilicet Hieron curru uictor procul ſplendentibus coronis Ortygiam ornauit fluuialis Dianæ. Interpres in Pindarum Dianam, quæ Ἀλφειῶα, ideſt, Alphea dicitur, ſignificari ſcribit, propterea quod Dianæ ſtatua ad Arethuſam fontem poſita eſſet, ipſamq; Arethuſam ab Alpheo aquam recepiſſe, ex quo ſic appellari potuit. addit ibidem interpres ab Alpheo dilectam aliquando Dianam. &, cum ad Ortygiam uſque eſſet ſecutus, deſtitiſſe. quamobrem illic Dianæ templum fuiſſe factum narrat. alluſiſſe puto Horatium ad illud Epitheton, quod Pindarus eo in loco Dianæ tribuit, ut fuit Græcorum ſtudioſiſsimus obſeruator. Non omittam, quod de Alphei amore in Dianam ſcribit Pauſanias Eliacorum poſteriorum. j. lib. vj. vbi inquit: Cum Alpheus amore Dianæ captus eſſet. nec illius amoribus potiri poſſe ſperaret, uim illi afferre conatum. Cum illa fugiens Alpheum Letrinos uſque ad nocturnos choros pertranſiſſet, ibi deam ſibi ſuiſque comitibus cœno os obleuiſſe. quare, cum ille Dianam a cæteris Nymphis diſcernere non potuiſſet, eluſum abijſſe, & ab eo Alphei amore Letrineos Dianam Alpheam nuncupaſſe.

Nemorum comam, eleganti figura frondes nemorum notat. Sic Virgilius de orno: Et tremefacta comam concuſſo uertice nutat. quamobrem ille tonſam oliuam dixit. ſic alibi: Nunquam fronde leui fundet uirgulta, nec umbras, Cum ſemel in ſiluis ima de ſtirpe reciſum, Matre caret, poſuitq; co-

mas, & brachia ferro. Sic Ouid. tonsam comas arborem dixit. Adde, quod de floribus etiam dicuntur comæ. Virg. Sera comantem narcissum.

Erymanthi, pulcherrimum montis nomen. & quod uenustatem, dignitatemq; carmini afferat. hoc autem obseruandum. nempe ut illustres species eligamus. de quo superius. ut uero oēs montes uenationibus sint apti, Erymanthū præter cæteros celebrat Ouid. huic studio aptissimum ij. Met.

Arcas adest, ter quinque ferens natalibus annos,
Dumq; feras sequitur, dum saltus eligit aptos,
Nexilibusq; plagis siluas Erymanthidos ambit,
Incidit in matrem.

Bellum, pestem, famem, tria miserabilia. quibus urbes uexantur. Ideo in carmine sæculari sic precatur poeta:

Fertilis frugum, pecorisq; tellus,
Spicea donet cererem corona
Nutriant fœtus, & aquæ salubres, Et Iouis auræ. & addit. Condito mitis, placidusq; telo supplices audi pueros Apollo. Quid iucundius, quid uenustius, aut purius hoc carmine reperiri possis, non inuenias. Sane deorum, ad quos scribitur, auribus dignum iudicabis.

AD ARISTIVM. Ode XXII.

Innocentiam ubique tutam.

INTEGER *uitæ, scelerisq; purus*
Non eget Mauris iaculis, neque arcu,
Nec venenatis grauida sagittis
Fusce pharetra,
Siue per Syrtes iter æstuosas,
Siue facturus per inhospitalem.
Caucasum, vel, quæ loca fabulosus
Lambit Hydaspes.
Nanque me silua lupus in Sabina,
Dum meam canto Lalagen, & vltra
Terminum curis vagor expeditis,
Fugit inermem.
Quale portentum neque militaris
Daunia in latis alit esculetis:
Nec Iubæ tellus generat leonum
Arida nutrix.
Pone me, pigris vbi nulla campis
Arbor æstiua recreatur aura:

Quod latus mundi nebulæ, malusq;
Iuppiter vrget:
Pone sub curru nimium propinqui
Solis, in terra domibus negata:
Dulce ridentem Lalagen amabo,
Dulce loquentem.

COMMENTARII.

Integer, talem Cicero sæpe iustum, religiosum, innocentem, castißimũ, contra impurum, contaminatum, fœdum, appellat. magna uirtus in homine est innocentia. hæc neminem lædit, neminem iniuria afficit. ab omni turpitudine, & flagitio abstinet. Sententia maxime religioni Christianæ, ac sanctitati consentanea est. qui enim sunt ita instituti, ut neminem lædant, suntq; ab omni scelere alieni, deo gratißimi sunt. qui autem fieri potest, ut hi ubi uis tuti non sint? Ab innocentia se laudat, ac suo exemplo innocentem per se nulli periculo obnoxium esse confirmat.

Non eget Mauris iaculis, idest, nullis ad se tuendum armis indiget. Satis sua pietate tectus est. Iacula autem, arcum, & sagittas pro omni telorum genere posuit. & egregia illa figura, & sibi tam familiari utitur specie, inquam, pro genere.

Venenatis sagittis, ad certum exitium ueneno ungi solent sagittæ. Sic Cicero uocat capras confixas uenenatis sagittis de nat. deor. & telum uenenatum dixit de diuinatione. quare factum est, ut ferrum, & calamos ueneno armare dixerit Virgilius ibi:

Quo non felicior alter
Vngere tela manu, ferrumq; armare ueneno. Et:
Te quoque magnanime uiderunt Ismare gentes
Vulnera dirigere, & calamos armare ueneno.

Grauida sagittis, sic usi sunt alij poetæ hac translatione. Virg. lib. iiij. Sed fore qui grauidam imperijs, belloq; frementem Italiam regeret. Sic etiã tellurem, fruges, messem, aristas grauidas elegantißima translatione dixerunt.

Siue per Syrtes, Syrtes, Caucasum, atque Indiam loca periculis infamia pro locis omnibus uitandis posuit. quemadmodum lib. ij. Od. vj.

Septimi Gades aditure mecum &
Cantabrum indoctum iuga ferre nostra, &
Barbaras Syrtes ubi Maura semper
Aestuat unda. Propertius alia periculosa loca elegit. Ad Tullum:
Non ego nunc Adriæ uereor mare noscere tuum,
Tulle, neque Aegæo ducere uela salo.
Cum quo Riphæos ausim conscendere montes,

Vlteriusq;

Vlteriusq; domos uadere Memnonias. cui affine est illud Catulli:

Furi, & Aureli, comites Catulli,
Siue in extremos penetrarit Indos,
Longe, ubi litus resonante Eoa
Tunditur unda,
Siue in Hircanos, Arabasq; molles,
Seu Sacas, sagittiferosq; Parthos,
Siue qua septem geminus colorat
Aequora Nilus,
Siue trans altas gradietur Alpes,
Caesaris uisens monumenta magni,
Gallicum Rhenum, horribiles &, ulti-
Mosq; Britannos.

Fabulosus Hydaspes, de quo multa, ut in fabulis, sunt ficta. sic lib. iij. Me fabulosae Vulture in Appulo Nutricis extra limen Apuliae. sic antiquitatem fabulosam dixere. Quid uero, si Hydaspen fabulosum appellauit, quod, ut est apud Geographos, aurum uehere is amnis dicitur. quo quid fabulosius?

Lambit, leuiter fluit. nihil de ripis secum trahens. sic Virg. de flamma in capite Iuli repente uisa. tactuq; innoxia molli lambere flamma comas, & circum tempora pasci. Eadem ratione dixit, Sidera lambit, ducta metaphora a cibis, qui non diripiuntur mordicus, sed leuiter lingua lambuntur.

Namq; me silua, sui exemplo probat innocentem ubiq; tutissimũ esse.

Pone me pigris, Hanc Mundi regionem sic diuinitus descripsit Virg. iij. Georg. quem locum, ut sub oculis sit, non ab re huc comportare uisum est. loquitur enim de Scythia:

Neque ullae
Aut herbae campo apparent, aut arbore frondes.
Sed iacet aggeribus niueis informis, & alto
Terra gelu late, septemq; assurgit in ulnas.
Semper hiems, semper spirantes frigora cauri.
Tum Sol pallentes haud unquam discutit umbras,
Nec cum inuectus equis altum petit aethera, nec cum
Praecipitem Oceano rubro lauit aequore currum.
Concrescunt subitae currenti in flumine crustae,
Vndaq; iam tergo ferratos sustinet orbes. & paullo post:
Interea toto non secius aere ningit.
Intereunt segetes, stant circumfusa pruinis
Corpora magna boum. Haec omnia, quae his Virgilij uersibus complectuntur, declarant loca illa inculta, & ignaua, ac prorsus sterilia. haec autem omnia uel uno uerbo complexus est poeta, pigros appellans campos. quo expressit vim Graecę uocis, ἀργοῦ. Graeci siquidem ἀργὸν ignauum, ac sterile

rile

rile uocant. quod uidit P. Victorius in Demetrium Phalereum, locum Antiphontis explicans. necesse enim est, ubi nihil est, quo industriam nostram exerceamus, ἀργοὺς, hoc est ignauos, ac pigros nos esse. quare Virg. Hiemem colono ignauam recte appellauit. ibi:

Nudus ara, sere nudus. hiems ignaua colono. quo tempore ab agris agricolæ amouentur. addit Victorius, χρήσιμα contra appellari eas telluris partes, quæ studio agricolarum coluntur.

Pone sub curru, hæc regio prorsus superiori contraria. de qua intellexit Virgilius. ibi:

Aethiopum uersemus oues sub sidere Cancri. De utraque autem plaga sic Theocritus in Thalisijs:

εἴης δ' ἠδονῶν μὲν ἐν ὤρεσι χείματι μέσσω
ἕβρον πὰρ ποταμὸν τετραμμένος ἐγγύθεν ἄρκτου.
ἔνδε θέρει πυμάτοισι πὰρ αἰθιόπεσσι νομεύοις
πέτρᾳ ὕπο βλεμύων, ὅθεν οὐκέτι νεῖλος ὁρατὸς. hoc est. Tu uero in Edonum montibus media hieme sis ad flumen Hebrum conuersus prope arcton. æstu uero in ultimis Aethiopibus pascas sub Blemiorum saxo, unde Nilus conspici non potest.

In terra domibus negata, tres sunt regiones domibus negatæ partim frigoribus, partim æstu. sed hoc ita dictũ est, non quod re uera ita sit, (nam Geographi, & qui nauigarunt, testes sunt non omnino esse inhabitabiles) uerum quod uulgus hominum ita opinatur. & ideo dicuntur inhabitabiles, quod minus apta sint humanæ naturæ domicilia. præsertim iuxta tropicos, ubi qui habitant, tetro colore, pusillo corpore, breuiori uita esse dicuntur. Idem dicendum de illis regionibus, quæ sunt sub circulis arctico, & antarctico usque ad Polos Mundi. sub æquinoctiali uero licet credere regiones etiam ualde temperatas esse ex æquali præsentia, atq; absentia solis, ex qua uicissitudine magnam temperiem, atque excellentem in primis locorum dispositionem existere consentaneum est. quare maximi auctores sub eo circulo deliciarum paradisum esse tradiderunt. quod argumentum est temperatissimam esse illam regionem: in qua tam optabilis sedes a Deo fuerit constituta.

Si quis quærat de uniuersæ sententiæ artificio, sic habeat, multis illam locorum enumerationibus uenustam, & splendidam esse factam. aliter arida, & exanguis futura erat. quibus uero uerborum ornamentis tota sit expolita, hæc esse mihi uisa sunt. Integer uitæ, scelerisq; purus. pulchra est innocentis hominis periphrasis. & quædam quasi ipsius definitio. Dicturus innocentem nullis armis egere, ad species armorum se retulit. sunt autem illa iacula, ac sagittæ. quas species ornauit mentione populorum, qui illis utuntur. Grauidam uero sagittis pharetram dicens, & sagittas uenenatas pulcherrime fecit. Dauniam, & Mauritaniam elegit pro omnibus locis,

quæ

quæ ferarum immanitata nobilitate essent, specie generis loco repetita aucta, & ornata res est. Adde, quod prudenter Mauritaniam circumscripsit, Iubæ tellurem eam nominans, uel ut uocem illam ornaret, uel ne in idẽ uerbum bis incideret. superius enim dixerat. Non eget mauris iaculis, pulchrum & illud fuit, illam regionem leonum nutricem appellasse. Quam eleganter autem Zonam torridam, frigidasq; descripserit, neminem latet. Modi dicendi insigniores sunt. facere iter per syrtes. Hydaspem lambere loca. curis esse expeditum. aura æstiua recreari. regionem aliquam nebulis, ac malo Ioue urgeri. Illud uero, Pone me sub curru nimium propinqui Solis, quis non intelligit uenustius esse, quam si sub propinquo Sole dixisset? Iam uero maura iacula, uenenatæ sagittæ, grauida sagittis pharetra; syrtes æstuosæ, caucasus inhospitalis, fabulosus Hydaspes. Daunia militaris, tellus Iubæ Leonum nutrix, campi frigidæ regionis pigri, aura æstiua, malus Iuppiter, Epitheta, quantum adiumenti attulerint ad ornandum, poeticæ locutionis periti statuant.

AD CHLOEN. Ode XXIII.

Non esse, cur uiriles complexus, iam uiro matura, refugiat.

VITAS hinnuleo me similis Chloe,
Quærenti pauidam montibus auijs
Matrem, non sine uano
Aurarum, & siluæ metu.
Nam, seu mobilibus ueris inhorruit
Aduentus folijs, aut uirides rubum
Dimouere lacertæ:
Et corde, & genibus tremit.
Atqui non ego te, tigris ut aspera,
Getulus ue leo frangere persequor.
Tandem desine matrem
Tempestiua sequi uirum.

COMMENTARII.

Vitas hinnuleo, sic Ouid. de Apolline Daphnem sequente:
Nympha precor Peneia mane, non insequor hostis
Nympha mane, sic agna lupum, sic cerua leonem,
Sic fugiunt Aquilam penna trepidante columbæ. vterque recte inuenit, atque assumpsit. In Ode xv. huius libri Paridem timidum ceruo comparat:
Quem tu ceruus uti uallis in altera

Visum

Visum parte lupum graminis immemor

Sublimi fugies mollis anhelitu. lib. uero iiij. Od. iiij. Rhetos Capreæ. hæc sane animalia timida præter cætera esse putantur. belle autem hinnuli metum auget, inquiens a matre semotum per auia montium iuga illam quærere. ubi cum auios montes dixisset, maiori metu correptum hinnulum significauit. ut uero magis magisq; ipsum metum amplificaret, adiunxit, aurarum etiam susurros ipsum perhorrescere, &, siquando frondes strepitantes, aut in cespite lacertam sese mouentem sentit, & corde, & genibus tremere. ubi timoris signa, nempe cordis palpitationem, genuumq; tremorem recte sunt expressa. Tale est illud apud Virg. de Aenea fugiente cum patre, & cum puero Iulo:

At me, quem dudum non ulla iniecta mouebant
Tela, neque aduerso glomerati ex agmine Graij,
Nunc omnes terrent auræ. sonus excitat omnis Suspensum. Quod autem metum uanum dixit, sic etiam Ouid. in Epistolis. Vanos, inquit, res habet ista metus. Lucretius lib. iiij. inanem, Virgilius, inanes horret strepitus.

Veris inhorruit aduentus folijs, id uoluit dicere, cum Vere redeunte Zephyri in frondibus strepentes, illas mouent, Virg. motare usus est, idem significans:

Siue sub incertas Zephyris motantibus umbras. Et:
Tum rigidas motare cacumina quercus. illum frondium motum poeta pulcherrimo uerbo, & poetis in primis familiari, expresit. in qua significatione Virg. lib. iij. Georg. usus est:

Tum segetes altæ, campiq; natantes
Lenibus horrescunt flabris. quo uerbo non modo foliorum, ac ramorum motum ex uentis notarunt, uerum maris etiam commotionem, cum leniter spirantes auræ undas impellere, ac tollere paulatim incipiunt. ut est illud apud Cic. iij. de Orat. de translatione præcipientem. Inhorrescit mare, tenebræ conduplicantur. & illud alterum apud Catullum:

Hic qualis flatu placidum mare matutino
Horrificans Zephyrus proclines incitat undas. Quis autem non miretur insignem, & uere poeticam figuram? Veris aduētum in folijs inhorrescere?

AD VIRGILIVM. Ode XXIIII.

Deflet Quinctilij mortem.

QVIS desiderio sit pudor, aut modus
Tam cari capitis? præcipe lugubres
Cantus Melpomene: cui liquidam pater
Vocem cum cithara dedit.

Ergo Quinctilium perpetuus sopor
Vrget? cui pudor, & iustitiæ soror
Incorrupta fides, nudaque veritas,
Quando vllum inueniet parem?
Multis ille bonis flebilis occidit:
Nulli flebilior, quam tibi Virgili.
Tu frustra pius, heu, non ita creditum,
Poscis Quinctilium deos.
Quid si Threicio blandius Orpheo
Auditam moderere arboribus fidem?
Num uanæ redeat sanguis imagini:
Quam uirga semel horrida
Non lenis precibus fata recludere,
Nigro compulerit Mercurius gregi?
Durum; sed leuius fit patientia,
Quicquid corrigere est nefas.

COMMENTARII.

Hanc Oden Carolus Sigonius explicauit aduersus Franciscum Robortellum, illius interpretationem reprehendens. cuius explicationem, quoniam erudita est, adscribendam existimaui. Sic ille. Hanc Oden a nemine adhuc intellectam, nec scite explicatam esse scribit Robortellus. Ipse autem se uerum sensum eiusdem monstraturum tum hoc loco, tum etiam in libro de arte corrigendi, ait, hoc modo. Primum hæc uerba cum interrogatione legenda esse censet. Quis desiderio, pudor, aut modus tam cari capitis. hoc sensu. turpe esse uiris diu lugere. sed amisso Quinctilio licere diu citra pudorem omnem lugere. mox apostrophe poetam uti ait ad Melpomenem Musam. quam rogat, ut flebile carmen sibi præscribat. & precatur his uerbis. Præcipe lugubres cantus Melpomene, cui liquidam pater uocem cum cithara dedit. post apostrophen sequi indignationem quandã summa contentione animi prolatam, his uerbis. Ergo Quinctilium perpetuus sopor urget? mox alia uerba proferri, quibus augere amici luctum conetur. Multis ille quidem flebilis occidit, nulli flebilior quam tibi Virgili. paulatim uero poetam labi ad consolationem, & mitigationem doloris. ut patet in consequentibus uerbis. quibus rebus expositis ita concludit. puto igitur satis omnes intelligere iam Horatij locum illustriorem esse hac emendatione, & declaratione. cum antea obscurus esset; & frigeret, neque in eo artificium ullum appareret. Hæc est Robortelli sententia. fit autem nescio quomodo, ut longe ab eo mea dissideat, præsertim cũ nec, qui loquitur, nec quæ sint uerba Musæ, nec quæ sit ratio consolationis aperiat; & uerba, &

sententiam

sententiam uenustissimam peruertat: quæ omnia apparebunt, si eam, quam ego meliorem semper esse existimaui, declarationem explicuero. Consolatur igitur Virgilium impatienter Quinctilij mortem ferentem, ratio consolationis inde petita est. Mors reuocari non potest, quæ uero reuocari damna nequeunt, patientia esse lenienda. Methodus est. Inducit Virgilium ipsum a Musa rationem huius tolerandi doloris exquirentem. Musam uero eam subijcientem. Verba Virgilij sunt: Quis desiderio pudor aut modus &c. Musa: Multis ille quidem usque ad extremum. Quærit autem a Musa Virg. primum, quousque desiderari amicum debeat, idest, quæ sit ratio leniendi desiderij amici sui causa: quod expresit his uerbis. Cantus lugubres præcipe. deinde rationem affert, cur iustum desiderium, & luctus suus sit. Occidit enim inquit, Quinctilius, quo nemo pudore, iustitia, ueritate, erat præstantior, hoc est, qui quasi ob has uirtutes mori minime debuit. quam rationem quasi dolore uictus indignabundus profert cum admiratione ita. Ergo Quinctilium perpetuus sopor urget? huic post respõdet Musa, atque sententiam eius excipit alijs uerbis. Confitetur autem occidisse Quinctilium, eumq; iure ab ipso fleri primum affirmat, quia non statim repugnare eius orationi tutum putat, sed sensim in animum eius illabi uult. Deinde negat. iuste autem eum fleri putat amicitiæ causa. iniuste, quia mortui reuocari ad uitam nulla pietate, nulloq; officio possunt. quæ etiam huiusmodi sunt, patientia leniri debent. Neque uero est, quod miretur quisquam Virgilium & Musam loquentes inductos. Sic enim in morte Architæ postea nautam, & Architam loquentes fecit. atque Architam ipsum nautæ respondentem ijsdem uerbis. Vt enim hic, Multis ille quidem flebilis occidit. Sic ibi: Occidit & Pelopis genitor conuiua deorũ. Hæc ego ita. Robortellus uero neque dialogum hunc explicuit, neque uidit. atque hæc omnia unius esse poetæ putauit. quod significat maxime, cũ ait. Musa alia uerba profert, quibus augere amici luctum conatur, Multis ille quidem flebilis occidit, nulli flebilior quam tibi Virgili. Hæc si docti contulerint, non dubito quin sensum ab eo totum perturbatum, & confusum artificium duxerint. Hactenus Sigonius docte, & uere. Hic autem, quem deplorat poeta, ut omnes affirmant, fuit Quinctilius Varrus non Varius Cremonensis, Virgilij, atque Horatij ualde familiaris. occidit in Germania exercitus dux ingenti clade accepta cum Augusti dolore incredibili. Suet. auctor. Quidam Virgilij cognatum esse crediderunt. eiusq; interitum sub Daphnidis persona defleri. quod parum constare sibi scribit Lilius in Quinctilij ipsius uita. de hoc lege ad Oden vj. huius libri. Desiderij autem uoce mærorem interpretatur Fr. Patricius.

Lugubres cantus, Lessum ueteres hoc genus carminis lugubre, θρῆνον, & ὀλοφυρμὸν Græci dixere. Suggere, inquit, cantus lugubres Musa. Melpomenem autem alloquitur. Sic alibi, Lauro cinge uolens Melpomene comam,

 & Quem

& Quem tu Melpomene semel nascentē placido lumine uisens. alibi Clio; alibi Calliopen, vt non omnino uerum esse uideatur, quod nonnulli Horatij Musam Melpomenem fuisse tradiderunt, cum non perpetuo illam, sed alias quoque aduocet.

Liquidam uocem, sic Virg. voces coruorum appellauit: Tum liquidas corui presso ter gutture uoces, aut quater ingeminant. canoras, & minime raucas significat.

Perpetuus sopor urget, nihil hoc modo elegantius. poetæ siquidem sæpe numero appellāt mortem somnum perpetuum, uel noctem. Hor. lib. iiij. Ode iiij. Sed omnes illacrymabiles urgentur, ignotiq; longa nocte, carent quia uate sacro. & lib. j. Ode iiij. Iam te premet nox. &, Sed & omnes una manet nox. &, Ne longus tibi somnus unde non times detur. Virg. de Eurydice: Fata uocant, conditq; natantia lumina somnus. &, Feror ingenti circundata nocte. Nusquam autem ille mortem elegantius circumscripsit, nec magis poetice, quam ibi: Olli dura quies oculos, & ferreus urget Somnus, in æternam clauduntur lumina noctem. sic Catullus. Nox est perpetua una dormienda.

Cui pudor, laudatur Quinctilius a Musa, quæ hic loqui inducitur. Sicq; Næniam hanc esse apparet. qua lugubri carmine laudabantur defuncti.

Occidit, de illustribus uiris dici recte adnotauit Acron. sic poeta:

Occidit & Pelopis genitor conuiua deorum. Virg.

Quin occidit una Sarpedon. sic: Occidit, occideritq; suo cum nomine Troia. quare occasum Troiæ appellauit. Hoc equidē occasum Troiæ tristesq; ruinas Solabar. metaphora ducta a Sole, qui occidere dicitur.

Quod si Threicio, quam suauiter cecinisset apud Inferos Orpheus, satis declarat Virg. iiij. Georg. sic:

At cantu commotæ Erebi de sedibus imis
Vmbræ ibant tenues, simulachraq; luce carentum. & paullopost:
Quin ipsæ stupuere domus, atque intima leti
Tartara, cæruleosq; implexæ crinibus angues
Eumenides, tenuitq; inhians tria Cerberus ora;
Atque Ixionei uento rota constitit orbis

Non lenis precibus. Mercurius flecti non potest ubi animam ad nigrum mortuorum gregem cōpulerit. poetice significat, eum, qui mortuus sit, ad uitam reuocari numquam posse, iuxta illud Aeschyli in Eumenibus: ἅπαξ θανόντος οὔτις ἔστ' ἀνάστασις. Et illud Euripidis in Alcestide: οὐκ ἔστι τοὺς θανόντας ἐς φάος μολεῖν. idest, Eius, qui semel mortuus est, nullus amplius est ad uitam reditus. & non licet mortuo in lucem reuerti. Hanc sententiam sæpe tractauit poeta:

Non si tricenis quotquot eunt dies
Amice places illacrymabilem

Plutona

Plutona tauris &c. Et:
Cum semel occideris, & de te splendida Minos
Fecerit arbitria,
Non Torquate genus, non te facundia, nec te
Restituet pietas. Et:
Nec satelles Orci
Callidum Promethea
Reuexit auro captus &c. idem significauit his uersiculis:
Omnes eodem cogimur. omnium
Versatur urna serius, ocyus
Sors exitura: & nos in æternum
Exilium impositura cymbæ. Ideo appellat Orcum nil miserantem, & illacrymabilem. quemadmodum Virg.
Nesciaq; humanis precibus mansuescere corda.
Quam uirga, de hac uide ad Oden x. huius libri.

Non prætermittenda sunt uerba pro nostra perpetua consuetudine. in qua re, quamuis minima sæpe consectari intelligam, non idcirco ab instituto decedendũ uidetur. Carum caput, sic appellat quemadmodum Virg. Me puer Ascanius, capitisq; iniuria cari. sic plerunque eos, qui nobis cari sunt, uocamus, Idem: Testor cara deos, & te germana, tuumq; Dulce caput. Socrates in Ione ipsum appellat φίλην κεφαλήν. Contra inuisum, impium, infestum, ingratum caput sæpe legimus. somno perpetuo urgeri, nihil elegantius. uerbo, urgere, semper fere in malis, sicut premere, adhibemus. sic Enceladum mole urgeri dixit Virgilius. timore anxio, fame, bello, ferro, fortuna urgeri passim legimus. moderari fidem, pro canere fidibus, sanguinem imagini uanæ redire, ualde elegans est. Mercurium uirga compellere animas nigro gregi, forma poetis aptissima est. recludere fata pro dissoluere, grex niger pro mortuis, uana imago pro umbra, periphrases insignes sunt.

AD LYDEN. Ode XXV.

Insultat ei, quod, iam uetula, uicissim a iuuenibus contemnatur.

PARCIVS iunctas quatiunt fenestras
Ictibus crebris iuuenes proterui:
Nec tibi somnos adimunt, amatq;
Ianua limen:
Quæ prius multum faciles mouebat
Cardines: audis minus, & minus iam,
Me tuo longas pereunte noctes
Lydia dormis?

Inuicem

Inuicem mœchos anus arrogantes
Flebis in solo leuis angiportu.
Thracio bacchante magis sub inter
Lunia uento,
Cum tibi flagrans amor, & libido,
Quæ solet matres furiare equorum,
Sæuiet circa iecur vlcerosum,
Non sine questu,
Læta quod pubes edera uirenti
Gaudeat pulla magis atque myrto:
Aridas frondes hiemis sodali
Dedicet Hebro.

COMMENTARII.

Parcius iunctas quatiunt fenestras, petulantiam amantium sæpe poetæ suis uersibus declararunt. amantes siquidem amore insanientes fenestras lapidibus uerberant, foribusq; uim afferunt, quotiescunque excluduntur: huius arrogantiæ testis est ipse Hor. lib. iij. Ode. xxvj. vbi inquit:

Hic hic ponite lucida
Funalia, & uectes, & arcus
Oppositis foribus minaces. Quare illæ uoces frequentissime audiuntur amantium, uel querentium, uel blandientium, præterea minantium, ut:

Ianua uel domina penitus crudelior ipsa
Quid mihi tam duris clausa taces foribus.
Cur nunquam reserata meos admittis amores,
Nescia furtiuas reddere mota preces. Et:
Sed tu sola mei tu maxima causa doloris
Victa meis nunquam Ianua muneribus.

Cum uetula esset Lydia, nemo uel eius fenestras, uel ianuam uexabat. tutæ erant fenestræ a lapidibus, ianua a nemine petebatur. quocirca proterui iuuenes ipsi, somnum non adimebant. Hæc petulantia præclare à Theocrito descripta est in Pharmaceu tria: unde sumpsisse potuit poeta. sic:

εἰ δ' ἄλλᾳ μ' ὠθεῖτε, καὶ ἁ θύρα εἶχετο μόχλῳ,
πάντως καὶ πελέκεις, καὶ λαμπάδες ἦνθον ἐφ' ὑμέας. idest, sin alio me extrudissetis, & ianua clausa fuisset uecte, omnino & secures, & faces in uos uenissent.

Metuo longas, talia uociferabant amatores Lydiæ de uia, scilicet Lydia dormis, me tuo, idest, qui tuus sum, pereunte. tale est illud Propertij:

Me mediæ noctes, me sidera plena iacentem,
Frigidaq; Eoo me teret aura gelu. sic Hor. queritur:

Me tamen asperas
Porrectum ante fores, obijcere incolis
Plora res Aquilonibus.
Audis quo strepitu ianua, quo nemus
Inter pulchra situm tecta remugiat
Ventis, & positas ut glaciet niues

Puro numine Iuppiter, In qua Ode pulchre ea omnia colligit, quæ amātes per noctem puellis canunt, ut fores aperiant. quare idem hortatur Asterien, ut ea omnia, quæ iuuenes effundunt, ad puellarum ianuas contemnat. prima, inquit, nocte domum claude, neque in uias sub cantu querulæ despice tibiæ, & te sæpe uocanti duram difficilis mane. alibi etiam cantilenam amantium huiusmodi usurpat. Ode xxvj. lib. iij.

O quæ beatam Diua tenes Cyprum, & Memphin carentem Scythonia niue,
Regina sublimi flagello tange Chloen semel arrogantem.

Inuicem mœchos, talia minantur mulierculis, quas sibi auersas experiuntur. sic Idem Hor. *Non hoc semper erit liminis, aut aquæ cœlestis patiens latus.*

Cum tibi flagrans amor, insignem libidinem Lydiæ exprimit. talis sententia est apud poetam in eadem superiori Ode. *Et cantu tremulo pota cupidinem Lentum solicitas*. tota illa Ode eandem cum ista habet sententiam. Sed Martialis lib. x. Epigr. portentosam Plotiæ libidinem, atque unam senectutem sic declarat.

Iam cornicibus omnibus superstes
Hoc tandem posita prurit sepulchro
Caluo plotia cum Melanthione. talia lege ad Oden xvij. lib. iij.

Læta quod pubes, similia in Chlorin inuectus obijcit poeta lib. iij. Od. xv. per ederam uirentem iuuentutis florem intelligit. sic Chiam uirentem appellauit lib. iiij. Od. xiij.

Ille uirentes, &
Doctæ psallere Chiæ

Pulchris excubat ingenis. ita etiam iuuencam uirentem uocat lib. ij. Od. v. circa uirentes est animus tuæ campos iuuencæ. per quercus aridas Lyces senectutem significat. adde, quod in eadem Ode poeta Lycen uetulam esse notans sic fecit:

Importunus enim transuolat aridas
Quercus. hæc ab allegorijs ornatum accipiunt.

Addamus, quæ Scaliger notauit. In primis, inquit: Audis minus, & minus iam me tuo longas pereunte noctes Lydia dormis. Duo ait hæc membra non cohærere sine copula. uoluit sic fuisse factum. audis minus, & minus iam, & me tuo longas pereunte noctes Lydia dormis. At nulla copula prorsus opus fuit: est enim hic sensus. audis minus, & minus nunc amus

facta.

facta. minus, inquam, audis ea uerba, quæ olim tui amatores querentes effundebunt, ea autem uerba erant hæc: Me tuo longas pereunte noctes Lydia dormis. quæ uerba sunt querelæ, ac cantilenæ initium, quo amatores utebantur. quare quid opus fuit copula? ab hac sententia non discrepant docti interpretes. Adiungit, non satis mollem sibi uideri illam locutionem, scilicet flebis mœchos arrogantes, nisi addas, effectos. quæ additio quam necessaria sit, iudicent doctiores. mœchos posuit pro omnibus amatoribus. omnibus interpretibus consentientibus. quis non uidet superfluum illud futurum fuisse? Poetam præterea taxauit in uerbo, Leuis, existimans pro nuda positum, & propterea durum putauit. quis ita hanc uocem est interpretatus? nonne pro contemnendo, pro uili, atque abiecto ponitur? sane hac uoce fœminæ neglectæ contemptum significare uoluit. Illa quoque, inquit, omnia bacchante magis sub interlunia uento, uidetur esse unum epithetum boreæ. alioqui ipso borea frigidiora sunt. Non me latet plura uerba pro uno Epitheto poni, quod non discrepat a Periphrasi. hoc est, quotiescunque ita rem circumscribit, ut intelligi possit. ut amantes ardua dumi. amantes litora myrti. horrentia mora rubetis. quod quamuis non est contemnendum, nihilominus malim cum alijs doctis sentire, existimatibus amplificationem esse. ut magis calamitas contemptæ meretricis extaret, si tunc in aliquo angiportu ita bacchante borea, quemadmodum interlunij tempore contingit, fleret. hanc amplificationem Lamb. agnouit. In eo autem, quod inquit: Neque ulcerosum, potius iecori indicando, quam metro sustinendo seruit. nisi uocem illam addidisset, arbitratur Scaliger non potuisse poetam uersum complere. In hac re hominis modestiam requiro. qui hæc de tali poeta protulerit. quamobrem sic appellet iecur, satis declarant interpretes optimi, ut mihi præterea laborandum non sit. Illud etiam non potuit transilire. Inquit enim, læta quod pubes edera uirenti gaudeat. satis intelligo. at illa, pulla magis, atque myrto, male disposita. Quid uiti? necessitas cogit sæpissime alieno loco uerba collocare. id autē ferendum, nisi aliqua longiuscula uerborum traiectio inciderit. nemo aduersatur. sed hoc nimis minutum. Subiungit. Illa uero, aridas frondes hiemis sodali dedicet Euro. potius dedicet igni. at quis non elegantius, & sonantius esse iudicet uocem Hebro? siquis uero, igni, legendum probet, mihi nequaquam satisfaciet.

DE AELIO LAMIA. Ode XXVI.

Se, soluto animo uelle Lamiam laudare.

MVsis *amicus, tristitiam, & metus*
Tradam proteruis in mare Creticum

Portare

Portare uentis, quis sub arcto
Rex gelidæ metuatur oræ,
Quid Tiridatem terreat, unice
Securus. eo, quæ fontibus integris
Gaudes, apricos necte flores:
Necte meo Lamiæ coronam
Pimplea dulcis. nil sine te mei
Prosunt honores. hunc fidibus nouis,
Hunc Lesbio sacrare plectro,
Teq; tuasq; decet sorores.

COMMENTARII.

Musis amicus, pulchra laudandi uia. Et quæ a trita imperitorum consuetudine longe recedat. Illi enim satis belle fecisse existimant, si aceruum laudum congesserint, de quo more alibi, aliam boni poetæ rationem sequũtur, ut poeta noster. qui Lamiam laudaturus, dicit, se id parantem omni cura uacare oportere. seq; statim ad Musas cõuertens, quasi minus aptum se ad id assequendum intelligeret, illam obtestatur, ut Lamiæ coronam paret, illumq; inaudito genere carminis immortalem reddat. pulchrum argumentum. sane omnes boni poetæ musarum amici putantur. quare Virg. & me Phœbus amat, Phœbo sua semper apud me munera sunt Lauri. Et Theocr. Idil. primo, de Daphnide. ipsum appellat τὸν μούσαις φίλον ἄνδρα, καὶ οὐ νύμφαισιν ἀπεχθῆ. idest, Musis amicum, & Nymphis non inuisum.

Tristitiam, hic Od. vij. huius libri. tristitiam, uitæq; labores dixit. Lege.

Im mare Creticum, de hac consuetudine loquendi uide ad Oden xvj. huius libri. Creticum autem mare pro omnibus more suo posuit.

Proteruis uentis, sic Epod. xvj. vocat Africum. notus uocabit, aut proteruus Africus inquiens. Ex Anacreonte est hoc sumptum. sic enim ille:
ἐμῶν φρενῶν μὲν αὔραις
φέρειν ἔδωκα λύπας. idest, meæ mentis curas uentis ferendas dedi.

Quis sub arcto, simile, imo idem dixit Od. xj. lib. ij.
Quid bellicosus cantaber, aut Scythes
Hirpene Quinti cogitet. quæ sententiæ sumptæ ab Anacreonte fuerunt. ille sic, οὔ μοι μέλει Γύγαο τοῦ Σαρδίων ἄνακτος. &c.

O quæ fontibus integris, Musas, & Apollinem fontibus delectari nemo ignorat qui legit poetas. Hor. de Apolline:
Qui rore puro Castaliæ lauit
Crines solutos. Et:
Phœbe qui Xanthi lauis amne Crines. Hesiodus.
αἵτε λοεσσάμεναι τέρενα χρόα Περμησσοῖο, ἢ ἵππου κρήνης.

Apricos necte flores, nectere flores, nectere coronas, elegans est, & familiaris locutio poetarum. Ouid. myrto comam nectere dixit. Hor. Displicēt nexæ phylira coronæ. &, Est in horto Phylli nectendis apio coronis. unde coronæ nexiles dicuntur. Similiter uincire caput corona. Idem, Tempora populea fertur uinxisse corona. Ouid. Adfuit & sertis tempora uinctus hymen. Sic premere comam corona. Virg. Omnibus in morem tonsa coma, pressa corona. ad quam similitudinem dixit caniciem galea premimus. eadem ratione induere caput corona, uenuste dici potest. si illud Virgilij paullum flexerimus imitando. magnam cratera corona induit. Siquis uero diceret alicuius caput fulgere corona, pulcherrime dixerit. ut Virg. de Agrippa, Tempora nauali fulgēt nostrata corona. cingere præterea caput corona passim legimus. Virg. Baccare frontem cingite. & Ore fauete omnes. & Cingite tēpora ramis. Et, Cingite fronde comas. & Cingens materna tempora myrto. denique ornare caput coronis frequentissimum est. Hor. Ornatus uiridi tempora pampino.

Hunc fidibus nouis, cum dixisset fidibus nouis, & Lesbio sacrare plectro Lamiam oportere, omnia ornamenta, quæ immortalitate digna sunt, cōprehendisse uidetur. fieri enim non potest, ut omni laude cumulatus non sit, qui inusitato genere dicendi sit celebrandus. quare longe plura complexus est, quam si longissimam laudum commemorationem adhibuisset.

Sacrare, hoc est, immortalitati commendandus est Lamia. Sacrare uerbum est perhonorificum. & ad immortalitatem declarandam aptissimum. est enim sacrare, siue consecrare, dijs aliquid offerre, aut dicare, ut ędem, delubrum. sic ēt dicimus alicuius nomen uersibus, ac monumētis sacrare. Hor.

Ereptum Stygijs fluctibus, Aeacum
Virtus, & fauor, & lingua potentium
Vatum diuitibus consecrat insulis.

Hinc illa apud Ciceronē, Cōsecrare aliquem omni genere monumentorū. & Consecrare memoriam nominis. Sunt autem apud hunc poetā multi ad immortalitatem exprimendam loci insignes, & digni imitatione. ut:

Dignum laude uirum Musa uetat mori. & ibi statim:
Cœlo Musa beat. Et:
Sic Iouis interest optatis epulis impiger Hercules. tale illud:
Virtus recludens immeritis mori
Cælum negata tentat iter uia.
Cœtusq; uulgares, & udam
Spernit humum fugiente penna. Quid illud?
Hac arte Pollux, hac uagus Hercules
Innixus, arces attigit igneas. Et:
Quos inter Augustus recumbens
Purpureo bibit ore nectar. Et:

Hac

Hac Quirinus
Martis equis Acheronta fugit. Et:
Illum ego lucidas
Inire sedes, ducere nectaris
Succos, & adscribi quietis
Ordinibus patiar deorum. Et:
Terrarum dominos euehit ad deos. Et:
Sublimi feriam uertice sidera. uel illud:
Aeternum meditans decus
Stellis inserere, & concilio Iouis. Hanc immortalitatẽ sic expreßit Virg.
Candidus insuetum miratur limen Olympi
Sub pedibusq; uidet nubes, & sidera Daphnis. Idẽ magnifice, ac splendide primo lib. Georg. exprimit immortalitatem Augusti. His locis adiũge, quos addidimus lib. iij. Od. iij. ad illum locum; Hac arte Pollux.

Sodales simul epulantes a iurgio ad sermonis hilaritatem reuocat. Ode XXVII.

NATIS *in vsum lætitiæ scyphis*
Pugnare, Thracum est. tollite barbarum
Morem: verecundumq; Bacchum
Sanguineis prohibete rixis.
Vino, & lucernis Medus acinaces
Immane quantum discrepat. impium
Lenite clamorem sodales:
Et cubito remanete presso.
Vultis seueri me quoque sumere
Partem Falerni? dicat Opuntiæ
Frater Megillæ quo beatus
Vulnere, qua pereat sagittæ.
Cessat uoluntas? non alia bibam
Mercede quæ te cunque domat Venus,
Non erubescendis adurit
Ignibus: ingenuoq; semper
Amore peccas. quidquid habes age,
Depone tutis auribus. ah miser,
Quanta laboras in Charybdi,
Digne puer meliore flamma.
Quæ saga, quis te soluere Thessalis
Magnus venenis, quis poterit deus?
Vix illigatum te triformi
Pegasus expediet Chimeræ.

COMMENTARII.

Natis in usum, ideo Ode xviij. huius libri sic monet. Ac nequis modici transiliat munera liberi Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero debellata. monet Scithonijs non leuis Euhyus. Idcirco statim subiunxit. Non ego te candide Bassareu inuitum quatiano, & in Ode antecedēte: Nec Semelius cum Marte confundet Thyoneus prælia. Virg. quidem Bacchum lætitiæ datorem uocat. Sane conuiuia, quemadmodum etiam Hom. scribit lib. j. Odyss. hæc decent. μολπή τε, ὀρχηστύς τε, τὰ γὰρ ἀναθήματα δαιτός. igitur Scyphis in conuiuijs pugnandum non est. Plutarchus Sertorij morem in conuiuijs laudat, quod moderationem in illis seruaret. de cuius instituto ita circa finem ipsius uitæ scribit. ἀεὶ μὲν οὖν τὰ μετὰ Σερτωρίου δεῖπνα πολὺν εἶχεν αἰδῶ, καὶ κόσμον. οὐδὲ ὁρᾶν τι τῶν αἰσχρῶν, οὔτε ἀκούειν ὑπομένοντος. ἀλλὰ καὶ τοὺς συνόντας εὐτάκτοις, καὶ ἀνυβρίστοις παιδιαῖς χρῆσθαι, καὶ φιλοφροσύναις ἐθίζοντος. hoc est. semper enim in conuiuijs Sertorij plurimam honestatem, decoremq; seruare solitum fuit. neque quicquam turpe uidere, aut audire sustinebat. sed moratis, & a conuicio alienis iocis uti, tantum hilaritati indulgere. Cum autem dixit pugnare Scyphis respexit ad pugnam Centaurorum. de qua Virg.

Ille furentes
Centauros læto domuit, Rhetumq;, Tholumq;
Et magno Hylæum Lapithis cratere minantem.

Quod ad Oden xviij. retulimus. De Scypho, quæ animaduerti potuerunt, doctissimus uir Lazarus Bayfius diligentissime notauit. Adiungi illud potest, quod pro poculis ex bouum cornibus ueteres bibere solebant. unde κεράσαι uerbum factum est, hæc autem cum antea ex cornu fierent, postea ex auro, & argento sunt conflata. quo genere poculorum sibi propinasse, Rhamnusianus lapis indicat.

Lenite clamorem sodales, hoc plerunque in conuiuijs accidit. nam iuxta illud Euripidis in Cyclope, πυγμὰν ὁ κῶμος, λοίδορόν γε ἔριν φιλεῖ. idest, pugnos comessationes, & conuiciosam rixam amat.

Et cubito remanete presso. In hunc locū recte Lambinus, ita enim accumbebant ueteres. nec dubium est. patet uel ex uarijs scriptoribus, uel ex lapidibus antiquis. in quibus sic discumbentes uidere licet. Quod præcipue spectatur in saxo illo celebri, quod est Patauij in ædibus Pauli Rhamnusij, hominis in omni eruditione politissimi, & antiquitatis studiosissimi. quod expressum est in libris Hieronymi Mercurialis uiri clarissimi, una cū duobus alijs saxis, altero Lateranense, altero Mutinense. talia exempla retulit Gulielmus Philander in v. cap. annntationum suarum in lib. vj. Vitruuij, vbi præclara legere est de antiquorum accubitu, quemadmodum apud Mercurialem

rialem, cui hæc libenter accepta referimus, lib. j. Gymnasticæ. sane notat uir doctissimus uiros in principio cœnæ cubito sinistro (puluillo scilicet) innixos pectoribus, ut plurimum mensam tetigisse. in fine uero se ipsos in latus uertere solitos. Sed notandum, quod, cum fœminæ cum uiris cœnarent, uiris ipsis accumbentibus, uerecundiæ causa, illas sedere solitas. Quare cum in Capitolio stratis tribus lectulis conuiuium apponebatur Ioui, Iunoni, & Mineruæ, Iouis simulachrum in lectulo recubans statuebatur, Ioue, & Minerua sedentes ponebantur. accumbebant autem uel distentis cruribus, uel dextro poplite leuum premente genu, uel coxis, & cruribus complicatis, ut turcas, & sartores sedere uidemus, ut scribit Mercurialis. Heroicis uero temporibus cœnantes sedisse Homerus passim est testis. quod uero ait Poeta, *Lenite clamorem sodales*, ex clamore, & tumultu, qui fit ex discumbentium multitudinem significatur multorũ fuisse illud conuiuium. ad quod uitandum uoluere ad unum triclinium aut tres, cum paucissimi erant, aut cum plurimi non ultra nouem. quod probatur illo prouerbio. trium conuiuium, nouem conuicium. Excipiebant Epula publica, & cœnas nuptiales, in quibus magnam hominum copiam esse necesse est. Lapis Rhamnusianus rem aperit. sane id postulabat accumbendi ratio, ut in singulis lectis magna ex parte quaterni iacerent; sic in ternis lectis duodecim discumbebant, plures autem quam quaterni in singulis lectis discũbere incommodum ac sordidum fuisse, periti antiquitatis prodidere.

Quo beatus, idest, cuius puellæ amore teneatur. ualde poetice dictum, amantes quidem queruntur se cupidinis sagittis uulnerari. nam amore incensi aspectu, amatæ rei quasi uulnere feriuntur. Ideo factum est, ut amor τοξότης sit dictus. per sagittas siquidem oculorum radios intelligimus, qui tanquam sagittæ amorem iaculantur, hæc sunt uulnera quibus perire tam sæpe amantes queruntur. perite autem poeta ait fratrem Megillæ beatum, innuens feliciter illum amare. quod contingit, uel cum eam diligimus, quæ aut excellenti forma sit, aut uirtute aliqua præstet. aut cum amantes uicissim redamantur. hoc est, ut ait Theocritus eum φιλεῖσθαι ἴσῳ ζυγῷ. idest, cum ἀντιφιλεῖ ὁ φιληθεὶς. idest, cum æquo iugo amare, scilicet cum, qui amatur redamat.

Quæ te cunq; domat Venus, idest, quæcunque ea est quam amas, hic uariauit orationẽ, quod enim dicebat sodalem suum sagittis, & uulnere amoris perire, nunc a Venere domari, atque uri narrat, de hac figura dicendi ex igne desumpta lege Oden xiij. huius libri.

Quanta laboras in Charybdi, allegoria est, i. in quãto periculo uerseris, uel cũ quam rapaci tibi negocium est. quod omniũ meretricum cõe est uitium.

Digne puer meliore flamma, alia amoris uariatio.

Quæ saga, nullis ueneficijs, aut magica solui illum posse significat. Thessaliam his infamem fuisse notissimum est. Hor.

Quæ

Quæ sidera excantata uoce Thessala.
Lunamq; cælo diripit. tale illud:
Totius biberem toxica Thessaliæ.

Hor. ad Iulium Florum portēta Thessala appellauit. Plau. in Amphituone:
Ego pol ulciscar illum Thessalum ueneficum.
Qui peruerse uertit mentem familiæ meæ.

De horum ueneficijs plura Appuleius in Asino aureo, ubi se in Thessalia in asinum mutatum esse scribit. eam superstitionē a Medea in Thessalos profectam existimant. quæ cum illac fugeret, per aerem uecta, scriniolum ueneficijs, & magicis herbis plenum deiecerit. quæ sparsa pullularunt, ubi ex Plinio addit auctor prouerb. Magiam ad Thessalos usque propagatam, diu ab ea gente cognomen obtinuisse. adeo, ut Menander quoque litterarum subtilitatibus peritus, Thessalam cognominarit fabulam complexam ambabes fœminarum lunam detrahentium.

In mortem Architæ Tarentini. Ode XXVIII.

TE maris, & terræ, numeroque carentis arenæ
Mensorem cohibent, Archita,
Pulueris exigui prope litus parua Matinum
Munera: nec quidquam tibi prodest
Aerias tentasse domos, animoq; rotundum
Percurrisse polum, morituro:
Occidit & Pelopis genitor, conuiua deorum:
Tithonusq; remotus in auras.
Et Iouis arcanis Minos admissus: habentq;
Tartara Panthoiden, iterum Orco
Demissum: quamuis clypeo Troiana refixo
Tempora testatus, nihil vltra
Neruos atque cutem morti concesserat atræ:
Iudice te, non sordidus auctor
Naturæ, ueriq;. Sed omnes una manet nox:
Et calcanda semel via leti.
Dant alios Furiæ toruo spectacula Marti.
Exitio est auidis mare nautis.
Mista senum, ac iuuenum densantur funera: nullum
Sæua caput Proserpina fugit.
Me quoq; deuexi rapidus comes Orionis
Illyricis Notus obruit vndis.
At tu nauta, vagæ ne parce malignus arenæ
Ossibus, & capiti inhumato

Particulam

Particulam dare. sic, quodcunq; minabitur Eurus
Fluctibus Hesperijs, Venusinæ
Plectantur siluæ, te sospite: multaq; merces,
Vnde potest, tibi defluat æquo
Ab Ioue, Neptunoq; sacri custode Tarenti.
Negligis immeritis nocituram
Postmodo te natis fraudem committere forsit.
Debita iura, vicesq; superbæ
Te maneant ipsum. precibus non linquar inultis:
Teq; piacula nulla resoluent.
Quanquam festinas: non est mora longa: licebit
Iniecto ter puluere curras.

COMMENTARII.

Te maris, in Architæ Tarentini Philosophi, & Geometræ mortem scriptum est carmen. quod totum habet προσωποποιΐαν, uel εἰδωλοποιΐαν potius. in qua personam inducimus uita functam loquentem. Cuius multa sunt apud poetas, atque oratores exempla. Inducitur Architas mortuus uiatorem deprecari, ut suum corpus sepeliat. cum prius mortem ineuitabilem esse dixerit. De Archita id constat. Pythagoreum fuisse nobilissimum, Platoni familiarem, quem cum Dionysius occidere statuisset, epistola liberauit. Clarus in sua rep. fuit. cui septies præfuisse Laertius est testis. ad eum Platonis Epistolæ duæ extant. Quoniam autem uidendum est, quo modo prosopopeiam tractemus; perite poeta uidetur loquentis personæ decorum seruasse. quod præcipuum esse debet in hoc genere tractando. philosophum enim prudenter inducit ad cupiditates corrigendas dicere omnibus esse moriendum. quod monere philosophi consueuerunt. De hoc decoro Fabius libro tertio, ut alios illius locos omittam. quam figuram, quoniam mores imitatur, non semel Donatus in Terentium μίμησιν appellat.

Numeroq; carentis arenæ, egregia hyperbole excellentis mathematici, qui artem illam ita calluerit, ut uel arenarum numerum pernoscere potuerit. poetas autem arenarum, uel siderum comparatione infinitum numerum significare solitos esse scimus. Catullus:

Quam magnus numerus Lybissæ arenæ
Laserpiciferis iacet Cyrenis,
Aut Batti ueteris sacrum sepulcrum,
Aut quam sidera multa cum tacet nox, &c. Id.
Ille pulueris Erythræi,
Siderumq; micantium

Subducat

Subducat numerum prius. plura eleganter collegit Fr. Petr.

Non ha tanti animali il mar fra l'onde
Ne la sù sopra l cerchio della Luna
Vide mai tante stelle alcuna notte.
Ne tanti augelli albergan per li boschi
Ne tant'herbe hebbe mai campo ne piaggia
Quant'ha'l mio cor pensier ciascuna sera.

Ego non possum prætermittere Anacreontis exemplum in hanc sententiã. Εἰ φύλλα πάντα δένδρων, ἐπίστασαι κατειπεῖν, Εἰ ἠμαθῶδεις εὑρεῖν τὸ δ' ὅλης θαλάσσης, σὲ μὲν ἐμῶν ἐρώτων μόνον ποιῶ λογιστήν. idest, si frondes omnes arborũ nosti dicere, si arenam totius maris, te uuum calculatorem meorum amorum facio, ad quem locum potuit respexisse Hor.

Acrias tentasse domos, cœli Periphrasis pulcherrima & ualde poetica, ostendit Astrologiæ peritum Architam, talem sententiam extulit Pontanus in hortis Hesperidum:

Me per apertos
Aetheris immensi campos, summoq; uagantem
Aethere, mox toto numerantem sidera cælo Duxisti.

Occidit, a maiori ad minus, mirandum me perijsse, cum Heroes etiam occiderint? hic notabis sæpe eandem sententiam uariatam, scilicet occidit Pelopis genitor, Tithonus remotus in auras, habent Tartara Panthoidem orco demissum.

At tu nauta uaga, sepulturæ honor maximus, proculdubio fuit. quare uiri illustres magnificis funeris pompis, ac sepulchris deuorabantur, tantæ autem cura fuere veteribus sepulchra, ut pœna irrogaretur ijs, qui bustum, aut columnam uiolassent. Sic uero collige figuras, & porticos dicendi modos, Mensorem maris & terræ Periphrasis Mathematicorum, tentasse domos acrias, & polum animo percurrere ualde poetica sunt. peritiam astrorum significant, remotus in auras, idest, mortuus est, id sic alibi expressit, vrgeri, ac premi nocte, somno, nocte, Plutonem compescere Geryonem, & Tityum tristi unda, uisere flumen atrum Cocyti, Carpere iter extremum, Orci satellitem coercere Tantalum, Cohiberi unda Stygia, Pelea datum esse Tartaro, quæ sunt locutiones fabulosæ, & ualde poeticæ, adde, esse exitio, notus comes Orionis belle, ob similitudinem tempestatis ciendæ Eurum minari sensu & actione data inanimatæ rei, eleganter factũ.

Hoc carmen uehementer uituperat Scaliger. Vicesima quoque octaua, inquit, nihilo altius insurgit, singultim membra interrupta sunt. nec absimilis ab Satyra tractus totus. Cum argumentum sit humile, nempe de mortuo humando, quid dignitate opus fuit? an uoluit, ut Phalerei uerbis utar, τὰ μικρὰ μεγάλως λέγεσθαι? quod ipse irridet, nam parua tenuiter, ampla magnifice sunt exponenda eodem auctore, & tam sæpe Cicerone

præcipiente.

præcipiente. nisi per iocum id faciamus. ut Polycratem fecisse idem Phalereus scribit. membra pleraq; sunt breuia. at talia hæc forma requirit. An obscurum est, quod de tenui præcipiens genere idem scripsit? longas, scilicet, circumductiones fugiendas, quod ad magnificentiam pertineat? φεύγειν δεῖ, inquit. ἐν τῇ συνθέσει τοῦ χαρακτῆρος τούτου πρῶτον τὰ μήκη τῶν κώλων. μεγαλοπρεπὲς γὰρ πᾶν τὸ μῆκος. idest, fugere oportet in compositione huius formæ, primum longitudines membrorum. magnificentiã enim præsefert omnis longitudo. Hermogenis, & Ciceronis, aliorumq; Rhetorum exempla, atque auctoritates omitto. Igitur, quod in laude fuit ponendum, uitio datum est. Obijcit præterea sibi ipsi Horatium contradicere. inquit enim. Quid? quod sibi contra dicit? etenim, quid rogat nautam uti terram sibi pusillam inijciat inhumato, quem ipso statim odes initio puluere contectum ait? Et subdit: Satis enim erat, uel minima terra partem quampiam corporis tegi. Dubium non est, quin poeta intelligat de eo sepulturæ genere, quam terræ iniectionem appellabant. quæ cum primum esset iniecta, in rebus sacris pro sepultura habebatur. qua saltem, qui carebant, summo honore priuati uidebantur, & centum annos errare putabantur. Quare Virg. in xj. Aeneid.

Interea socios, inhumataq; corpora terræ
Mandemus, qui solus honos Acheronte sub imo est. & in vj.
Hæc omnis, quam cernis, inops, inhumataq; turba,
Portitor ille Charon. ijs, quos uehit unda, sepulti.
Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluenta
Transportare, prius, quam sedibus ossa quierunt.
Centum errant annos, uolitantq; hæc litora circum. Idcirco hoc saltem sepulturæ genere carere nolebat Architas. nihil refert poetam initio carminis puluere tectum dixisse. quoniam sic tectus, non sepultus, putabatur. nec legitima erat sepultura, aut imaginaria, cum arena mari aduecta, non ab ullo mortalium superiecta tegeretur. quamobrem iure se inhumatum existimabat. Ideo recte a poeta inducitur prætereuntes rogare, ut sibi terræ particulam inijcerent. quo facto legitimam se consecutum sepulturam arbitratur. quomodo igitur sibi contradicit poeta? sane hoc sepulturæ genus tumulum a terra in cumulum erecta uocarunt. Græci ἔρμα a terra, eadem, quæ mortuis inijciebatur. ἔραν enim illi terram dicebant. De glebæ iniectione passim leges. quod antiquissimum fuit sepulturæ genus. quo Numam sepultum, gentemq; Corneliam proditum est. sic enim corpus, quasi matris operimento tegitur.

AD ICCIVM. Ode XXIX.

ICCI, *beatis nunc Arabum inuides*
Gazis, & acrem militiam paras

O Non

Non ante deuictis Sabææ
Regibus, horribiliq; Medo
Nectis catenas. quæ tibi uirginum
Sponso necato barbara seruiet?
Puer quis ex aula capillis
Ad cyathum statuetur unctis,
Doctus sagittas tendere sericas
Arcu paterno? quis neget arduis
Pronos relabi posse riuos
Montibus, & Tiberim reuerti:
Cum tu coëmptos undiq; nobiles
Libros Panæti, Socraticam & domum
Mutare loricis Iberis,
Pollicitus meliora, tendis?

COMMENTARII.

Auaritia ductum Iccium significat, quod optimarum artium studijs relictis militiam cogitet.

Arabum diuitias, pro maximis sæpe usurpant poetæ diuitias Arabum, ut Intactis opulentior thesauris Arabum & diuitis Indiæ, lib. iij. Od. xxiiij. sic in vij. Epist. Horatius:

Nec somnum plebis laudo satur altilium. nec
Otia diuitijs Arabum liberrima muto.

Sensus, adeo es auidus, ut Arabum diuitias cupias possidere:

Et acrem, &, particula habet uim causalis coniunctionis. Continet enim rationem quamobrem Iccius auarus merito putandus sit. magnum enim est hoc auaritiæ argumentum.

Nectis catenas, ab antecedente locus est: idest catenas paras. sic Ouid. Nectis per colla catenas, & Vincire catenis, dixit:

Quæ tibi uirginum, fieri non posse ostendit, ut speret Iccius posse ullam ex illis barbaris uirginibus consequi, cum earum sponsos ipse occiderit. ineptum est uocem, barbara, esse uice responsionis poetæ: eadem ratione, quod sequitur, uice responsionis habendum non est.

Ad cyathum, sic locuti fuerunt ueteres, ut ministrum calicis, & pocillatorem ad cyathum appellarent. ut est apud Suet. Memmius Cæsari obiecit, quod Nicomedi ad cyathum stetisset. huic muneri formosi pueri præficiebantur. quare ipse etiam Iuppiter pulcherrimum omnium Ganymedem sibi ad cyathum esse uoluit.

Capillis unctis, ad maiorem lasciuiam, luxumq; pueri pocula ministrantes unguentis delibuti aderant. hunc autem morem ungendi capillos sæpissime celebrat Hor. ut:

Cum quo morantem sæpe diem mero
Fregi, coronatus nitentes
Malebathro Syrio capillos. Et:
Nunc & Achemenia
Perfundi nardo iuuat. Et:
Sed pressum Calibus ducere liberum
Si gestis iuuenum nobilium cliens
Nardo uina merebere. Et:
Cur non sub alta uel platano, uel hac
Pinu iacentes sic temere, & rosa
Canos odorati capillos
Dum licet, Assyriaq; nardo
Potamus uncti? sic Anacreon optat sibi, ut id uiuenti potius quam mortuo contingat:

ἐμὲ μᾶλλον ὡς ἔτι ζῶ
μύρισον, ῥόδοις δὲ κρᾶτα
πύκασον. idest, me autem, quoniam adhuc uiuo, unge. rosis autem caput orna. & alibi:

ἐμοὶ μέλει μύροισιν
καταβρέχειν ὑπήνην. idest, mihi curæ est unguentis barbam irrigare.
Quis neget arduos, hoc est contra naturam. sic Ouid.
Xanthe retro propera, uersæq; recurrite lymphæ. & Virg.
Ante leues ergo pascentur in æthere cerui,
Et freta destituent nudos in litore pisces. Et:
Ante per erratis amborum finibus exul
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tygrin. Et:
Iungentur iam gryphes equis. &c.
Meliora, quanto melius est in otio litteris inseruire, quam inter arma cum periculo uersari, etiam stultus iudicaret.

AD VENEREM. Ode XXX.

Vt in ædes Glyceræ ueniat.

O Venus regina Cnidi, Paphiq;,
Sperne dilectam Cypron, & vocantis
Thure te multo Glyceræ decoram
Transfer in ædem.
Feruidus tecum puer, & solutis
Gratiæ zonis, properentq; Nymphæ,
Et parum comis sine te Iuuentas,
Mercuriusq;.

COMMENTARII.

Carmen est ex puritatis genere. nihil habens ambiguitatis, aut confusi, nihil non apertum. Venus Cnidia celeberrima est, uel Praxitele artifice, uel amore adolescentis, qui in ipsius simulacro maculam libidinis reliquit. auctor Plin. lib. xxxvj. & Lucianus in Amoribus.

Thure te multo, a θύω ducta uox, quæ sacrificare significat. thure enim primum quidam sacrificatum prodiderunt. quare cum aspiratione scribendum, licet aliqui aliter sentiant a tundendo deriuantes. fabulam finxerunt de puero sacrificijs dedito inuidia intercempto, & in cognominem plantam mutato. pro ipso sacrificio sæpe usurpatur.

Aedem, ædes templa appellantur, & in multitudinis numero sacræ ædes, quamuis contra superstitiosas grammaticorum obseruationes etiam sacra ædes unius numero inuenimus. simpliciter pro domo ponitur.

Feruidus tecum puer, sic appellat, quoniam facem gestare amor dicitur. Ideo Græcis πυρφόρος. Sic enim pingebatur amor ad indicandam incredibilem uim accendendi animos. puerum autem uocauit nota significatione. Sic enim pictus dicitur ad stultam turpitudinis cupiditatem notandam. uel quia amantium sermo uelut pueri imperfectus est.

Et solutis Gratiæ Zonis, proculdubio Veneris, & amoris comites habitæ sunt Gratiæ. ut iure, atque erudite adesse eas uelit poeta. quamobrem autem solutis Zonis Gratiæ pingerentur, Acron, & Porphyrion in hunc locum tradiderunt.

Mercuriusq;. Quoniam & ipse Veneris comes additus est. nimirum, ut significarent orationis uirtute fieri, ut amor conciliaretur. cuius orationis Mercurius est Deus. Catullus in hanc sententiam: Verbosa gaudet Venus loquela.

Nymphis, cur Nymphas inuitet, hac ratione factum uideri potest, quod Nympharum filios aliqui cupidines prodiderunt.

Iuuentus, hanc etiam necesse est adesse Veneris celebritati. quod amoribus, quibus præest hæc dea, delectantur, quodq; omnibus iocis, ac delicijs, quæ ad ipsam deam pertinent, abundent iuuenes.

Se non diuitias, sed uitæ tranquillitatem, atque hilaritatem ab Apolline poscere. Ode XXXI.

QVID dedicatum poscit Apollinem
Vates? quid orat, de patera nouum
Fundens liquorem? non opimæ
Sardiniæ segetes feraces;

Non æstuosæ grata Calabriæ
Armenta : non aurum, aut ebur Indicum :
Non rura, quæ Liris quieta
Mordet aqua, taciturnus amnis.
Premant Calena falce, quibus dedit
Fortuna vitem : diues & aureis
Mercator exsiccet culullis
Vina Syra reparata mercę,
Dijs carus ipsis : quippe ter, & quater
Anno reuisens æquor Atlanticum
Impunè. me pascunt oliuæ :
Me cichorea, leuesq; maluæ.
Frui paratis & valido mihi
Latoë dones, &, precor, integra
Cum mente : nec turpem senectam
Degere, nec cithara carentem.

COMMENTARII.

Quid dedicatum, præclara, & pene sancta petitio. qui aliter petunt, quid petant, nesciunt. in petendo a dijs immortalibus, plerunq; erramus, humana quædam, ac mortalia postulantes. huiusmodi uota eleganter, ac facete irridet Lucianus in Icaromenippo. Narrat enim Iouem ad cœli quandā fenestram constitisse ad hominum petitiones, uotaq; audienda. hi sic petebant. ὦ ζεῦ βασιλεῦσαι μοὶ γένοιτο. ὦ ζεῦ τὰ κρόμμυά μοι φῦναι. καὶ τὰ σκόροδα, ὦ ζεῦ τὸν πατέρα μοὶ ταχέως ἀποθανεῖν. ὁ δέ τις ἂν φαίη. εἴθε κληρονομήσαιμι τῆς γυναικός. εἴθε λάθοιμι ἐπιβουλεύσας τῷ ἀδελφῷ. γένοιτό μοι νικῆσαι τὴν δίκην. στεφθῆναι τὰ ὀλύμπια. τῶν πλεόντων δ᾽ ὁ μὲν βορέαν ηὔχετο ἐπιπνεῦσαι, ὁ δὲ νότον, ὁ δὲ γεωργὸς ᾔτει ὑετόν. ὁ δὲ κναφεὺς ἥλιον: hoc est: O Iuppiter, contingat mihi regnare. O Iuppiter, cœpe mihi nascantur, & allium. O Iuppiter, statim mihi patrem mori. aliquis etiam dicit. utinam me hæredem esse uxoris. utinam fratrem decipiens non deprehendar. utinam detur mihi litem uincere. coronari in Olympijs: nauigantum uero hic boream rogat flare, hic notum. agricola pluuiam postulat. fullo solem. stulta omnia, & quæ declarent hominum amentiam. Talia quotidie postulamus. Quamobrem recte Plato in Alcibiade secundo talia uitupérat. ueluti eorum, qui, cum filios exoptassent, eos adepti, in insignem postea calamitatem eorum causa inciderunt, cum illos improbos euasisse animaduerterunt. uel, cum probos susceperunt, mox aliquo casu ereptos luxere. Poeta quidem noster temperatus ingentes opes non optat, tantum paratis frui cupit. Cum uero ait, Nec turpem senectam degere, nec cithara carentem, innuit hone-

sta

ſta uelle egere, quod quis honeſtiſsimum non putet? Etenim bene agere, bene uiuere ſupremum finẽ eſſe doctiſsimi homines prodiderunt. quamobrem putandum eſt non temere iſtam petitionem adhibitam.

De patera nouum, uaria ſacra dijs fieri ſolita. Sed primitijs etiam id factitatum, certum eſt. Tib.

Et quodcumq; mihi pomum nouus educat annus
Libatum agricolæ ponitur ante deum.
Flaua Ceres tibi ſit noſtro de rure corona
Spicea, quæ templi pendeat ante fores.

Non opimæ, poetice exponit ſe nullas magnas diuitias optare. hoc autem egregie conſecutus eſt ad uaria ſe diuitiarum genera referens. neque enim ſe Sardiniæ ſegetes, aut Calabriæ armenta, non aurum, aut ebur Indicum, non poſſeſsiones poſtulare a dijs oſtendit. Hæc autem diuitiarum genera ſæpe, & eleganter, & uarie repetit. ut lib. ij. Ode vj. ſignificans Groſphum eſſe diuitem:

Te greges centum, Siculæq; circum
Mugiunt uaccæ, tibi tollit hinitum
Apta quadrigis equa, te bis afro
Murice tinctæ

Veſtiunt lanæ. & Ode xviij. eiuſdem libri. oſtendens ſe nullis opibus effluere, eandem ſecutus eſt rationem.

Non ebur, neque aureum
Mea reni det in domo lacunar.
Non trabes Hymettiæ
Premunt columnas ultima reciſas
Africa, neque Attali
Ignotus heres regiam occupaui.
Nec Laconicas mihi
Trahunt honeſtæ purpuras clientæ. lib. autem iij. Od. xxiiij. ſic diuitias circumſcripſit:

Intactis opulentior
Theſauris Arabum, & diuitis Indiæ.
Cæmentis licet occupes
Tyrrhenum omne tuis, & mare Ponticum. & Epodo prima:
Non ut iuuencis illigata plurimis
Aratra nitantur mea.
Pecuſve Calabris ante ſidus feruidum
Lucana mutet Paſcua:
Nec ut ſupremi uilla calidens Tuſculi
Circæa tangat mœnia.

Sed de uarijs diuitiarum generibus, & de bonorum in uniuerſum diuiſione,

ex Aristotele, profuerit legere, quæ attulimus O de xvj. lib. iij. nam cum ijs omnibus locis consentiunt.

Premant Calena falce, aliud genus diuitiarum persequitur. sed obseruabimus, quam eleganter dixerit, Premant Calena falce quibus dedit fortuna uitem, loco a consequentibus ducto, cum dicere uoluisset, qui iugentes uineas possident. Consequitur enim, ut, quibus talia contingunt, uineas putent. sic locutus est Virgilius j. Georg. Et ruris opaci falce premes umbram, obseruabimus præterea & illud, falci tributum, quod uiti fuerat tribuendũ.

Diues & aureis, genus aliud bonorum ad delicias, & ad luxum pertinẽs.

Me pascunt oliuæ, mira frugalitas. Se non delicatioribus cibis delectari ostendit. hanc ipsam frugalitatem repetit etiam Epodo secunda.

Non attagen Ionicus
Iucundior, quam lecta de pinguissimis
Oliua ramis arborum.
Aut herba lapathi prata amantis, & graui
Maluæ salubres corpori.

Integra cum mente: fortasse optat sapientiam. quod potissimum optandum est, ex Iuuenalis sententia. Optandum est, ut sit mens sana in corpore sano. Cum autem ualidus frui optat suis bonis, bonam corporis ualetudinem cum mentis integritate coniunctam postulat, necesse est hæc duo ad felicitatem concurrant. sic utrunque genus felicitatis uidetur optare, nempe contemplatiuam, & intellectualem, quæ perfecta est. in qua est sapientia. & externam, quæ in externis est bonis. in quibus est corporis ualetudo. quod genus intellexit poeta, cum dixit, at ualido mihi Latoe dones. Hic aperiendum est artificium poetæ exquisitissimum. quod huiusmodi est. mens poetæ fuit ostendere se nullas opes præ mentis integritate ducere. cui sententiæ ut uenustatem, gratiamq; compararet, ad assumptionem se retulit τοῦ ἀορίστου πρὸς ὡρισμένον, de qua Hermogenes, idest, indefiniti ad definitum. quo loco mirifice extenditur, & expolitur oratio. Locus uberrimus, ac fecundissimus est, & aptissimus ad copiam, siquis alius. Sumitur autem, cum multa coaceruamus, & ex illis partem excipimus. quod hoc loco fecit poeta. multa enim collegit, ut Sardiniæ segetes, armenta Calabriæ, aurum, ebur Indicum, rura &c. quæ habere, maximum quidem est, uerum ex omnibus illis eligit, atque optat, ut sibi ualenti paratis, & mente integra frui liceat, neque carere cithara. sic crescit oratio, & pulchritudinem acquirit incredibilem. Hunc locum Tibullus elegantissime obseruauit, ibi:

Non, ut marmorei prodirem è limine templi
Insignis, claram conspicuusq; domo,
Aut, ut multa mei renouarent iugera tauri,
Et magnas messes terra benigna daret,
Sed tecum ut longæ satiarem tempora uitæ,

Inq;

Inq; tuo caderet nostra senecta sinu. Quem locum Iacobus Sannazarius sic expresit:

O mihi dum tales tumulo reddantur honores,
Tam lentum Lachesis scindat auara colum.
Non ut nostra nouos Arabum bibat urna liquores,
Vstus & Assyrio spiret odore cinis.
Aut, ut clara mei notescat fama sepulcri,
Altaq; marmoreus sidera tangat apex.
Sed magis, ut liceat longas audire querellas,
Et gerere è lacrymis serta rigata tuis.

Ex ijs etiam ignauus ad talem sententiam imitandam potest excitari. Huic loco contraria est congregatio ad congregatum, qua multa quidem colligimus, nihil tamen, ut in superiori, excipimus, quam assumptionẽ elegantissime Catull. in querela Ariadnes adhibuit. sic:

Nam quo me referam? quali spe perdita nitar?
Isthmoneos ne petam montes? ah gurgite lato
Discernens pontum truculentum, ubi diuidit aequor,
An patris auxilium sperem, quem ne ipsa reliqui
Persusum iuuenem fraterna caede secuta?
Coniugis an fido consoler memet amore?
Qui ne fugit lentos impellens gurgite remos?

Hæc sunt, quæ in poetis faciunt admirationem, talia illi tenuerunt, quæ si quis ignorarit, frustra sperat se uel tantulum laudis consecuturum.

Quẽ uero latere possunt uel pulcherrimæ dicendi formæ. fundere nouũ liquorem de patera. Lyrim mordere arua. premere uitem, pro putare. exsiccare uina aureis culullis. pasci oliuis. frui paratis. degere senectam? uel Epitheta. Sardinia opima, segetes feraces. Calabria æstuosa, ebur Indicũ. cululli aurei, maluæ leues:

Barbiton, siue testudinem suam commendat. Ode XXXII.

POSCIMVS, *si quid vacui sub vmbra*
Lusimus tecum, quod & hunc in annum
Viuat, & plures: age, dic Latinum
Barbite carmen,
Lesbio primum modulate ciui:
Qui ferox bello, tamen inter arma,
Siue iactatam religarat udo
Litore nauim:
Liberum, & Musas, Veneremq; & illi
Semper haerentem puerum canebat:

Et

Et Lycum nigris oculis, nigroq;
Crine decorum.
O decus Phœbi, & dapibus supremi
Grata testudo Iouis, o laborum
Dulce lenimen, mihi cunq; salue
Rite vocanti.

COMMENTARII.

Poetice lyram alloquitur. quod poetis est peculiare. Pind. ij. Olymp. Αναξιφόρμιγγες ὕμνοι. & prima Pyth. χρυσέα φόρμιγξ ἀπόλλονος.

Vacui sub umbra, idest, curis omnibus soluti. sic Virg. mentes uacuas dixit. Cætera, quæ uacuas tenuissent carmina mentes. Sic Cic. animum uacuum, & aliquando animum uacuum, & solutum.

Sub umbra, nihil tam celebrant poetæ, quã umbras. quibus per æstum nihil dulcius. Virg.

O qui me gelidis in uallibus Hæmi
Sistat, & ingenti ramorum protegat umbra. Hor.
Libet iacere modo sub antiqua ilice,
Modo in tenaci gramine. Anacreon.
παρὰ τὴν σκιὴν βάθυλλε
κάθισον. καλὸν τὸ δένδρον.
ἀπαλαισείει δὲ χαίτας
μαλακώτατῳ κλαδίσκῳ.

Sub umbra Bathyle sede, pulchra est arbor, teneras mouet comas mollissimo susurro. idest, non est opus multa colligere in re protrita.

Lesbio primum modulaté ciuí, mihi probatur, quod Lambinus adnotauit, addere illud uisum est. idcirco modulatum barbiton tributum Alcęo a Poeta. quod, ut scribit Lilius in huius poetæ uita auctore Donatiano, in musicis, & in arte modulandorum carminum peritissimus fuit Alcæus.

Qui ferox bello. Id ideo dixit, quoniam, eodem Lilio ex Aristotelis auctoritate adnotante, Alcæus cum Antimenide fratre patriæ exercitui aliquando præfuere, quibus postea a ciuibus reuocatis, imperium Pittaco traditum est. quod inique Alcęus tulit. quare inimicitiæ inter ipsos ortæ. Pittacus autem Alcęum, & exules, qui cum eo erant, insecutus est Mitylenęorum mandato. qui quidem Alcęus cum in Pittaci manus uenisset, impune ab eo est dimissus. Cum diceret ueniam longe supplicio meliorem. De huius militia Hor.

Et te sonantem plenius aureo
Alcæe plectro dura nauis, dura fugæ mala, dura belli.

Puerum canebat, Huius Pueri næuum, quem in articulo habebat, amasse Alceum scribit Cic. de nat. deor.

O decus Phœbi, tria potissimum, quibus laudat lyram: quod sit Phœbi decus, quod Epulis deorum adhiberetur, quod curarum sit lenimen, quare etiam aliquis sic illam laudare poterit.

AD ALBIVM TIBVLLVM. Ode XXXIII.

Ne doleat riualem adolescentiorem sibi præponi a Glycera.

ALBI, ne doleas plus nimio, memor
Immitis Glyceræ: neu miserabiles
Decantes elegos, cur tibi iunior
Læsa præniteat fide.
Insignem tenui fronte Lycorida,
Cyri torret amor: Cyrus in asperam
Declinat Pholoen. sed prius Apulis
Iungentur capreæ Lupis,
Quam turpi Pholoe peccet adultero.
Sic visum Veneri: cui placet impares
Formas, atque animos sub iuga aenea
Sæuo mittere cum ioco.
Ipsum me melior cum peteret Venus:
Grata detinuit compede Myrtale
Libertina, fretis acrior Adriæ
Curuantis Calabros sinus.

COMMENTARII.

Albi, hæc cohortatio non habet illos locos tam expressos, qui sunt propositi hoc genus tractantibus. aliter enim poetæ, aliter oratores sæpenumero hos adhibent. a locis causarum suadet nullam Glyceræ rationem habendam, uel quod immitis sit, uel quia aliũ in amore sibi præposuerit, uel quoniam fidem læserit. exemplis præterea agit, quorum magna uis est; & quæ huic generi præcipue conueniunt. præterea natura quadam amantium, qui sæpenumero ea amant, quæ odisse, & contemnere deberent, hortatur æquo animo ferat sibi a Glycera hominem adolescentiorem anteponi.

Immitis, habet uicem Enthymematis. si enim Immitis est, igitur non amanda. uel eo nomine minus dolendum.

Læsa fide. hic etiam latet aliud Enthymema, si læsit fidem ergo non dolendum. De puellarum perfidia sæpe queruntur tres illi poetæ.

Insignem,

Insignem, elegantisſime dictum. Significat amore Cyri teneri Lychorida. ſic alibi:

Me torret face mutua

Turini Calais filius Orniti.

Verbum aptum incendijs amantium amplificandis. Ouid.j. Metam. uiſcera torreri ignibus dixit. Scaliger pungit poetam hoc loco. quod dixerit tenuem frontem, quod neque in uiro, neq; in fœmina (inquit) laudarim. Ego malo interpretes omnes ſequi pulchritudini tribuentes.

Sic uiſum Veneri, uel ex his colligi poteſt, qnam delirét, qui huic deæ tam fatuæ ſe committunt. qui omnia præpoſtere agat. plane cæci hoc nomine ſumus, qui, pulchritudine, qua potiri liceret, neglecta, deformitatem, quam adipiſci non poſſumus, ſequamur. ut non inepte Venerem ἀφροδίτην nonnulli è ueteribus, quod ἀφραίνει, hoc eſt inſaniat, dictam uoluerint. cui ſententiæ ſubſcribit Euripides, inquiens, τὰ μῶρα γὰρ πάρεσιν ἀφροδίτη βροτοῖς. ideſt, ſtulta proponit Venus mortalibus.

Verba lectiora, ac modi dicendi ſunt. Decantare elegos. Lædere fidem, Lycoris inſignis fronte. amantem torreri, declinare in Pholoen, Lupi Apuli ſpecies pro genere. Capreas iungi Lupis, ut Virg. Iungētur iam Gryphes equis, æuoq; ſequenti cum canibus timidi uenient ad pocula damæ. prænitere, compede detineri, optimæ ſunt metaphoræ, fretis acrior Adriæ. hyperbole.

Pœnitere ſe, quod Epicureus fuerit. Ode. XXXIIII.

PARCVS Deorum cultor, & infrequens,
Inſanientis dum ſapientiæ
Conſultus erro: nuc retrorſum
Vela dare, atque iterare curſus
Cogor relictos. nanque Dieſpiter
Igni coruſco nubila diuidens,
Plerunque per purum tonantes
Egit equos, volucremque currum;
Quo bruta tellus, & vaga flumina,
Quo Styx, & inuiſi horrida Tænari
Sedes, Atlanteusque finis
Concutitur. valet ima ſummis
Mutare, & inſignem attenuat Deus,
Obſcura promens. hinc apicem rapax
Fortuna cum ſtridore acuto
Suſtulit: hic poſuiſſe gaudet.

COMMENTARII.

Parcus, quemadmodum sententias nonnullas inanes persequuntur poetæ, contra grauissimas etiam tractant, & quę ad uitam excolendam, ad optimorum morum cultum, atque ad religionem, & sanctitatem pertinent. talis est præsens sententia. qua ostendit se pœnitentia ductum, quod Cyrenaicam Epicureamq; doctrinam fuerit secutus, quæ tot sæcula inquinauit. in hac autem sententia eleganter, ac grauiter uersatur, ut ea nihil pulchrius, si uerba inspiciamus; si sententiarum pondus spectemus, nihil grauius. Sed proculdubio nihil tam impium, quam Dei Maximi cultum negligere, seque inani ac ridiculæ sapientiæ dedere. sane in philosophorum sectis nihil æque perniciosum potuit excogitari, quam Epicurea stultitia, quæ eò amentiæ progressa est, ut prouidentiam sustulerit, summum bonum in uoluptate collocarit, quæ pecudis felicitas est. Huius generis felicitas ea est, qua poeta frui scribit ad Tibullum.

Me pinguem, & nitidum, bene curata cute uises,
Cum ridere uoles Epicuri de grege porcum.

Quare iure insanientem sapientiam appellat. Quod uero totum se huic doctrinæ addixisset poeta, hi loci inter multos declarant:

Sic tu sapiens finire memento Tristitiam, uitaq; labores
Molli Plance mero. Et:
Huc uina, & unguenta, & nimium breuis
Flores amœnæ ferre iube rosæ. Et:
Quis deuium scortum eliciet domo Lyden. Et:
Nec dulces amores
Sperne puer, neque tu choreas.

Quæ cui non olent Epicurum? De huius autem philosophi opinionibus uide Lactantium de falsa Sapientia, cap. xvij. & Laertium in ea præsertim Epistola, quam Epicurus ipse ad Meniceum scripsit. Sed, cum in uoluptatę statuerent duo philosophi felicitatem, Aristippus, atque Epicurus, ille in corporis, hic in animi uoluptate ponebat. quamobrem ille omnium malorum summum existimauit esse dolorem. de quo Cic. Tusc. ij. Socraticus Aristippus non dubitauit summum malum dolorē dicere. deinde ad hanc eneruatam, muliebremq; sententiam satis se docilem Epicurus præbuit. Ideo, ut hac uoluptate frueretur Aristippus, Reges, & beatos homines secutus est. Idcirco Diogenes Regium Canem illum appellabat. Epicurus proculdubio uerecundior, qui uoluptatem quidem celebrabat, sed eam, quæ cum uitio coniuncta non esset, ut ex ea Epistola satis constat. quare magis Aristippæum, & Cyrenaicum fuisse poetam existimarim, quam Epicureum. Ideo prima Epist. Nunc in Aristippi furtim præcepta relabor.

Nanq;

Nanq; Diespiter, significat Dei metu a falsa religione perterritum recessisse. elegantissime autẽ, & ualde poetice describit Tonantem Iouem, Vulgi opinionem secutus. quod uerũ credens Salmoneus, ipse talia tentauit. Virg.

Demens, qui nimbos, & non imitabile fulmen
Aere & cornipedum cursu simularat equorum.

Putabat enim sic Iouem facere.

Igni corusco, egregia Periphrasis fulminis. ignẽ fulmineũ dixit Lucr. Virgilius ignẽ Iouis rapidum. Ouid. ignes trisulcos, Elisumq; nubibus ignem.

Nubila diuidens, obseruabimus plerunq; in fulminandi locutionibus nubiũ apud poetas fieri mentionẽ. quod è nubibus erumpant. quare sunt illa:

Iouis rapidum iaculata è nubibus ignem. Et:
Expressit uentis per nubila fulmen. Et:
Ingeminant abruptis nubibus ignes. Et:
Ipse pater media nimborum in nocte corusca
Fulmina molitur dextra.

Quo bruta tellus, mira uis fulminis uehementius exprimi non potuit. Hanc sententiam sic tentauit Pontanus imitari in Meteoris, sed satis frigide. vt ego quidem sentio:

Vnde tremunt nigri postes, & limina cœli. felicius illud:
Ictus
Ingentem effracto sonitum dedit aggere, multusq;
Intonat. & sonitu cœlum tonitru quatit.

Vbi & metus, & fulminis sonitus augetur. sed hoc diuinitus assecutus est Virg. idem exprimens his uersibus:

Fulmina molitur dextra. quo maxima motu
Terra tremit. fugere feræ, & mortalia corda
Per gentes humilis strauit pauor. ille flagranti
Aut Athon, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo
Deijcit. quo nihil potuit fieri terribilius.

Valet ima summis, eandem sententiam paullo post fortunæ tribuit.

De huius carminis figura siquis quærat, intelligat totam esset dignitatis. sententia ipsa (quod prius est considerandum) grauis est, quoniam περὶ θεῶν ὡς περὶ θεῶν. idest, de dijs tanquam de dijs loquitur. ait eam esse potentiam Iouis, ut omnem terram, atque etiam inferos ipsos perterrefaciat. quod ad hoc genus maxime pertinet. Verba uero nequaquam a sententia discrepant. huiusmodi sunt, quæ os in pronunciando inflent, & sonantibus uocalibus, consonantibusq; robustioribus composita sunt. ut deorum cultor. erro, retrorsum. uela dare, iterare, cogor, corusco, tonantes equos, uaga flumina, horrida Tenari. At figuræ insignes, dare uela retrorsum, iterare cursum, allegoriæ ualde huic generi aptæ. ut sentit Hermogenes, τροπικὰς λέξεις σεμνὰς, ϗ διογκωμένας esse, idest, Figuratam

ratam dictionem dignitatis, & inflatam esse debere ostendit. per illas autem allegorias uult significare se ab illa insania abductum. Diespiter Iouis nomen dignitati conueniens, quam deorum nomina, & omnia illustria uirorum, ac rerum nomina conficiunt. ut, Styx, & inuisi horrida Tenari sedes, Atlanteusq; finis. Nubila diuidens. Sic Luc. Fulmina fregerunt nubes. Hac autem allegoria, quid pulchrius, atque ornatius? plerunque per purum tonantes egit equos, uolucremq; currum? concutitur sua proprietate uim habet maximam. Sic illud. Nutu tremefecit Olympum. Insignis, pro claro, & illustri, uel potente, Verbum attenuat, quasi contrarij uice fungens mirum habet decorem. Quid illud, obscura promere, & illa, quã habent energiam? Hinc apicem rapax fortuna cum stridore acuto sustulit, non ne ante oculos rem constituit?

AD FORTVNAM. Ode XXXV.

O Diva, *gratum quæ regis Antium,*
Præsens vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel superbos
Vertere funeribus triumphos:
Te pauper ambit sollicita prece
Ruris colonus: te dominam æquoris,
Quicunque Bithyna lacessit
Carpathium pelagus carina.
Te Dacus asper, te profugi Scythæ,
Vrbesque, gentesque, & Latium ferox,
Regumq; matres barbarorum, &
Purpurei metuunt tyranni:
Iniurioso ne pede proruas
Stantem columnam: neu populus frequens
Ad arma cessantes, ad arma
Concitet, imperiumq; frangat.
Te semper anteit sæua Necessitas,
Clauos trabales, & cuneos manu
Gestans ahena: nec seuerus
Vncus abest, liquidumq; plumbum.
Te Spes, & albo rara Fides colit
Velata panno; nec comitem abnegat,
Vtcunque mutata potentes
Veste domos inimica linquis.
At vulgus infidum, & meretrix retro
Periura cedit. diffugiunt cadis

Cum

Cum fæce siccatis amici;
Ferre iugum pariter dolosi.
Serues iturum Cæsarem in vltimos
Orbis Britannos, & iuuenum recens
Examen Eois timendum
Partibus, Oceaneoq; rubro.
Eheu, cicatricum, & sceleris pudet.
Fratrumque. quid nos dura refugimus
Aetas? quid intactum nefasti
Liquimus? vnde manus iuuentus
Metu Deorum continuit? quibus
Pepercit aris? o vtinam noua
Incude distringas retusum in
Massagetas, Arabasq; ferrum.

COMMENTARII.

O Diua, petiturus poeta a fortuna, ut Cæsarem in Britanniam cum exercitu proficiscentem seruaret, cumq; Fortunam in bellicis rebus dominari, & rerum humanarum exitum ex uulgi sententia, in ipsius potestate esse intelligeret, eam precatur, ut illius exercitum, atque eundem tueatur. Id autem initio seruauit, quod in petitionibus obseruari solet, scilicet, ut id, quod petimus, in eius facultate esse dicamus, a quo beneficium postulamus. quis autem id, quod petit poeta, magis præstare potest, quam ea, quę è gradu imo tollere homines, rursumq; in cineres triumphos potest conuertere? Quare sunt illa, Te Dacus asper, te profugi Scythæ, Vrbesq;, Gentesq;, & Latium ferox, Regumq; matres, barbarorum, & purpurei metuunt Tyranni. Hinc est, quamobrem, auctore Plutarcho in Sylla, non negligenda uidetur fortuna. qui enim illam contempserunt, in maximas ęrumnas lapsi, misere uitam finierunt? Idcirco de Timotheo Cononis narrat, qui cum ægre pateretur res a se præclare gestas ab inimicis Fortunæ ascribi, ille uero uirtuti suæ potius tribueret, factum est, ut iniquis auspicijs omnia deinceps administraret. &, Idcirco a populo è ciuitate pulsum, tandem profugisse. secus Syllę euenisse, qui, cum summo studio Fortunam coleret, Felicis nomen facile est consecutus.

Quæ regis Antium, præter Antium, alibi quoque cultam fortunam constat. In Ferentano Oppido, scilicet. In Algido, Præneste. Sane Antij Equestris Fortunæ templum fuisse accepimus. Animaduertite autem totam horum uersiculorum sententiam arctius in superiori Ode expressam. Sic:
Valet ima summis
Mutare, & insignem attenuat deus.

Obscura

Obscura promens. quod statim ita uariauit:

Hinc apicem rapax
Fortuna cum stridore acuto
Sustulit. hic posuisse gaudet.

Hic uero in longius deductam ob species uariarum personarum, quas pro generibus assumpsit, cum inquit:

Te pauper ambit solicita prece,
Ruris colonus, te dominam æquoris
Quicunque Bithyna lacessit
Carpathium pelagus carina.
Te Dacus asper, te profugi Scythæ,
Vrbesqs, Gentesq;, & Latium ferox,
Regumq; matres barbarorum, &
Purpurei metuunt Tyrannum.

Quæ cum ita poeta fecisset, quid, si ad hunc Pindari locũ, qui est in xij. Ode Olymp. respexerit?

λίσσομαι παῖ ξηνὸς ἐλευθερίου
ἱμέρ' εὐρυσθενέ' ἀμ-
φιπόλει σώτειρα τύχα.
τὶν γὰρ ἐν πόντῳ κυβερνῶνται θοαὶ
νᾶες, ἐν χέρσῳ τε λαιψηροὶ πόλεμοι

κἀγοραὶ βουλαφόροι. idest, supplico filia Iouis Liberatoris, conseruatrix Fortuna pro Himera potenti Vrbe. Tu enim ueloces naues in mari gubernas, & in terra horrida bella, tum conciones, quæ consilia afferunt. patet poetam huius figuræ, scilicet uariarum personarum assumptione uoluisse dicere. Te fortuna omne hominum genus ueneratur. quare patet ueram esse illam obseruationem, de qua in libris de Imitatione scripsimus. Assumptionibus locupletari, ac in plura diffundi orationem. detractis illis fieri breuiorem. Lege totum illum locum.

Te spes, albo panno uelatam fidem ait. propterea, quod tecta, ac secreta esse debet. albo autem panno ob puritatem, ac sinceritatem. quæ in fide esse debet. idcirco Virg. Canam appellauit fidem. uel ob candorem, uel quod in canis hominibus ut plurimum esse soleat. Acron aliter. uerum huc spectat, quod ille scribit.

Vtcunque mutata, mira est felicitas in optimis scriptoribus in eadem sententia sæpius uarianda. Cum in superiori Ode sic expressisset fortunæ potentiam, inquiens, ualet ima summis mutare, & insignem attenuat deus obscura promens. statimq; adiecisset, idem significans, Hinc apicem rapax fortuna cum stridore acuto sustulit. Cumque idem esset postea repetendum, sic fecit:

Præsens uel imo tollere de gradu.

Mortale corpus, uel superbos
Vertere funeribus triumphos.

Rursus eandem sententiam transformans sic uariauit:

Vtcumque mutata potentes
Veste domos inimica linquis.

At uulgus infidum, hoc nihil illustrius declarat, quam Luciani Timon. *Serues*, hic licet uidere longum hyperbaton multis praeclaris prius interiectis quam ad exitum sententia peruenerit, quod facit dignitatem. *Eheu cicatricum*, de hoc pluribus quaeritur prima Ode secundi libri.

Quis non latino sanguine pinguior
Campus sepulchris impia praelia
Testatur? auditumq; Medis
Hesperiae sonitum ruinae? cum reliquis, quae sequuntur.

At quo splendore uerborum exornata est tota sententia? regere Antium sic dixit, quemadmodum Virg. aeternis regis Imperijs, & regere populos imperio. bello frementum Italiam regere, & orbem patrijs imperijs. tollere de imo gradu, honoris est uerbum. sic tollere iu coelum, ad astra, tollere se humo, laudibus tollere. Vertere funeribur triũphos pro in funera, pulcher modus, sic in cinerem uertere dicimus. Erue autem nudam sententiam hoc pacto. O fortuna quae humiles tollis, potentes deprimis. Sic uestias. O Diua quae regis Antium. (periphrasis) praesens uel imo tollere de gradu mortale corpus, uel superbos uertere funeribus triũphos. nihil ornatius potuisse fieri constat. reliquas sententias ita considerabis. quas, ue, nimis longum faciam, praetereo, rẽ tantum indicasse contentus. Lacessere pelagus carina, quid pulchrius? quid illę species pro generibus? Bithina carina, carpathiũ pelagus: ambire prece, proruere stantẽ columnã pro statum rerum firmum euertere, quam bella allegoria. mira autem est uis in uerbo proruere, concitare ad arma. frangere imperium, sic etiam Virg. frangi uires dixit:

Fractae uires, auersa deae mens. sic opes
Illa ut opes fractae Teucrum, & fortuna recessit, sic de apibus:
Et res miserabere fractas. eadem ratione, *fracti bello.*

Abnegare comitem, mutare uestem, pro deserere, non ita est dictum, sicut cum in luctu uestem mutare dicebant, in uerbo autem diffugiunt repẽtina adulatorum mutatio, bellissimum est, cadi siccati cum fece, quo significauit omnia iam exhausta, ac consumpta. refugere uerbum optimum. pro abstinere, atque abhorrere non caret ornatu translatio. sic illud poetae:

Et refugit te quia luridi dentes
Turpant, & capitis niues.

Intactum linquere. continere manus. sic fortasse illa apud Virg.

Continuitq; gradum. Et:
Ter maxima Iuno

Continuit ter conatum utranque uiam. diſtingere, an diſtringere malis ferrum, nõ multum refert. retuſum ferrum, ſed recuſum placet. ut Lambinus emendauit. Libuit ſubſcribere meum carmen in eandem Fortunam, vt ſit pro imitationis exemplo noſtris adoleſcentibus quamuis aliquis calumniator putidum iudicabit.

O, cui ſuperba in uerticibus ſacris
Regina duri mœnia Vlyſſei
Ponunt Nepotes, & frequentes
Aſſyrios adolent odores,
Ceruice quando mi excuties iugum?
Attrita uinclis colla tenacibus
Solues? uel è cæcis latebris
Ad nitidas reuocabis oras?
Heu, me fugaces ut ſtipulam leuem
Iactas per auras, quam Zephyri ferunt
Impune per ſudum Tonantis,
Et uarie miſeram fatigant.
Vel qualis alto in uertice Menali
Annoſa quercus, quam Boreæ truces
Fruſtra reluctantem ſonoro
Turbine corripuiſſe gaudent.
Iam quid ſupremum? quid ſupereſt? mei
Quæ pars inulta eſt? num exuuias ferox
Seuis in ipſas? inq; inanem
Inſidias meditaris umbram?
Quare rotundo ſeu lapidi inſides
Mutare ſedem prompta, uolubili
Seu prona lætaris Cylindro,
Seu celeri radio rotarum.
Huc atra mentis nubila diſſipans,
Qualis ſolutus ſolſtitij è plaga
Accurrit, obſcurumq; late
Cœlum Aquilo exhilarat ſerenus,
Adſis, benignum largiflua manu
Cornu refundens, ſi dominam æquoris,
Cœli potentem, ſi iacentis
Terræ humiles dominam fatemur.
Ridente quem tu lumine uideris,
Tutus rigentis per iuga caucaſi,
Saltusq; inacceſſos ferarum, &
Ferret iter medios per hoſtes.

Nec,

Nec, cum tridenti spumeus æquora
Attollit imo cerula Nereus,
Quin uastus effuso nec ipse
Terreat Oceanus profundo.
Tu cuncta felici arbitrio regis
Occulta, rerum principium omnium,
Tu dextra habenas, tu polum alto
Vertice sideribus micantem
Gestas: uolucrem te super æthera
Alæ nitentes, te ad gelidos Scythas,
Te cancro ad ustas seuiente
Aethiopum rapiunt arenas.
Te celso Atlantis cæliferi aut iugo
Austro strepente, aut in Rhodope iuuat
Ventis moueri, atque incubantum
Excipere æolias procellas.
Te nauta cum atrox fulminat hinc notus,
Hinc mugit Eurus, pallidus inuocat,
Dum mortis illudit imago
Ante oculos, propiorq; læto est.
Cultor beati, at exigui soli,
Perustaq; uxor gramineo intoro
Cum prole parua te reposcit
Cum precibus dapibus secundis.
Imos supremos euehis ad gradus,
Lucem tenebris candida protinus,
Luci tenebras at repente
Cum placuit inimica condis.
Tu sceptra donas, atque eadem rapis,
Per te superba olim Capitolia
Aequata Olympo. te Tyranni
Purpureis metuunt tiaris.
At, siue Virgo, seu Nemesis dea
Pœnas reposcens iustitiæ arbitra
Terrena despectas acutis
Pectora luminibus pererrans,
Seu tu pupillis lacteolis magis
Insignis, aut Rhamnusia dicier,
Seu mista mauis, siue equestris
Seu gemina facie puella,
Misisse Cælo Vrbs qua nitidum caput

Regina tollit Adriaco in sinu,
Mansuram in æuum quam locauit
Nereus auspicijs secundis.
Salue Vrbs remoti quam procul auream
Mirantur, altam mœnibus, & uiris
Regnare fuctis, & potenti
Imperio sine fine doctis.
Te Pontus ingens, Te Accola Bosphori
Prædisq; læta, & funere Iberia, &
Parthus reformidat, Lygurq;
Depositis ueneratur armis.
Demum in reducta ualle Cadubrij
Germania, & qua Medoacus fluit,
Quid Marte posses, quid supremis
Consilijs inimica sensit.
Huic me benigna, huic me reducem obseque ns
Redde, hic Quirini me foueat sinus,
Hic me Quirinus ceu tenebris
Excipiat stygijs remissum.
Da inter sonoras Heliadum comas
Lætum sub umbris sacra recondita
Proferre Vatum hic, & Quirinum
Perpetuis celebrare chartis.
Tecum hunc arenas qua rutilas Tagus
Voluit beatus, fonte Boristhenes
Qua ignotus errat, uel rapaci
Qua Rhodanus rigat arua cornu,
Victor per oras, si annueris, feram
Illustre qua undis sol caput exerit,
Qua condit auratas quadrigas
Hesperiæ fidicen Thaliæ.

Ob Numidæ reditum gaudio exultat. Ode XXXVI.

ET THVRE, *& fidibus iuuat*
Placare, & vituli sanguine debito
Custodes Numidæ deos:
Qui nunc Hesperia sospes ab vltima
Caris multa sodalibus,
Nulli plura tamen diuidit oscula,
Quam dulci Lamiæ, memor

Actæ non alio rege puertiæ,
Mutatæq; simul togæ.
Cressa ne careat pulchra dies nota:
Neu promtæ modus amphoræ,
Neu morem in Salium sit requies pedum:
Neu multi Damalis meri
Bassum Threicia vincat amystide;
Neu desint epulis rosæ:
Neu viuax apium, neu breue lilium.
Omnes in Damalin putreis
Deponent oculos: nec Damalis nouo
Diuelletur adultero,
Lasciuis ederis ambitiosior.

COMMENTARII.

Et thure, ingens lætitia hac Ode exprimitur ex incolumis amici reditu. eiusmodi autem est,ut pro exemplo cuius esse posit ad gaudium insigniter declarandum. Hanc autem Oden in hac sententia multa optima ingenia sibi proposuerunt imitandam. quod nostris etiam faciendum arbitror. non ut in hac tantum re,sed,ut in omni materia tractanda,ueteres intuentes,nostra ad illorum iudicium, atque institutum tum methodum conformare feliciter posimus. quicquid enim in una quaque re, ac sententia excellit, ipsos melius,ac prudentius uidisse quam nos, fatendum est. ut merito tanquã certos duces sequi necesse sit. Nolo tamen id a me ideo dictum aliquis existimet,ut in illis adeo hærendum contendam, ut ne tantulum ab eorum inuentis recedere audeamus. placet alia, atq; alia illis adiungi pro iudicio,atq; ingenij felicitate. secus,fieret,ut nihil noui ipsi attulerimus, si in eorum uestigijs perpetuo insistere,quam noua & ipsi excogitare maluerimus. Nec me fallit plerunque fieri,ut,quæ in ipsis notauerimus egregia,ad alia optima inuenienda quasi lumen accendant, quamobrem illis admoniti, atque expergefacti, similia, atque æque præclara reperimus. Proponamus,præsens Horatij exemplum. Si cui idem argumentum lætitiæ declarandæ tractandum sit, statuat protinus oporteres, quæ in ipso concinnando insignia ipse inuenerit,quam apte suo posit astingere, quasi ex poetæ fidelia colorem ad opus suum perpoliendũ depromens. Quid igitur in hoc paruo poemate notabimus quantũ ad inuentionẽ pertinet? Nempe in hac lætitia significanda ea poetã adhibuisse, quę tali in re fieri quotidie uidemus. Siquidẽ ante omnia dijs tãquam auctoribus boni, cuius gratia letamur,gratias agimus,sacrificijs,rebusq; diuinis illos celebramus. Conuiuijs largius indulgemus. lusus uarios adhibemus,& quæ conuiuia exornant coronis, varijsq; floribus omnia redolere iubemus,quibus aut per mensam, aut per totã domũ cõspersis,

omnia

omnia hilariora reddita, quasi ridere uidentur. quamobrem nostri adolescentes in talibus argumentis eandem rationem sequendam meminerint: Animaduertendum autem est quam diligenter hæc omnia semper in hoc genere Horatius obseruarit. gratias in primis agit, cum inquit:

Et thure, & fidibus iuuat
Placare, & uituli sanguine debito
Custodes Numidæ deos. sic lætus pro uictoria Actiaca fecit:
Nunc saliaribus
Ornare puluinar deorum
Tempus erit dapibus sodales.

Idem ad Pompeium Varum cui reduci gratulatur:

Ergo obligatam redde Ioui dapem.

hoc animaduertit M. Antonius Flaminius poeta egregius in illa Ode, qua gratulatur Paulo Tertio Pontificatum. inquit enim:

At tu nobilis imperi
Vertex, magnanimum Roma Quiritium
Mater, surge cadentibus
Astris, & superis dona fer omnibus,
Templis, incipe debitas
Prima luce deis reddere gratias.
Cantu, & thuris honoribbs. Idem ad Alexandrum Farnesium. cui gratulatur, quod è graui morbo emerserit.
At tu Romuleæ parens
Vrbis, certa salus, & decus Italæ
Gentis maxime Paule iam
Diuis, solue bonis uota, Nepos ualet.

& quoniam in letitijs Genio indulgemus, Horatius id non prætermisit.

Nec promptæ modus amphoræ. Idem de pugna Actiaca.
Nunc est bibendum. Idem ad Pomp. Varum:
Longaq; fessum militia latus
Depone sub Lauru mea, nec
Parce cadis tibi destinatis.
Obliuioso leuia massico
Ciboria exple. & paullo post
Quem uenus arbitrum
Dicet bibendi? hæc prudenter Flaminius prætermisit. cũ enim animaduerteret, se non cum sodalibus, aut cum æqualibus agere, sed cum Pontifice Maximo, & cum Cardinali, personis amplissimis, non putauit esse decorum, uini, & compotationis facere mentionem. addit poeta in eandem sententiam bibendi.

Nec multi Damalis meri

Bassum

Bassum Threïcia uiuent amystide. Nec saltationes, ac choreas omittimus in lætitia. quare:

Nec morem in salium sit requies pedum. & de victoria Actiaca:
Nunc pede libero
Pulsanda tellus. Hoc Flaminius pulchre est imitatus. de Paullo Tertio.
Tum læti choreas ioci
Ducant, nec geminis iuncta sororibus
Absit Gratia, nec pudor
Sanctus, ne Pietas, almaq; Veritas. vbi eodem consilio, ac prudentia usus est. non enim impudicam aliquam saltatriculam choreas ducere, ac saltare iubet ad Pontificem scribens. Nec uero repudiamus odores, rosas, flores, coronas in hoc affectu exprimendo. Quamobrem sic Hor.

Neu desint Epulis rosæ,
Neu uiuax apium. neu breue Lilium. (quod sic alibi expressit. Nec. Et nimium breues flores amenæ ferre iube rosæ.) & ad Pomp. Var.

Quis udo deproperare apio coronas
Curatue myrto? funde capacibus
Vnguenta de conchis. Flaminius de Paulli Pontificatu:
Pingat Cæruleis gramina lilijs. cui addit pulchra illa. & præclara:
Siillent mella uirentibus
Ramis, lacte nouo Tybri pater fluas. Idem ad Alex. Farn.
Et septem geminos tegant
Montes purpureis lilia cum rosis.

Hæc, & similia, quæ in ueterum poetarum scriptis censeo animaduertenda, facile monere possunt, quomodo sint imitandæ sentẽtię optimorũ poetarũ.

Ob Victoriam Actiacam Genio indulgendum esse. Ode XXXVII.

NVNC est bibecdum: cunc pede libero
Pulsanda tellus nunc Saliaribus
Ornare puluinar deorum
Tempus dapibus, sodales.
Antehac nefas depromere Cæcubum
Cellis auitis, dum Capitolio
Regina dementeis ruinas.
Funus imperio parabat,
Contaminato cum grege turpium
Morbo virorum quid libet impotens
Sperare, fortunaq; dulci
Ebria. sed minuit furorem

Vix

Vix vna sospes nauis ab ignibus:
Mentemq; lymphatam Merectico
Redegit in ueros timores
Cæsar, ab Italia volantem
Remis adurgens, accipiter velut
Molleis columbas, aut leporem citus
Venator in campis niualis
Aemoniæ, daret vt catenis
Fatale monstrum: quæ generosius
Perire perirens nec muliebriter
Expauit ensem, nec latenteis
Classe cita reparauit oras.
Ausa & iacentem visere regiam
Vultu sereno, fortis & asperas
Tractare serpenteis, vt vt atrum
Corpore combiberet venenum,
Deliberata morte ferocior:
Sæuis Liburnis scilicet inuidens
Priuata deduci superbo
Non humilis mulier triumpho.

COMMENTARII.

Nunc est bibendum, in hanc sententiam est nona Epodos ad Mecænatem. in qua exultat lætitia, proponenr sibi victoriam Actiacam. breui autem hic repetit ea, quæ in superiori Ode fieri solere diximus. eadem in Epodo non prætermisit. Cum hic dicit nunc est bibendum, illic idem, sed fusius inquit:

Quando repostum cæcubum ad festus dapes
Victore letus Cæsare
Tecum sub alta, sic Ioui gratum domo
Beate Mecænas bibam. quod in extremo carmine etiam repetit:
Capaciores affer huc puer Scyphos,
Et chia uina, & Lesbia,
Vel quod fluentem nauseam coerceat,
Metire nobis cæcubum.

Contaminato, hos proprio uocabulo spadones in Epodo appellat. fert uallum,& arma miles,& spadonibus seruire rugosis potest.

Vix una, cum Cleopatra animaduertit unam tantum nauem incolumem euasisse, spe decidit, furorq; illius est imminutus.

Lymphatam, sic Virg.

Ingentem sine more furit lymphata per urbem.

Lymphatos a Latinis, Νυμφολήπτους a Græcis furentes uocari satis est notum. Verum panes, faunos, nymphas, atque alios nonnullos agrestes deos accepimus post longum tempus & ipsos mori. atque his homines terreri. quibus terriculamentis qui agerentur, a Græcis ita appellari. Hinc panici terrores. belle autem dixit lymphatã marcotico ad uocẽ ebriam respiciẽs.

Ad urgens, in hac significatione sic Virg. *Mortali urgemur ab hoste Mortales*. Et: *At Metabus magna propius urgente caterua Dat sese fluuio*.

Accipiter uelut, a simili. perpetuæ inimicitiæ sunt inter accipitrem Aquilam, & columbam. Inter agnos, ac lupos, ceruam, & leonem. Hor. *Lupis & agnis quanta sortito obtiget, tecum mihi discordia est*. Ouid. *Sic agna lupum, sic cerua Leonem. Sic fugiunt aquilam penna trepidante columbæ*. Idem Horatius Chloen ceu hinnulum fugientem, se tanquam leonem uocat. Vitat hinnuleo me similis Chloe, sic statim infert. Atqui non ego te tigris ut aspera, Getulusue Leo frangere persequor. Locutiones insigniores, pulsare tellurem. cui simile est illud. alterno terram quatiunt pede. de quo genere lege quæ adnotauimus ad quartã Oden huius libri. ibi: Iunctæq; Nymphis. Ornare puluinar, pro apparare, & instruere. Sic dicimus ornare conuiuium. Cic. pro Quinctio: Non profusis sumptibus uiuere, non ornare magnifice, splendideq; conuiuium. Sic classem ornare dicimus. Depromere cæcubum. lege quæ scripsimus ad septimam Oden huius libri. parare funus, & ruinam. ebria dulci fortuna, & lymphata Marcotico pulcherrimæ translationes. redigere in timores, urgere remis. Campi Aemoniæ, species pro genere, tractare serpentes, deduci triumpho. hæc unusquisque poterat obseruare, sed nolui ab instituto recedere.

AD PVERVM. Ode XXXVIII.

Se tenui apparatu gaudere.

PERSICOS *odi, puer, apparatus:*
Displicent nexæ philyra coronæ:
Mitte sectari, rosa quo locorum
Sera moretur.
Simplici myrto nihil allabores
Sedulus curo. neque te ministrum
Dedecet myrtus, neque me sub arcta
Vite bibentem.

COMMENTARII.

Persicos, præter unguenta, & coronas, quas in conuiuijs Persæ adhibebant, in lectis etiam aureis, ac gemmeis discumbebant, de quorum luxu nemo nõ nouit. quis nescit ex Athenęi lib. iiij. adeo fractos luxu fuisse, ut præmium proponerent nouæ alicuius uoluptatis inuentoribus? *τοὺς περσῶν βασιλεῖς ὑποτρυφᾶς προκηρύττειν τοῖς ἐξευρίσκουσιν τινὰ καινὴν ἡδονὴν ἀργυρίου πλῆθος.*

Philyra, Philyram Veneri tribui narrant, uel ob amoris conciliationem, uel quod coronis nectendis apta sit.

Simplici myrto, sola enim myrtus, inquit, contentus sum. quare nihil est, quod præterea allabores. myrtus quidem apta conuiuijs, & propterea Veneri tributa.

CAR-

CARMINVM LIBER SECVNDVS.

AD C. ASINIVM POLLIONEM. Ode I.

Commendat ſcripta illius, quibus bella ciuilia complectebatur.

*M*Otvm *ex Metello conſule ciuicum,*
Belliqúe cauſas, & uitia, & modos
Ludumque Fortunæ, grauesque
Principum amicitias, & arma
Nondum expiatis uncta cruoribus,
Periculoſæ plenum opus aleæ
Tractas, & incedis per ignes
Suppoſitos cineri doloſo.
Paulum ſeueræ Muſa tragædiæ
Deſit theatris: mox, vbi publicas
Res ordinaris, grande munus
Cecropio repetes cothurno,
Inſigne mæſtis præſidium reis,
Et conſulenti Pollio curiæ:
Cui laurus æternos honores
Dalmatico peperit triumpho.
Iam nunc minaci murmure cornuum
Perſtringis aures: iam litui ſtrepunt:
Iam fulgor armorum fugaces
Terret equos, equitumque uultus.
Audire magnos iam uideor duces
Non indecoro puluere ſordidos:
Et cuncta terrarum ſubacta,
Præter atrocem animum Catonis.
Iuno, & deorum quiſquis amicior
Afris, inulta ceſſerat impotens
Tellure, uictorum nepotes
Rettulit inferias Iugurthæ.

Quis non Latino sanguine pinguior
Campus sepulcris impia prælia
Testatur? auditumque Medis
Hesperiæ sonitum ruinæ?
Qui gurges? aut quæ flumina lugubris
Ignara belli? quod mare Dauniæ
Non decolorauere cædes?
Quæ caret ora cruore nostro?
Sed, ne, relictis Musa procax iocis,
Ceæ retractes munera næniæ,
Mecum Dionæo sub antro
Quære modos leuiore plectro.

COMMENTARII

Motum ex Metello. Pollio in poetarum numero habitus est a nonnullis. in iis Seneca, ac Plinius fuere; allij Historicum, & Oratorem potius agnoscunt. Tragœdias scripsit. in eoq; poetices genere Virgilio probatus. de eo enim sic:

Pollio & ipse facit noua carmina, pascite taurum
Iam cornu petat, & pedibus qui spargat arenam.

De Dalmatis triumphauit. Græcam historiam latine scripsit. de quo paullo fusius lege de Historia poetarum. Horatius hac Ode illum, eiusq; libros de bellis ciuilibus conscriptos commendat.

Belliq; causas, qui historiam tractat, bellorum origines persequi debet, de Ciuilium autem bellorum causis adi Cæsaris librum primum de bello Ciuili, Appianum, Plutarchum in Cæsare, L. Florum lib. cix. Suetonium in Cæsare. Vitia autem illa fuere. quod Cæsar, & Pompeius sibi cedere nolebant. alter enim superiorem, alter parem ferre non poterat.

Ludumq; Fortunæ, sane rerum mortalium uariæ uices, uel secundæ, uel aduersæ potius ludus Fortunæ sunt. Cum illa uel humilem extollit, uel potentem deprimit, uel cum omnia bellis confundit, ludere fortuna uidetur. sic Martis ludum appellat bellum. ibi. Heu nimis longo satiate ludo. Quem iuuat clamor &c.

Non expiatis, post bella ungi solent arma aduersus rubiginem. eadem cum tractanda sunt ungi mos est, ut sint lucidiora. Virg.

Omnes arma requirunt.
Pars leues clypeos, & spicula lucida tergunt

Aruina pingui. Quare etiam miles apud Plautum sic loquitur: Curate, ut splendor meo sit clypeo clarior quam solis radij.

Et incedis per ignes, notat hoc auctor prouerbiorum. per ignem incedere,

dere, quo significatur in periculoso negotio uersari. & est allegoria. cum dixit doloso cineri. datus est sensus rei inanimatæ.

Insigne, laus Pollionis ab eloquentia, & amore in Remp. præterea a uirtute bellica, a rebus præclare gestis. quibus nihil gloriosius ciui Romano poterat contingere. præsidium autem rerum uocat, sicut in prima Ode primi libri Mæcenatem suum præsidium appellauit. lege quæ in illum locum notauimus.

Cui laurus, lauro coronari triumphantes solitos esse, quis nescit? Virg. De Pollione ipso. Atque hanc sine tempora circum inter uictrices ederam tibi serpere lauros. triumphos laurigeros uocauit Martialis. pro triumpho usurpatur. Cic. Curioni. quod esset ad laureolam satis.

Perstringis aures, magni artificij & facultatis est, ita res exponere, ut ante oculos eas constituas. hac laude uel in poeta uel in oratore nulla præstatior.

Non indecoro puluere, uide ad vj. Oden libri primi. ibi, aut puluere Teucrio nigrum Merionem. hic intelligere uel de ijs, qui pugnando, puluere, qui in manibus conserendis excitatur, fœdantur. uel de ijs, qui pro libertate, patriaq; pugnantes in puluere prostrati fortiter occumbunt. quod genus mortis honestissimum. quare illa præclara sunt. Pulchrumq; mori succurrit in armis. & Pulchramq; petunt per uulnera mortem.

Iuno, digressio ad Ciuile bellum detestandum. aduersus quam Scaliger insurgit, ita in hunc locum scribens. In prima, inquit, secundi stylum uertit a laudibus Pollionis ad deplorandas clades ciuiles. Id quod ex proposito fecerat in secunda primi, & in tricesima quinta præter propositũ. sicut & hic. Neq; id damnat, neque probare uidetur. Sed intelligat ille ex huiusmodi digressionibus omnem gratiam, ac uenustatem emanare. Non ne Cicero, ac Quinctilianus quod neminem latet, hoc genere maxime illustrari, ornariq́, orationem affirmant. Quod si ab oratoribus factitatũ uidemus, mirum, si id poetæ ascisciunt? profecto id damnat, quo pulchrius, ac iucundius nihil afferri a poetis potest. quid magis summum poetam esse Pindarum probat, quam digressiones? uerum in re tam recepta, ac uulgata laborare stultum est. Hactenus. Illud uidendum, quod nemini in mentem uenit monere, cur Poeta dixerit, Iuno cesserat tellure inulta. Primum sensus intelligendus. significatur Iunonem & alios deos Afrorum fautores, cum urbs obsideretur, & eam tenere non possent, exijsse tanquam uictos. sed annis uenientibus eosdem deos ultos esse Romanos, & iccirco eos ab Afris uictos, tanquam uictimas Iugurthæ manibus mactatos. Deinde sciendum ex ueteri consuetudine Romanorum locutum poetam, & respexisse ad deorum tutelarium euocationem. qua ex urbibus dij ipsi euocabantur ab Imperatore Romani exercitus certo carmine cum Vrbes obsideret, & eas capere posse consideret, nefasq; putaret deos captiuos habere, ut est apud Macrobium v. Satur. Hoc autem fuit carmen. si deus, si dea est, cu-

ius

ius populus, Vrbsq; Carthaginiensis est in tutela, Teq; Maxime, ille, qui Vrbis huius, populiq; tutelam recepisti, precor, uenerorq;, ueniamq; a uobis peto, ut populum, ciuitatemq; Carthaginiensem deseratis, loca, tẽpla, sacra, urbemq; eorum relinquatis. absque ijs abeatis. eiq; populo, ciuitatiq; metum, formidinem, obliuionem inijciatis, proditiq; Romam ad meos ueniatis, nostraq; uobis loca, templa, sacra, vrbs acceptior, probatiorq; sit. mihi quoque, populoq; Ro. militibusq; meis præpositi sitis. ut sciamus, intelligamusq;. Si ita feceritis uoueo uobis templa, ludosq; facturum. Quam consuetudinem diligentissime notauit Lilius Synt. xvij. vbi alia præclara legere est ad hanc rem pertinentia. Ideo factum puto, quod Horatius dixerit Iunonem, & reliquos deos Afrorum fautores cessisse, idest, discessisse, atque exijsse. Huic consuetudini allusisse idem auctor dicit Virgilium lib. ij. Aen.

Excessere omnes adytis, arisq; relictis
Dij, quibus Imperium hoc steterat. & ibi:
Ferus omnia Iuppiter Argos transtulit.

Quis non Latino, hoc habet ἀγανάκτησιν, idest, indignationem. Idem alibi:

Eheu cicatricum, & sceleris pudet
Fratrumq;, quid nos dura refugimus
Aetas? quid intactum nefasti
Liquimus? unde manus iuuentus
Metu deorum continuit? de eadem re queritur Epodo vij.
Parum ne campis, atque Neptuno super
Fusum est Latini sanguinis?

Campus, hanc uocem pluribus uariauit assumptione aliorum locorum, quæ ratio ualde conducit ad dilatandam orationem, atque etiam exornandam. de quo non semel in libro superiori. assumit enim flumina, gurgites, maria.

Sententia simplex, ac nuda. O Pollio bellorum Ciuilium historiam scribis, quod periculosum est. mitte scribere tragœdias. ubi res publicas constitueris, tragœdias repetes. sane mihi non tam exponi, quam geri res uidentur, quas narras. Dij Iugurthæ interitum ulti sunt. Heu nulla regio est, cui nota non sint bella ciuilia. Sed liceat grauiora omittere, ac leuiora tractare. Primam sententiam conuestiuit ijs asciscendis, quæ perquirit Historiæ scriptor, scilicet causas bellorum, modum, additis illis, quæ potissimum historiæ conueniebant, ut uitia, grauesq; principum amicitias. sic autem omnia coniunxit:

Motum ex Metello consule ciuicum,
Belliq; causas, & uitia, & modos,
Ludumq; fortunæ, grauesq;
Principum amicitias, & arma
Non expiatis uncta cruoribus

Tractas.

Tractas. Ad gratiam autem, & uenustatem, admiscuit Ludum fortunæ, & arma nondũ expiatis uncta cruoribus. quæ duo illi sententiæ splendorem attulerunt. Sine ijs prosæ similis uideri poterat. Illud uero, scilicet periculosum id esse, allegorijs expoliuit, inquiens:

Periculosæ plenum opus aleæ

Tractas, & incedis per ignes

Suppositos cineri doloso. significanter autem & pulchre dolosum cinerem dixit. Quid illud? Mitte scribere tragœdias. quam eleganter factũ est?

Paullum seueræ Musa Tragœdiæ

Desit theatris. noluit simpliciter uti tragœdiæ nomine. Sed Musam adiunxit, insigni Epitheto illius poeseos naturam declarans. Nec minus ornate dictum est, ubi publicas res ordinaris. nihil uero illo ornatius, cum pro tragœdia grande munus dixit, cui cum adiunxisset, Cecropio cothurno multum uenustatis accessit sententiæ. Omitto, quam apposite ornarit Pollionem, illum reorum præsidium, & Curiæ uocans. Cuiq; laurus æternos honores peperisset. elegantissima Hypotiposis est, iam nunc minaci murmure cornuum perstringis aures, iam litui strepunt. Deos uero Iugurthæ interritum ultos, quo pacto fieri potuit elegantius, quam cum sic expositum est?

Victorum nepotes

Rettulit inferias Iugurthæ.

Illa uero sententia, nullam esse regionem bellorum ciuilium expertem mirifice conuestita, atque ornata est, multorum locorum enumeratione. In qua quidem nonnulla grauia admiscet, uel ad misericordiam, uel ad indignationem, ut campum Latino sanguine pinguiorem testari bella ciuilia sepulchris, nullam oram carere cruore ciuium Romanorum. hęc autem octo carmina summo artificio confecta nemo non uidet.

AD C. CRISPVM SALLVSTIVM Ode II.

Contemptores opum solos diuites, solos Reges, solos beatos.

NVLLVS *argento color est, auaris*
Abditæ terris inimice lamnæ,
Crispe Sallusti, nisi temperato
Splendeat vsu.
Viuet extento Proculeius æuo,
Notus in fratres animi paterni.
Illum aget penna metuente solui
Fama superstes.

Latius

Latius regnes auidum demando
Spiritum, quam si Libyam remotis
Gadibus iungas & uterque Pœnus
Seruiat uni.
Crescit indulgens sibi dirus hydrops;
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit uenis, & aquosus albo
Corpore langor.
Redditum Cyri solio Phraaten
Dißidens plebi, numero beato.
Rum eximit uirtus: populumque falsis
Dedocet uti
Vocibus, regnum, & diadema tutum
Deferens uni, propriamque laurum,
Quisquis ingentes oculo irretorto
Spectat aceruos,

COMMENTARII.

Nullus, monet quomodo diuitijs utendum sit. atque hæc est totius carminis propositio, ac sententia. In eo Sallustium commendat. qui optime id teneret, cum odio haberet auaritiam, quod ex hac illius sententia satis patet. Auaritiæ studium pecuniæ habet. quam nemo sapiens concupiuit. ea quasi uenenis malis imbuta corpus, animumq; uirilem effœminat. semper infinita, insatiabilis est, neque copia, neque inopia minuitur. ad quam sententiam allusit poeta. Hac impulsi homines sordidi malunt pecuniam sepelire, quã ea recte, atque honeste uti. his autem pecunijs nullum splendorem esse, nullum honorem affirmat, nisi temperate utamur. Hic autem per colorem, pulchritudinem, splendorem, honorem, speciemq; positum affirmamus, non quemadmodum Scaliger intellexit, Poetam raprehendens. his uerbis. In secunda non placent illa. Nullus argento color est auaris abdito terris sane color nunquam abscedit. sed nitor. ubi proprie colorem intellexit. quod uero per colorem pulchritudinem auri notarit poeta, declaratur illo uerbo, Splendeat, ut significet amissum esse omnem auri sepulti honorem, tuncque proprium nitorem, decusque retinere, si eo temperate utamur. Addit sibi etiam illud non satisfacere, Inimice Lamnæ. Nam, inquit, si hostis est Sallustius auaritię, quare docet eum Horatius hoc? Quid igitur ait? Latius regnes auidum domando spiritum? pueri sumus, ac rudes? quis non intelligit hoc non ad Sallustium referri, sed ad omnes homines? sententia, & locus communis est ad omnes pertinens, ut discant cupiditati, atq; auaritiæ legem imponere, an ignorauit doctus uir personas pro alijs personis

usurpari solitum figura, quam ἐναλλαγὴν appellant? igitur per hanc secundam personam reliquas omnes intelligendas esse statuemus.

Temperato, Id ab Aristotelis sententia initio libri quarti Eth. non discrepat. qui scribit, ὁ πλοῦτος δ' ἐστὶ τῶν χρησίμων. idest, diuitiæ sunt ex ijs, quarum est usus. Is autem usus in sumptu, ac datione est. ut ex ijs apparet. χρῆσις δ' εἶναι δοκεῖ χρημάτων δαπάνη, καὶ δόσις. quare inquit liberalis uiri magis est dare, quam accipere. temperatum autem usum, qui præcipue cōmendatur, sic describit Hor. ad Iul. Florum lib. Ep. ij.

Vtar, & ex modico quantum res poscet aceruo
Tollam, nec metuam quid de me indicet hæres,
Quod non plura datis inuenerit.

Vbi egregie, & scite discrimen ponit auari, ac prodigi, qui nesciunt temperate uti. De hoc usu ad Mæcen. j. Epist. *ualeat possessor oportet,*
Si comportatis rebus bene cogitat uti.

Ideo Tibullum hoc nomine laudat:

Dij tibi diuitias dederunt, artemq; fruendi.

Abdito terris, hoc genus diuitiarum, quas in terræ uisceribus obruunt auari, nemo admiratur. quamobrem πλοῦτος huiusmodi ἄζηλος uocatur. quis enim id, quod est abditum, miratur, auctore eo, qui prouerbia scripsit. ἄζηλος πλοῦτος.

Latius regnes, is domat spiritum, qui auaritiam, aut cupiditatem odit, qua natura quadam ad eam rapimur qui odit diuitias, sua fortuna contentus est. sic omnia posidere uidetur, & nihil sibi is deesse putat. quomodo enim, qui plura appetit, diues esse potest? is uere diues, qui suo contentus est. is nihil curat amplius. siquis ita uiuat, merito latius regnare putandus est, quam si ingentes fortunas posideat. Ideo auidum spiritum domantes latius regnamus.

Quam si Libyam, sic locutus est Ode xvj. lib. iij.

Quam si Mygdonijs regnum Alyattici
Campis continuem. cui non dissimile est illud Odes xij. lib. ij.
Num tu quæ tenuit diues Achæmenes,
Aut pinguis Phrygie Mygdonias opes
Permutare uelis crine Liciniæ?
Plenas aut Arabum domos?

cum hac sententia consentit illud ad Iul. Florum:

Quid uici prosunt, aut horrea, quidue Calabris
Saltibus adiecti Lucani?

Crescit, nihil aptius, ac similius poterat inueniri ad inexplebilem auari cupiditatem declarandam. quemadmodum hydropici nunquam explentur bibendo, ita auari congerendo. Idem lib. iij. Od. xvj. expressum est.

Crescentem sequitur cura pecuniam,

Maiorumq; fames. Huc pertinent illa apud Plutarchum in Dialogo περὶ φιλοπλουτίας in hanc sententiam scribentem. quemadmodum potus sitim, famem cibus, non similiter argentum, aut aurum auri sitim exstinguit, at magis illa sitis, atque auiditas, quo magis possideas, crescit. ut recte illam hydropico similem dixerit Hor. Hoc uitium Solon, ut est apud eundem in eodem Dialogo sic notauit. πλοῦτον δὲ οὐδὲν τέρμα πεφασμένον ἀνδράσι κεῖται. nullum hominibus diuitiarum finem esse constitutum.

Nisi causa morbi fugerit venis, illud etiam Scaligeri non prætermittam Horatium hoc in loco taxantis. Eius uerba sunt: Neque seruant tenorem propositæ sententiæ uerba illa. Et aquosus albo corpore langor. non enim langor causa sitis est in Leucophlegmatia, quem designat hic. Ego hic morbi causam non quæro. ne sutoris supra crepidam Medici mihi conuicium impingant. alij quærant in Medicorum libris. illud tamen non prætermittam, poetam non posuisse langorem tanquam hydropiseos causam, sed indefinitum reliquisse. Cum autem subiunxerit, & aquosus langor, aliud significare uoluit, quam causam. distinxit enim langorem a causa. ut aliud causa, aliud langor sit. quare iure defenditur poeta. Langoris ego nomine morbum intelligo, ab eo quod sequitur. nam morbum langor, molestia langorem consequitur. sæpissime hac ratione utuntur poetę, ut, quę sequuntur, pro his quę antecedunt, usurpent. Cum autem dixerit albo corpore Leucophegmatiam sane, quam Scaliger agnoscit, intelligit. est enim una ex hydropiseos speciebus. de qua Cęl. Rhod. uir singularis, multiplicisq; doctrinæ scripsit lib. xiiij. cap. iij. Antiq. lect. vbi species huius morbi diligentissime persequitur. quem ego sum secutus. Ait ille. Et, quoniam hydropiseos species duas persecuti sumus, adijciamus ex ijsdem scholis speciem tertiam, quam Celsus Leucophlegmatiam uocat. Albam pituitam dicere nos possumus: ut quæ de pituita quadam liuentiore consistat, aut de pituita, quæ suapte ui candida sit, hoc autem auctore quam speciem significarit Horatius perspicuum esse potest.

Redditum Cyri solio Phraaten, hanc sententiam, si recte spectes, Ode ij. lib. iij. poeta sic repetiuit:

Virtus recludens immeritis mori
Cælum negata tentat iter uia,
Cætusq; uulgares & udam
Spernit humum fugiente penna.

Horum uersiculorum sententiam Lambinus egregie, ut cætera, exposuit. Quantum autem ad Historiam de Phraate, Christophorus Landinus hunc locum explicans scripsit: Nonnullos dixisse Phraaten a M. Antonio regno exutum, deinde ob suas uirtutes ab Augusto restitutum. nonnullos a parentibus destitutum, & regno a principibus pulsum ad Indorum philosophos Bragmanas, siue Gymnosophistas accessisse. & cum sapientia, & do-

ctrina multum profecisset, tandem a ciuibus, qui suarum uirtutum fama moti sunt, in patriam reuocatum, & regno restitutum fuisse. quo declaratur maximas uires in uirtute inesse.

Regnum & diadema, Idem confirmatur a poeta Epist. prima, lib. primi ad Mæcenatem:

Ad summam sapiens uno minor est Ioue, diues,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum.

Talia præstat uirtus. Eum uero è uulgari cætu excipit, qui diuitias contemnit. hic uidere est quam apte, & perite extremam hanc sententiam cum prima propositione coniunxerit. Sed iudicium suum de sapiente, ac de uirtute præclare Satyra vij. secundi libri, sic confirmauit:

Quis nam igitur liber? sapiens, sibi imperiosus,
Quem neque pauperitas, neque mors, neque uincula terrent,
Responsare cupidinibus, contemnere honores,
Fortis, & in se ipso totus teres, atque rotundus,
Externi ne quid ualeat per leue morari.

AD DELIVM. Ode III.

Neque demittendum aduersis, neque efferendum secundis rebus animum, sed hilariter uiuendum. Cum æqua sit omnibus moriendi conditio.

AEQVAM *memento rebus in arduis*
Seruare mentem: non secus in nobis
Ab insolenti temperatam
Lætitia, moriture Deli.
Seu mæstus omni tempore vixeris:
Seu te in remoto gramine per dies
Festos reclinatum bearis
Interiore nota Falerni.
Qua pinus ingens, albaque populus
Vmbram hospitalem consociare amant
Ramis, qua obliquo laborat
Lympha fugax trepidare riuo:
Hunc vina, & vnguenta, & nimium breuis
Flores amœna ferre iube rosæ:
Dum res, & ætas, & sororum
Fila trium patiuntur atra.
Cedes coemptis saltibus, & domo,

Villaque, flauus quam Tiberis lauit,
Cedes: & extructis in altum
Diuitijs potietur heres.
Diues ne prisco natus ab Inacho,
Nil interest, an pauper, & infima
De gente sub dio moreris,
Victima nil miserantis Orci.
Omnes eodem cogimur: omnium
Versatur vrna: serius, ocyus,
Sors exitura: & nos in æter-
Num exilium impositura cymbæ.

COMMENTARII.

Aequam, laudat æquanimitatem. quæ in utraque fortuna ſapienter ferenda poſita eſt. Aequus ſane eſt auctore Ariſtotele primo ad Theod. qui εὐτυχῶν μέτριος, quique ἀτυχῶν μεγαλόψυχος eſt, ideſt, qui in ſecundis rebus moderatus eſt, quique in aduerſis eſt magni animi. quomodo autem id aſſequi poſsimus, docet poeta Ode x. huius libri:

Sperat infeſtis, metuit ſecundis
Alteram ſortem bene præparatum
Pectus. & ibi:
Rebus anguſtis animoſus, atque
Fortis appare, ſapienter idem
Contrahes uento nimium ſecundo
Turgida uela. Temperantiæ hoc eſt. quæ non tantum in appetitionibus moderandis poſita eſt, uerum etiam in recte utraque fortuna gubernanda. animum autem appellat æquum, moderatum, & patientem. hinc modeſte ferre, & æquo, atque iniquo animo ferre facta ſunt.

Ab inſolenti temperatam, inſolentem uocat lætitiam geſtientem, qua ob fortunam nimium ſecundam homines inſoleſcunt. Quod Cic. quarta Tuſculana damnat. hæc lætitia moderanda eſt temperantia, a prudentia autem proficiſcitur, & illam conſeruat. & ideo Græcis σωφροσύνη, ideſt, prudentiæ conſeruatrix dicitur.

Seu te in remoto, hoc eſt, ſeu lætus, ſeu triſtis uixeris. hanc lætitiam pluribus, & eleganter more ſuo iucundiſsimarum rerum fruitione circunſcripſit. quid enim ſuauius eſt, quam omni cura uacuum, ſub umbris opacarum arborum ad ſonitum fontis recubare? quare hæc perſpicua ſigna ſunt lætitiæ. huiuſmodi illa:

Eſt, qui nec ueteris pocula Maſſici,
Nec partem ſolido demere de die,

Spernit, nunc uiridi membra sub arbuto
Stratus, nunc ad aquæ leue caput sacræ. Et:
Cur non sub alta uel platano, uel hac
Pinu iacentes, sic temere, & rosa,
Canos oderati capillos
Dum licet, Assyrioq; nardo
Potamus uncti? Et:
Hic in reducta ualle Caniculæ
Vitabis æstus.

Per dies festos, hi enim augent hilaritatem, & ad iucunditatem inuitant. ideo sic alibi poeta:

Festo quid potius die
Neptuni faciam? pro me reconditum
Lyde strenua cæcubum.

Sic hic dies anno redeunte festus corticem astrictum pice demouebit.

Nota falerni, satis est perspicuum uinum optimum pice oblini, & notari solitum. id his poetæ locis magis apparet.

Vile potabis modicis Sabinum
Cantharis, Græca quod ego ipse testa
Conditum leui. Et:
Hic dies anno redeunte festus
Amphoræ fumum bibere institutæ
Consule Tullo. & illo:
Est & uappa cado nuper diffusa picato.

Et obliquo, iucunda riuuli descriptio. in qua notabimus lympham fugacem, trepidare, riuum obliquum. quibus uerbis gratia accessit sententiæ, sub aspectum autem posita est riui pulchritudo.

Nimium breuis rosæ, Ideo Virg.

Quam longa una dies, ætas tam longa rosarum.

Quemadmodum appellat flores nimium breues, eadem ratione lilium breue uocauit. hoc ad uitæ breuitatem refertur. iubet autem rosas afferri, in quibus mira est suauitas, uel ex odore, uel ex pulchritudine. quare tantum poetis celebratæ, ut sine rosis nihil iucundum uideretur.

Dum res, & ætas, hanc sententiam sic alibi tractauit:

Donec uirtuti canicies abest
Morosa, nunc & campus & areæ,
Lenesq; sub noctem susurri
Composita repetantur hora. Et:
Nunc decet aut uiridi caput impedire myrto,
Aut flore terræ, quem ferunt solutæ; sic Tibull.
Interea, dum fata sinunt, iungamus amores,

Iam

Iam ueniet tenebris mors adoperta caput.
Iam subrepet iners ætas, nec amare licebit,
Dicere nec uno blanditias capiti.
Nunc leuis est tractanda uenus, dum frangere postes
Non pudet, & rixas inseruisse iuuat.

Fila trium patiuntur atra, Scaliger hic se opponit. Cum, inquit, Vbi uero ait, & sororum fila trium patiuntur atra. abscedit a natura. uitæ nanq; fila sunt, aut uita, aut lux, aut lucis. quid aliud significatum sit per fila parcarum quam uita ipsa, nescio, quæ quousque deducuntur, uiuere procul dubio dicimur, si poetas sequamur. Num uitio dat poetæ, quod atra fila appellarit, cum uitam designaret. atqui fila atra, de uita etiam sed infelici, & molesta dici quis ignorat? felicitatem enim atque infelicitatem uitæ, candidi, atque atri coloris adiunctione declarant poetę. quod maxime poeticum est. huius sententiæ est Acron, & Porphyrion. quo circa per fila atra parcarum non mortem ipsam significare uoluit, sed uitam uel molestam, uel cui mors immineat.

Cedes coemptis saltibus, sic Ode iiij. huius libri:
Linquenda tellus, & domus, & placens
Vxor, neque harum, quas colis, arborum
Te præter inuisam cupressum
Vlla breuem dominum sequetur. Hanc sententiam quam uarie protulerit poeta, uide ad Oden xv. huius libri ad hunc ipsum locum, Linquenda tellus.

Diues ne prisco, hanc sententiam sæpe celebrauit. lege quæ ad Oden quartam primi libri collegimus:

Nil miserantis, quare sic, Ode xiiij. huius libri:
Non, si tricenis quotquot eunt dies
Amice places illachrymabilem
Plutona tauris, qui ter amplum
Geryonem, Tityumq; tristi compescit unda.

Serius ocyus, Ouid.
Serius, aut citius, sedem properamus ad unam.

In æternum exilium, sic Simonides:
βιότης μὲν γὰρ χρόνος ἐστὶ βραχὺς, κρυφθεὶς δὲ
ὑπὸ γῆς κεῖται, θνητὸς τὸν πάντα χρόνον. vitæ tempus breue esse, & absconditum, mortale genus sub terra iacet. in perpetuum. simile illud:
Cum semel occideris, & de te splendida Minos
Fecerit arbitria,
Non Torquate genus, non te facundia, non te
Restituet pietas.
Infernis neque enim tenebris Diana pudicum
Liberat Hippolytum.

Nec lethæa ualet Theseus abrumpere caro
Vincula Pentboo. Et:
Nec satelles orci
Callidum Promethea
Reuexit auro captus.

AD XANTHIAM. Ode IIII.

Quod ancillam amet, non esse cur pudeat. multis enim magnis uiris idem usu uenisse.

NE sit ancillæ tibi amor pudori
Xanthia Phoceu. prius insolentem
Serua Briseis niueo colore
Mouit Achillem.
Mouit Aiacem Telamone natum
Forma captiuæ dominum Tecmessæ,
Arsit Atrides medio in triumpho
Virgine rapta:
Barbaræ postquam cecidere turmæ
Thessalo victore: & ademptus Hector
Tradidit fessis leuiora tolli
Pergama Grais.
Nescias, an te generum beati
Phyllidis flauæ decorent parentes.
Regium certe genus, & penates
Mæret iniquos.
Crede non illam tibi de scelesta
Plebe dilectam, neque sic fidelem,
Sic lucro auersam, potuisse nasci
Matre pudenda.
Brachia, & vultum, teretesq; suras
Integer laudo: fuge suspicari
Cuius octauum trepidauit ætas
Claudere lustrum.

COMMENTARII.

Ne sit Ancillæ, vile est proculdubio seruorum genus omnibus sæculis iudicatum. Nec ulla deterior conditio. quare non ab re Plau. in Amphitrione dixit:

Quem

profuerit ad seruitutem uitandam. iniquos autem ea ratione appellat penates, quam affert Lambinus.

Sic lucro auersam, optimum argumentum a cognatione, quam Cic. primo de Inuent. numerat in his, quæ personis attribuuntur. ut plurimum enim fit, ut parentum mores, naturamq; sequantur filij. Nam fortes creantur fortibus, & bonis. nihil autem est, quo magis impudentia mulieris arguatur, quam si auaram, Cupidam lucri dicas. Meretrices autem quam sint uoraginosæ, patet ex Comicis.

Renocandam esse mentem a desiderio Virginis immaturæ. Ode V.

NONDVM *subacta ferre iugum ualet*
Ceruice: nondum munia comparis
Aequare: nec tauri ruentis
In Venerem tolerare pondus.
Circa virentes est animos tuæ
Campos iuuencæ, nunc fluuijs grauem
Solantis æstum, nunc in vdo
Ludere cum vitulis salicto
Prægestientis. tolle cupidinem
Immitis vuæ: iam tibi liuidos
Distinguet autumnus racemos
Purpureo varius colore:
Iam te sequetur: currit enim ferox
Aetas: & illi, quos tibi dempserit
Apponet annos. iam proterua
Fronte petet Lalage maritum,
Dilecta quantum non Pholoe fugax,
Non Chloris: albo sic humero nitens,
Vt pura nocturno renidet
Luna mari, Cnidius ve Gyges:
Quem si puellarum insereres choro
Mire sagaces falleret hospites,
Discrimen obscurum solutis
Crinibus, ambiguoq; vultu.

COMMENTARII.

Allegoria ista multa affert commoda huic carmini. nam rem obscenam honeste exponit. cuius beneficio in simili sententia alij poetæ adiuti, turpi-

tudinem, quæ in ſcriptis fœdiſsima eſt, quemadmodum in moribus, prudenter uitauerunt. præterea iucunditate, ac feſtiuitate quadam carmen hac figura reſperſum eſt. habent enim σαῦμυλοῦντι ἀλληγορίαι, hoc eſt facetum quiddam, auctore Demetrio. & propterea in ridiculis etiam enumerantur.

Nec tauri ruentis, mere expreſſus eſt libidinis ſtimulus. hoc uerbo uſus eſt etiam Virg. in re ſimili:

Omne adeo genus in terris hominumq; ferarumq;
Et genus æquoreum, pecudes, pictæq; uolucres,
In furias, ignemq; ruunt.

Circa uirentes, oſtendit quiduis potius habere in animo Lalagen, quam Veneri ſe ſubmittere. Ludo enim magis, & puerilibus delectari dicit. nunc autem ludum, in allegoria perſiſtens, eleganter, & uenuſte exprimit, ſcilicet delectari illam campis uirentibus, & gelidis fluuiorum lymphis, ac ſalicto, in quo cum uitulis paribus ſe oblectat. ſumpta autem eſt ſententia ex Anacreonte. qui de equulea ita ſcripſit. νῦν δὲ λειμῶνάς τε βόσκεαι, κοῦφά τε σκιρτῶσα παίζεις. ideſt, nunc autem per prata paſcis; leuiſq; ſaliens ludis. ſimilis eſt, & prope eadem apud Horatium ſententia. in his:

Quæ uelut latis equa trima campis
Ludit exultim, metuitq; tangi
Nuptiarum expers, & adhuc proterno

Cruda marito. quod autem poeta dixit nondum ſubacta ferre iugum ualet ceruice, nondum munia comparis æquare, nec tauri ruentis in uenerem tolerare pondus: paullo diuerſius ibidem ſic Anacreon. ἴσθι τοι καλῶς μὲν ἄν τοι τὸν χαλινὸν ἐμβάλοιμι, ἡνίας δ᾽ ἔχων στρέφοιμι ἀμφὶ τέρματα δρόμου. hoc ſenſu. Scito, ſi pulchrum tibi frenum iniecero, habenaſq; tenens circum uertam circa metum curriculi.

Solantis æſtum, ſic Virg. Solari amorem dixit de Orpheo:

Ipſe caua ſolans ægrum teſtudine amorem. ſic Solari laborem:
Interea longum cantu ſolata laborem. ſic Solari famem:
Concuſſaq; famem in ſiluis ſolabere quercu.

Iucundiſsime autem dictum eſt, quod ſequitur: Nunc in udo ludere cum uitulis ſalicto. belle enim luxuriantis iuuencæ morem expreſsit.

Tolle ſuperbiam, mutat allegoriam in eadem permanens ſententia. quare ſatis de poetæ ingenio, ac felicitate unicuique exploratum eſſe poteſt.

Immitis uuæ, acerbæ. Contra mitem, ideſt Maturam Virg. appellat:

Heu male tum mites defendet pampinus uuas. Et:
Mitis in apricis coquitur uindemia ſaxis. ſic poma mitia:
Sunt nobis mitia poma.

Liuidos, ideſt, maturos. ut Propertius:

Pruna mihi uariat liuentibus uuà racemis. Ouid.
Pruna nigro liuentia ſucco.

Pulcher-

Pulcherrimum est Autumnum distinguere racemos. hic Ouid. distinctas floribus herbas dixit.

Purpureo colore, uuæ laus est, si purpurei sit coloris. quare Hor. certantem uuam purpura dixit. Ouid. purpureas, idemq; auro similes uocauit. Virg. rubentem:

Incultisq; rubens pendebit sentibus uua.

Currit enim ferox ætas, ætatem ferocem appellat, propter adolescentiam, quæ ferox est. significat statim peruenturam Lalagen ad illum ætatis florem, qui amoribus aptus est. ad uelocitatem autem ætatis notandam translato usus est. quod etiam alijs translatis exprimunt poetæ. nam labi, fugere, uolare dicunt ætatem.

Et ille quos tibi dempserit apparet annos. Scaliger in hunc locum etiam inuectus est. nihilominus recte per annos interpretatur uires, aut calorem ætatis. uel ex suo ingenio, uel ex Acronis, ac Porphyrionis interpretationibus. qui per annos uires, & ætatis florem exposuerunt. uerum durum esse putare uidetur annos in ea significatione accipi. quare sic emendandũ, si uersus pateretur, existimauit. Illi quod tibi dempserint apponent anni. hoc sensu puto. anni apponent illi uigorem, & uires, quas tibi seni dempserint. hic miror illum non perspexisse uel ex sua ipsius interpretatione, quam probat, eandem esse sententiam, quæ est in poetæ uersibus, ac suam. Nam, si per annos, ut ille exponit, uires & calor ab annis intelligendus est, quid aliud sibi vult, Illi quod tibi dempserint apponent anni, quam ætas illi apponet annos, quos tibi dempserit? Quod autem ait poeta, Quos tibi dempserit apponet annos, significat quo magis ille fiet senex, eo plus apponi Lalagæ, idest, plus uirium, ex ætatis accessione, cum ex illius decessione uires seni imminuantur. quo enim imbecillior fit senex, qui uergit ad ætatem decedentem, eò firmior, ac robustior fit, qui ad uirilitatem accedit; Ad uigesimum autem quintum annum usque ætas dicitur annos apponere, ut nonnulli prodiderunt, a trigesimo autem quinto ad reliquos demere. quare scite locutus est poeta. sane in poetica ipse etiam inquit:

Multa ferunt anni uenientes commoda secum,

Multa recedentes adimunt. cui adstipulatur & illud:

Singula de nobis anni prædantur euntes.

Eripuere iocos, uenerem, conuiuia, ludum.

Petet, uerbum aptum nubentibus. Virg.

Numidumq; petam connubia supplex.

Nitens, pulchritudinem habet hoc uerbum. dicimus enim oculos, ora nitere. Catull.

Ore floridulo nitens.

AD SEPTIMIVM. Ode VI.

Tiburtinæ, & Tarentinæ regionis amœnitatem laudat.

SEPTIMI, *Gades aditure mecum, &*
Cantabrum indoctum iuga ferre nostra, &
Barbaras Syrtes, ubi Maura semper
Aestuat unda,
Tibur Argæo positum colono
Sit meæ sedes vtinam senectæ.
Sit modus lasso maris, & viarum,
Militiaeq;.
Vnde si Parcæ prohibent iniquæ
Dulce pellitis ouibus Galesi
Flumen, & regnata petam Laconi
Rura Phalanto.
Ille terrarum mihi præter omnes
Angulus ridet, vbi non Himetto
Mella decedunt, viridique certat
Bacca Venafro:
Ver vbi longum, tepidasque præbet
Iuppiter brumas: & amicus Aulon,
Fertili Baccho, nimium Falernis
Inuidet vuis.
Ille te mecum locus, & beatæ
Postulant arces: ibi tu calentem
Debita sparges lacryma fauillam
Vatis amici.

COMMENTARII.

Septimi, Illud etiam mihi se offert refellendum. Scaliger enim quasi perpetuum bellum poetæ indixerit, hoc etiam obijcit. Ita enim in hunc locum scribit. Nescio, inquit, quam diuersas terras esset aditurus. quantum enim distat cantaber a syrtibus? quod quemadmodum in mentem uenire potuerit homini tam erudito, non possum intelligere. Quantum inquit distat cantaber a syrtibus? Atqui propterea, quod difficillimum est eas oras adire, illas assumpsit poeta. ut ex ea difficultate ipsius in amicum animus magis extaret. hic uero miratur, quasi re uera ad tam dissitas terras Septimius cum poeta esset accessurus, nec animaduertit hunc morem poetarum in huiusmodi

iusmodi sententijs difficillima quæq;, ac periculosissima loca eligentium. Simili ratione Catullus fuit etiam reprehendendus, quod ita fecerit.

Furi, & Aureli, comites Catulli,
Siue in extremos penetrarit Indos,
Litus ut longe resonante Eoa
Tunditur unda,
Siue in Hircanos, Arabasq; molles
Seu Sacas, sagittiferosq; Parthos
Siue qua septem geminus colorat
Aequora Nilus,
Siue trans altas gradietur Alpes,
Cæsaris uisens monimenta magni,
Gallicum, & Rhenum, horribilesq;, & ulti-
Mosq; Britannos.

Quas oras omnes pro difficillimis & remotissimis elegit. Huic cēsuræ subiacet etiam Propertius, qui ita ad Tullum scripserit:

Non ego nunc Adriæ uereor mare noscere tecum
Tulle, nec Aegæo ducere uela salo.
Pro quo Ripheos ausim conscendere montes,
Vlteriusq; domos uadere Memnonias.

Miratur Scaliger & illud, quomodo puella ad tam remotas regiones penetrare unquam potuisset. debuit in mentem uenire homini docto Hyperbole poetica, & prouerbialis illa a Grecis & Latinis usurpata, cuiusmodi illud, εἰς φᾶσιν, ἔνθα ναυσὶν ἔσχατος δρόμος. idest, ad Phasin, ubi extremus est cursus nauibus. Cum his hyperbolis tam sæpe usus fuerit Horatius, dicemus illum toties delirasse? ut, cum ita fecit:

Extremum Tanain si biberes Lyce. vel cum sic loquutus est.
Vtcunque mecum uos eritis, libens
Insanientem nauita Bosporum
Tentabo, & arentes arenas
Litoris Assyrij uiator.

Tibur Argæo, In hunc etiam locum insultat mihi negotium facescens Scaliger. præterea, inquit, tamquam, qui maxime placeret, optat locum, & sedem senectutis Tibur. quonam igitur modo, si fatorum ui ab ea prohibetur, quod reliquum est Tarenti degere appetat? ita ut dicat illum angulum sibi præter omnes arridere? hunc igitur primum pro sede exoptauerit. Quid? nonne Tibur excipitur? quo, nisi fato prohibeatur, nullum locum sibi magis arrisurum? quod si contingeret, scilicet, ut fato prohiberetur, post Tibur omnibus alijs locis Tarentum prælaturum? de me hanc necessitatem fati, nihil Tibure iucundius erat futurum.

Positum, idest, conditum. sic hoc uerbo poetæ usi sunt Virg.

Et

Et uiridi in campo templum de marmore ponam. Et
Atque hæc mea sacra quotannis
Vrbe uelit posita, templis sibi ferre dicatis. sic Ouid.
Cum posuit iussam Phœbæis sortibus urbem.
Accedit, quod Virgilius ponere sedes, mœnia, fundamina etiam dixit.

Militiæq;, qui poetæ uitam scripsere, narrant ipsum iuuenem, cum bella ciuilia inter Augustum, & Cæsaris interfectores feruerent, Bruti, & Casſij partibus hæsisse. Tribunumq; militum, atque in ijs usque ad Philippicam cladem perseuerasse.

Modus, finis, requies. sic Pind. Olymp. Ode viij. μόχθων ἀμπνοάν, dixit, idest, laborum respirationem.

Ille terrarum, Laus a uariarum rerum fœcunditate. ut mirum non sit, si tantopere illo oppido delectabatur. ea autem adhibuit, quibus loca præcipue commendantur. sic Virg. in laudibus Italiæ:
Sed grauidæ fruges, & Bacchi Massicus humor
Impleuere, tenent oleæq;, armentaq; læta. Quod uero ait poeta:
Ver ubi longum. Virg.
Hic uer assiduum, atque alienis mensibus æstas.

AD POMPEIVM VARVM. Ode VII.

Ei reduci gratulatur.

O Saepe *mecum tempus in vltimum*
Deducte Bruto militiæ duce,
Quis te redonauit Quiritem
Dijs patrijs, Italoque cælo,
Pompei meorum prime sodalium?
Cum quo morantem sæpe diem mero
Fregi coronatus nitentes
Malobathro Syrio capillos.
Tecum Philippos, & celerem fugam
Sensi relicta non bene parmula,
Cum fracta virtus, & minaces
Turpe solum tetigere mento.
Sed me per hostes Mercurius celer
Denso pauentem sustulit aere:
Te rursus in bellum resorbens
Vnda fretis tulit æstuosis.
Ergo obligatam redde Ioui dapem:
Longaque fessum militia latus

Depone

Depone sub lauru mea: nec
Parce cadis tibi destinatis.
Obliuioso leuia Massico
Ciboria exple: funde capacibus
Vnguenta de conchis. quis udo
Deproperare apio coronas,
Curatue myrto? quem Venus arbitrum
Dicet bibendi? non ego sanius
Bacchabor Edonis: recepto
Dulce mihi furere est amico.

COMMENTARII.

O sæpe mecum, Gratulatur amico reditum. eandem sequitur rationem, atque artificium, quod in Ode xxxvj. ad Numidam seruauit. lege totam illam Oden.

Tempus in ultimum, ultimum uitæ tempus. sic Virg.
O mihi tum longæ maneat pars ultima uitæ. Idem:
Quibus ultimus esset ille dies. Ouid.
Vltima dies expectanda homini.
Quare Hor. mortem ultimam lineam rerum appellauit.

Quis te redonauit, idest, restituit. quis te in ciuium numero reposuit? quasi redonatus uidebatur Varus, qui, cum Bruti partes secutus esset, inuisus Octauio, patria uictoris metu priuatus, tandem receptus fuit, & in Vrbem redijt, quamobrem illi gratulatur poeta.

Dijs patrijs, Italoq; cælo, pulchre dictum, idest, Vrbi, & Italiæ, cęli enim nomine pro regione frequenter usi sunt poetæ. ut Ouid. de sole:
Modo surgis Eoo,
Temperius cælo, modo serius incidis undis. Hor.
Cælum non animum mutant, qui trans mare currunt.
In qua significatione solis nomine etiam usi sunt. Virg.
Atque alio patriam quærunt sub sole iacentem.

Pompei, magnæ coniunctionis argumentum in utraque fortuna fuisse socios. simul lusisse, simul luxisse, quæ diu concilianr, fitq; natura quadam, ut tam aduersæ, quam secundæ res aliquem requirant, qui cum uel bona, uel mala communicent. In bonis suauissimium est amicum nancisci ob conuictum, in malis propter subsidium, quo nobis amici pręsto sunt. quare Arist. in Ethic. in hanc sententiam ita scripsit. πότερον δ' ἐν εὐτυχίαις φίλων μᾶλλον δεῖ, ἢ ἐν ἀτυχίαις. ἐν ἀμφοῖν γὰρ ἐπιζητοῦνται. οἵ τε γὰρ ἀτυχοῦντες δέονται ἐπικουρίας, οἱ δὲ εὐτυχοῦντες, συμβίων, οὓς εὐποιήσουσιν. hoc est. utrum autem in secunda fortuna magis opus est, an in aduersa? in utraq; sane requirũtur. Infe-

lices

lices siquidem auxilio indigent, felices uero conuictoribus, & ijs quos beneficijs afficiant. Cum, inquit, cum quo morantem sæpe diem fregi, conuictum significat, seq; inuicem in optimo fortunæ statu usos. Cum uero inquit: *Tecum Philippos, & celerem fugam sensi*, ostendit eadem fortuna conflictatos. Cumq; alter alteri opem ferre nequiret, fuga saluti consuluisse.

Tecum Philippos, non dissimulat fugam, sed eam defendit a turpitudine, cum inquit, cum fractæ uires, & minaces turpe solum tetigere mento. ubi enim nulla fuit spes, posse proficere, satius fuit saluti cōsulere, quam frustra contendere. profecto, quamuis poeta fugæ se dedisset, non propterea minus fortis iudicandus. nam fortis est nosse tam cum fugiendum est, quam cum resistendum. Plato in Lachete scribit Homerum Aeneam sic laudare, cum dixerit, illum esse metuendi, fugiendiq; peritum. De hac fuga libro tertio, Ode iiij.

Non me Philippis uersa acies retro.

Relicta non bene parmula, alij super hoc satis multa. de hac ignominia amissi Clypei lege auctorem prouerb. hastam abijcere.

Fracta uirtus, fractas uires dixit Virg. & opes fractas, Idem Fracti bello, elegans metaphora est.

Turpe solum tetigere, reprehenditur poeta a Scaligero in uerbo tetigere, quod languidius sit, quam rei atrocitas exegisset. atqui μείωσις figura est, uel ταπείνωσις. quibus tam frequenter utuntur poetæ, quod genus non uitauit Horatius in eodem uerbo Ode viij. lib. iij.

Quicunque mundo terminus obstitit
Hunc tangat armis. & in eodem lib. Ode xxvj.
Regina sublimi flagello
Tange Chloen semel arrogantem.

Qui loci proculdubio acrius uerbum postulabant. Quid quod Virg. hoc eodem uerbo per ταπείνωσιν est usus de Didone furente?

Infelix Dido, nunc te fata impia tangunt.

Eandem figuram in uerbo Vexare non repudiauit idem Virg. auctore Seruio, quem sequi malumus, tametsi secus apud Gellium. non est opus exemplis. Accedit, quod in toto hoc carmine fluxum duarum uocum similium etiam notauit, scilicet æstuosis, & obliuioso, quæ etiam si non tantum distarent, uitio carerent, cum diuersos habeant exitus, cum tam longe distent inter se, uitio factum esse quis dixerit?

Mercurius celer, ideo ob celeritatem merito deorum nuncius, cui potissimum conuenit celeritas. quare talaria illi affinxerunt, quo circa ales, alipes, uolucerq; dictus est. a Mercurio autem se liberatum dicit, quoniam in ipsius tutela sunt docti uiri. idcirco in hoc libro Mercuriales uiros uocat ingeniosos, & doctos.

Denso aere, nube. pulchra periphrasis, sic Venus apud Homerum Pari-

dem

dem eripuit a Menelai impetu: τὸν δ' ἐξήρπαξ' Ἀφροδίτη ῥεῖα μάλ'. similiter Apollo alium Troianum ab Achille subduxit. quod Homerus ijsdem uerbis more suo narrat. Quem secutus Virgilius a Neptuno Aeneam ab Achillis armis sic liberatum inducit. lib.v.Aen.

Pelidae tunc ego forti
Congressum Aeneam nec dijs, nec uiribus aequum
Nube caua eripui. Cum autem poeta dicit se a Mercurio denso aere ereptum, significat se clam proripuisse.

Te rursus in bellum resorbens, insignis allegoria, qua significatur Varum post Pompeianum bellum Bruti etiam partes secutum.

Ergo obligatam, ad uotum, scilicet dissoluendum. per dapem autem sacrificium dijs promissum significat. quamuis hac uoce omnia epularum genera notentur. pro sacrificio Virg.

Solennes tum forte dapes & tristia dona
Ante urbem in Luco.

Longaq; fessum, ad uoluptatem, & ad Genium inuitat, suo a more non discedens. post enim labores, atque ęrumnas nihil dulcius quam requiescere. id innuit, inquiens, Longaq; fessum militia latus depone sub lauru mea. sed quoniam sine uino nulla est lętitia, addit, Nec parce cadis tibi destinatis, ut uero cumulatior illa sit, adiungit, Funde capacibus unguenta de conchis. nec satis id, coronas etiam ex myrto, atque ex apio afferri iubet, nequid ad summam hilaritatem desideretur. haec autem perpetuo adhibet in laetitijs poeta, ut saepe iam obseruauimus.

Bacchabor Edonis, ab ijs Thracię populis Edonius Bacchus & Bacchantes Edonides, & Edonae, cognomen habuere. Propertius

Ne minus assiduis Edonis fessa choreis
Qualis in herboso concidit Appidano.

IN BARINEN. Ode VIII.

Non esse cur ei iuranti credatur: formosarum enim periuria a dijs negligi.

VLLA *si iuris tibi peierati*
Pœna, Barine, nocuisset vnquam:
Dente si nigro fieres, vel vno
Turpior vngui;
Crederem. sed tu, simul obligasti
Perfidum votis caput, enitescis
Pulchrior multo, iuuenumque prodis
Publica cura.

Expedit matris cineres opertos
Fallere, & toto taciturna noctis
Signa cum cælo, gelidaque diuos
Morte carenteis.
Ridet hoc, inquam, Venus ipsa: rident
Simplices nymphæ, ferus & Cupido,
Semper ardentes acuens sagittas
Cote cruenta.
Adde, quod pubes tibi crescit omnis:
Seruitus crescit noua: nec priores
Impiæ tectum dominæ relinquunt,
Sæpe minati.
Te suis matres metuunt iuuencis:
Te senes parci: miseræque nuper
Virgines nuptæ, tua ne retardet
Aura maritos.

COMMENTARII.

Vlla si iuris, Non mirum, si Barine iusiurandum pro nihilo haberet, eum constet apud omnes, amantium iusiurandum irritum deos etiam ipsos uoluisse, quare nota illa:

Iuppiter ex alto periuria ridet amantum
Et iubet Aeolios irrita ferre notos. & illud:
Quidquid iurarunt uentus, & unda rapit. vel illud Tibulli:
Nec iurare time, Veneris periuria uenti
Irrita per terras, & freta summa ferunt.

Idcirco puellarum iusiurando non esse credendum, hoc etiam monemur.

Et si perq; suos fallax iurarit ocellos,
Iunonemq; suam perq; suam Venerem.

Elegantissime queritur apud Catullum Ariadna nihili promissa ac iuramenta facta esse a Theseo. Quod uero dij nihil amantium periuria curent, argumento esse inquit poeta, quod non modo nulla pœna Barine affecta ab illis, sed pulchrior etiam euaserit.

Dente si nigro, nihil leuius poterat excogitari.

Obligasti, recte dictum. sic Oratores etiam locuti sunt. apud eos enim legimus sacramento se obligare, pensione, & fidem obligare.

Publica cura, idest, ab omnibus dilecta. sic Virg.

Galle, quid insanis, inquit, tua cura Lycoris. &c. Et:
Cyrene soror, ipse tibi tua maxima cura
Tristis Aristeus. Et:

Ad urbem
Sidoniam puer ire parat mea maxima cura.

Expedit matris, iam licet omnia scelera admittere, cum impune peierasse Barinem sentiamus. fallere autem parentum cineres, pro maximo flagitio habitum est. & ideo pro insigni scelere adhibitum est a poeta. Cum enim ueteres per capita, per cineres, perq; ossa parentum iurare soliti essent, merito impium existimatum est, si quis in ea peierasset. Quamobrem Dido, cum religiosum esse putaret hæc uiolare, ut Aeneæ mentem mulceret. talia mandat ipsi referenda.

Non ego cum Danais Troianam excindere gentem
Aulide iuraui, classemue ad Pergama misi
Nec patris Anchisæ cineres, manesue reuelli.

Signa, idest, sidera. per quæ iurare mos fuit. Virg.

Per sidera testor,
Per superos, perq; hoc cæli spirabile lumen.

Idem per sidera iuro, per superos. Idem: In ueste recincta testatur moritura deos, & conscia fati sidera. demum hoc sæpissime id apud hunc poetam leges.

Signa taciturna, non quod tacita ipsa sint, nam notum est de sphærarum harmonia. sed quia nocte, quæ tacita est, tantum apparent. quo quidem tempore omnia silent. quod expressit Virg.

Cum medio uoluuntur sidera lapsu
Cum tacet omnis ager . ubi subdit
Somno positæ sub nocte silenti lenibant curas, & Cat.
Aut quam sidera multa, cum tacet nox,
Furtiuos hominum uident amores.

Semper ardentes, Hunc locum apte imitatus est Fr. Petr.

Di ciò m'è stato conseglier sol esso,
Sempre agguzzando il giouenil disio
All'empia cote.

Sæpe minati, sic proculdubio melius legitur. Ostendit, quamuis multa & grauia amatores sint perpessi, nihilominus ab amore Barnies recedere non posse. quod a Tibullo uenustissime expressum fuit in illa Elegia, Asper eram. Huius sententiæ est tota Propertij elegia libri primi ad æmulum suum Gallum: Quod Scaliger notat hunc adonium, Sæpe minati, esse monachalem, quid sibi uelit prorsus ignoro. inaudita enim Latinis auribus est ea uox. fortasse ita locutus est, ut Monacis contumeliam imponeret. si ita est, uereor ut parum modeste. Equidem Monachos noui ut doctrinarum studijs, ac subtilioribus disciplinis instructos, ita omni politiori humanitate eruditos. In quibus BENEDICTVM GVIDVM ABBATEM Cassinensem excellere ac præstare non obscurum est: quo ut nihil incorru-

ptius, ita consuetudine nihil suauius, in omni litterarum genere limatius, in iudicio elegantius reperiri posse quotidie experimur.

Tua ne retardet, Neque ab hoc loco abstinuit Scaliger, si iam nuptæ sunt, inquit, domi sunt. non retardabuntur, leue argumentum, quasi necesse sit, si domi sunt uxores, a nulla alia femina maritorum mentes in aliôs amores posse deflecti. Idcirco ualde mihi probatur Lambini interpretatio ita in hunc locum scribentis, quasi Scaligerum reprehendat, Nouæ, inquit, nuptæ te quoque metuunt, ne tua uenustas, & oris pulchritudo, & flagrantia oculorum suos maritos efficiat in se tardiores, aut etiam ab se alienet, quod plerunque contingere nemo ignorat. neque illud mihi probari potest, quod Reflectat, Redúdat, Repellat, loco uerbi Retardat melius putat. sic enim ille corrigit. atqui nemo non agnoscit aptißimam esse translationem, & quæ auræ plurimum respondeat. nam sicut aduersi uenti, ac reflantes nauigationem retardant, atque impediunt, ita meretricum amores uxoribus impedimento sunt, ne uiri pari amore, ac beneuolentia illas prosequantur. sane Retardare est a cursu, atque ab incepto aliquem impedire. Virg.

Ac neque eos iam frena uirum, nec uerbera sæua,
Nec scopuli, rupesue cauæ, atque obiecta retardant
Flumina, correptos unda torquentia montes.

Ita locutus est Cicero ad Cælium, cum idem significare uoluisset. Ego, nisi quid me Etesiæ morabuntur, celeriter, ut spero, uos uidebo.

AD VALGIVM. Ode IX.

NON semper imbres nubibus hispidos
Manant in agros, aut mare Caspium
Vexant inæquales procellæ
Vsque: nec Armenijs in oris,
Amice Valgi, stat glacies iners
Menses per omnes, aut Aquilonibus
Querceta Gargani laborant,
Et folijs uiduantur orni.
Tu semper urges flebilibus modis
Mysten ademptum: nec tibi uespero
Surgente, decedunt amores,
Nec rapidum fugiente solem.
At non ter æuo functus amabilem
Plorauit omnes Antilochum senex
Annos: nec impubem parentes
Troilon, aut Stygiæ sorores

Flenere semper: desine mollium
Tandem querellarum: & potius noua
Cantemus Augusti trophæa
Cæsaris, & rigidum Niphaten,
Medumq; flumen gentibus additum
Victis, minores voluere vertices:
Itraq; præscriptum Gelonos
Exiguis equitare campis

COMMENTARII.

Non semper, Valgium ob Mystis pueri mortem consolatur. sed egregio inuento aliud spectauit, nempe Cæsarem laudare. qui modus ingeniosior, & iucundior, quam si ex proposito, initio laudare Cæsarem instituisset. modus hic habet dissimulationem, cum aliud spectantes, aliud facere uidemur. fuit autem Valgius poeta non ignobilis, & a Tibullo in primis commendatus. de eo enim sic scribit:

Valgius æterno propior non alter Homero.

Huius carmina adducit Seruius.

Sed nos ante casam tepidi mulgaria lactis
Et sinum uini cessamus fundere Baccho.

Apud Isidorum leguntur, & hæc adnotante Lilio:

Hic mea me longo succedens prora remulco
Lætantem gratis sistit in hospitijs. Nemo uero exacte in hac consolatione requirat, quæ ad hoc genus pertinent. subducunt enim se poetæ a trito more Oratorum, & a Rhetorum præceptis. petitur hic consolatio a rebus naturalibus, & ab exemplis tantum. libro primo aliam secutus est rationem consolandi, scilicet a necessitate, quæ flecti non possit. utrunque optimum consolationis genus. omnia autem hæc præclare, atque abunde Cicero Tusculana iij. persecutus est. cum autem eodem in libro idem scripserit consolantium officia esse, aut funditus tollere ægritudinem, aut sedare, aut detrahere quamplurimum, nec pati manare longius, aut ad aliam traducere, postremum spectauit poeta, ne longius amici dolor proferretur. Ad hoc nulla aptiori similitudine uti poterat, quam rerum naturalium. quæ, quemadmodum non eodem modo, ac tenore se habent, ut ex imbribus ipsis apparet, quæ non semper hispidos manant in agros, aut ex mari, quod non semper tempestatibus commouetur, ita faciendum esse Valgio illorum exemplo. Ne se perpetuo luctui dedat. Hęc autem a natura sumpta poetis aptissima. siquidem argumenta ad dicendum aut a casu, aut ab aliqua artium, aut a natura sumuntur. quemadmodum Iulius Camillus etiam obseruauit.

Nubibus,

Tithoni croceum linquens Aurora cubile. Id.
Postera cum primo stellas Oriente fugarat
Clara dies. Id.
Praterea si nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit. Id.
Et me sæuus equis Oriens afflauit anhelis. Id.
Nosq; ubi primus equis Oriens afflauit anhelis
Illic sera rubens accendit lumina Vesper. Id.
Aut ubi pallida surgit
Tithoni croceum linquens Aurora cubile. Id.
Post ubi nona suos Aurora ostenderit ortus. & paullo post:
Vbi nona suos Aurora induxerit ortus. Id.
Postera iamq; dies primo surgebat Eoo,
Humentemq; Aurora Polo dimouerat umbram. Id.
Iamq; rubescebat radijs mare, æthere ab alto
Aurora in roseis fulgebat lutea bigis.

Præter hos locos referant se Adolescentes ad experientiam illam Virgilianam, de Ortu solis. Hæc satis sunt ad indicandum, unde aliquid simile depromi possit ad imitandum.

At non ter æuo, Exemplis a luctu reuocat Valgium. Siquis autem uelit, pulchrum Enthymema potest conficere vel inductionem, sic. Nestor Antilochum, nec filiæ Priami Troilum perpetuo fleuere, Igitur nec tibi perpetuis lachrymis prosequendus est Mystes.

Et potius noua, præclara laudandi Augusti occasio. Idem fecit Od. xij. huius libri. Nam cum dixisset, lyrico carmini grandia non conuenire, similem occasionem arripit blandiendi Cæsari. inquiens:

Tuq; pedestribus
Dices historijs prælia Cæsaris
Mæcenas melius, ductaq; per uias.
Regum colla minaccum. a quo non discrepat illud lib. j. Od. vj.
Dum pudor
Imbellisq; lyræ Musa potens uetat
Laudes egregij Cæsaris, & tuas
Culpa deterere ingeni.
Medumq;, sic lib. iij. Od. v.
Præsens diuus habebitur
Augustus, adiectus Britannis
Imperio, grauibusq; Persis.

Montes autem, & fluuios pro populis, ac gentibus poni, ut tritissimum est, ita pulcherrimum.

Minores uoluere uertices, præclare tribuit flumini, quod populis erat tribuendum.

Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret inuidenda
Sobrius aula.
Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus: & celsæ grauiore casu
Decidunt turres: feriuntq; summos
Fulmina montes.
Sperat infestis, metuit secundis
Alteram sortem bene præparatum
Pectus. informes hiemes reducit
Iuppiter: idem
Summouet. non, si male nunc, & olim
Sic erit. quondam cithara tacentem
Suscitat Musam, neque semper arcum
Tendit Apollo.
Rebus angustis animosus, atque
Fortis appare. sapienter idem
Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela.

COMMENTARII.

Rectius, non semel tractauit hanc sententiam. qua monemur nimis magna non esse expetenda, neque in nimis humilibus uersandum, mediocritatem sequendam, intra cuius fines si nos continemus, beati uiuimus. hæc prudentissima, ac tutissima uiuendi ratio est, a sapientissimis hominibus celebrata. hoc autem allegorijs aptissimis tractat. quibus totum carmen ornauit. sæpe enim fit, ut uel una figura carmen totum absoluamus, ut illud ad Brutum lib. superiori scriptum: grauissimum est argumentum. & a uera philosophia depromptum. uerbis grauissimis compositum. hinc licet discere, quo modo beati degere possimus.

Auream, quæcunque pulchra, ac pretiosa sunt, aurea appellari scimus. Ab hac sententia non discrepat illud:

Viuitur paruo bene cui paternum
Splendet in mensa tenui saliuum,
Nec leues somnos timor, aut cupido
Sordidus aufert.

Sordibus tecti, quare sic ad Iulium Florum:
Pauperies, immunda domus procul absit.

Sæpius uentis, nihil aliud significare uoluit, præterquam maximas curas,

ac molestias res amplas comitari, atque in summo periculo uersari quicunque altiora affectant. exemplo sunt Phaeton, Icarus, Gygantes, Bellerophon. quare Hesiodo monente sapientis est μέτρα φυλάσσεσθαι. Nam καιρὸς ἐπὶ πᾶσιν ἄριστος. Vnde celeberrimum est, Nequid nimis. Huc pertinet illud Horatij ad Fuscum Aristium:

Fuge magna. licet sub paupere tecto
Reges, & Regum uita percurrere amicos.

Sperat infestis, optimum, tutumq; consilium, ita uitam instituendam, ut in malis speremus, in secundis metuamus. sperandum autem esse Theoc. etiam monet.

θαρσεῖν χρὴ φίλε Βάττε. τάχ' αὔριον ἔσσεται ἄμεινον.
ἐλπίδες ἐν ζωοῖσιν. ἀνέλπιστοι δὲ θανόντες. quem locum eleganter Tib. Eleg. vj. libri secundi est imitatus. *Sed credula uitam Spes fouet, & melius cras fore semper ait.* & Menander, ut est apud Stobæum.

ἐν ἐλπίσι χρὴ τοὺς σοφοὺς ἔχειν βίον:
ἄνθρωπος ἀτυχῶν σώζεται ὑπὸ τῆς ἐλπίδος. Ideo spem γηροτρόφον appellauit Pindarus, quod senes etiam morti proximos sustentet.

Informes hiemes, simile est illud Theocriti. καὶ ὁ Ζεὺς ἄλλοκα μὲν πέλει αἴθριος, ἄλλοκα δ' ὕει. In quam sententiam Hor.

Albus ut obscuro deterget nubila cælo
Sæpe notus, neque parturit imbres
Perpetuos. & illud similiter Ode superioris:
Non semper imbres nubibus hispidos
Manant in agros. &c.

Neque semper arcum, Idem est cum illo:
Non si male nunc, & olim sic erit.

Apollo modo noxius, modo mitis est. hoc autem declarare uolentes ueteres, Apollini arcum, & sagittas tribuebant, & altera manu, scilicet dextra, Gratias, sinistra arcum, & sagittas gestare finxerunt. ad noxam pigriorem, ad salutem promptiorem esse significantes. Ideo docti homines Apollinem quasi ἀπελλῶντα. idest, mala amolientem, & ἀλεξίκακον appellauere.

Rebus angustis. Ideo superius dicebat:
Aequam memento rebus in arduis
Seruare mentem, non secus in bonis
Ab insolenti temperatam
Lætitia, moriture Deli.

Contrahes uento, quemadmodum pandere uela, dare uela, soluere uela, facere uela, dixit Virg. ita contrahere uela iiij. Georg.

Atque equidem extremo ni iam sub fine laborum
Vela traham, & terris festinem aduertere proram.

Sapientes nimirum, qui sese in secunda fortuna tanquam nautæ secundo uento

uento flante moderari potuerunt. Hæc sententia respondet superiori illi. Sperat infestis, metuit secundis &c. non ab re. nam ut poeta ad Fuscum Aristium est auctor, *Quem res plus nimio delectauere secundæ, Mutatæ quatient.* Similem figuram adhibuit ad Iul. Florum, cum ostenderet, se in mediocri fortuna uersari, a uentis duxit similitudinem.

Non agimur tumidis uentis Aquilone secundo,
Nec tamen aduersis ætatem ducimus austris.

Sæpe enim uentos secundos, aut aduersos rebus prosperis, aut iniquis accommodamus. Ideo:

Adspirat primo fortuna labori, dixit poeta. Et Cicero Off.
Cum prospero flatu fortunæ utimur, ad optatos exitus prouehimur.

Idem ad Attic.

Cæsaris, cuius uenti ualde secundi sunt.

AD Q. HIRPINVM. Ode XI.

QVID bellicosus Cantaber, & Scythes,
Hirpine Quincti, cogitet, Adria
Diuisus obiecto, remittas
Quærere: nec trepides in vsum
Poscentis æui pauca. fugit retro
Leuis iuuentas, & decor, & arida
Pellente lasciuos amores
Canitie, facilemq; somnum.
Non semper idem floribus est honos
Vernis: neque vno Luna rubens nitet
Vultu. quid æternis minorem
Consilijs animum fatigas?
Cur non sub alta vel platano, vel hac
Pinu iacentes sic temere, & rosa
Canos odorati capillos,
Dum licet, Aßyriaq; nardo,
Potamus vncti? dißipat Euhyus
Curas edaceis. quis puer ocyus
Restinguet ardentis Falerni
Pocula prætereunte lympha?
Quis deuium scortum eliciet domo
Lyden? eburna, dic, age cum lyra
Maturet, incomptum Lacænæ
More comam religata nodum.

COMMENTARII.

Hoc argumentum sæpe tractatum a poeta non me latet,& ex Anacreonte sumptum, sic ille:

οὔ μοὶ μέλει γύγαο
τοῦ σαρδίων ἄνακτος,
οὐδ' αἱρέει μὲ χρυσὸς,
οὐδὲ φθονῶ τυράννοις. unde illud etiam est factum:

Musis amicus tristitiam, & metum
Tradam proteruis in mare Ponticum
Portare uentis, qui sub arcto
Rex gelidæ metuatur oræ.
Quid Mithridatem terreat unice
Securus.

Cantaber, non est species pro genere. nam cum Cantabris gestum est bellum ab Augusto. Suet. Extera bella duo omnino per se gessit. Dalmaticum adolescens adhuc, & Antonio deuicto Cantabricum. & paullo post. Domuit autem partim ductu, partim auspicijs suis Cantabriam, Aquitaniam, Pannoniam, Dalmatiam cum Illyrico omni &c. Scythas po. Ro. fuisse infestos neminem latet. Quos tamen eodem Suet. auctore in amicitiam pellexit. lege Od. xiiij. libri tertij de Cantabris.

Poscentis æui pauca, Ideo ad Fuscum Aristium: Fuge magna. In hanc sententiam sunt illa ad Iccium. beatum esse illum, si, quæ ab Agrippa sibi erant donata, ita uteretur, ut naturæ necessitas postulat.

Fructibus Agrippæ Siculis, quos colligis Icco
Si recte frueris, non est, ut copia maior
Ab Ioue donari possit tibi. tolle querellas.
Pauper enim non est, cui rerum suppetit usus.
Si uentri bene, si lateri est, pedibusq; tuis, nil
Diuitiæ poterunt regales addere maius. Nam, iuxta illud vulgatissimum, Paucis natura contenta est.

Fugit retro, obseruaui in hoc poeta, quoties ad uoluptatem quempiam inuitat, ut magis ad illam amicos incēdat, illum quasi stimulo adhibito, metum impendentis mortis adiungere. qui mos pluribus exemplis probari potest. Ideo sic Ode iiij. lib. j. post uoluptatis mentionem intulit:

Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas
Regumq; turres. sic Ode ix. eiusdem libri post similem cohortationem, inquit:

Quid sit futurum cras, fuge quærere &
Quem sors dierum cunq; dabit, lucro appone.

Idem seruauit in xj. postquam enim dixerat, sapias uina liques, &c. ita fecit:

Dum loquimur, fugerit inuida

Aetas, carpe diem quam minimum credula postero.

Idem seruauit in iij. libri secundi. in viij. quarti in xij. eiusdem libri. studiosi horum omnium locorum uarietatem notabunt. ijdem legant, quae in Ode quarta libri primi adnotauimus. quamuis autem id obseruatum uideamus post inuitationem ad uoluptatem, nihil tamen prohibet, quin ante, ipsam etiam ponamus. ut hoc loco factum est. nam a metu incipiens statim se ad uoluptatem reuoluit. hoc ad materiae tractationem, quod non parum interest, pertinet.

Fugit retro, tale illud est:

Dicebam tibi Galla senescimus, effugit aetas. & Tibull.

Transiet aetas.

Quam cito, non segnis stat, remeatq; dies.

Quam cito purpureos deperdit terra colores,

Quam cito formosas populus alba comas.

Cui ualde simile est illud Ouidij:

Non semper uiolae, non semper lilia florent,

Et riget amissa spina relicta rosa.

Et tibi iam uenient cani formose capilli,

Et uenient rugae quae tibi corpus arent.

Arida canitie, idest, senectute. sic illam appellat lib. j. Ode ix. Donec uirenti canities abest morosa, aridam autem iure uocat ob humorem naturalem deficientem. Cum autem hic aridam uocarit canitiem, contra in superiori exemplo uirentem iuuenem dixit. similitudine enim stirpium succo, atque humore carentium senectutem aridam uocamus. ab ariditate autem, & a uiriditate infinitae metaphorae ducuntur.

Non semper, iuuentutis breuitas recte floribus comparatur. quemadmodum non perpetua est in floribus uiriditas, ac decor, sic in iuuene, senectute decus auferente, uigor, ac species, illa deflorescit, ut scribit Cic. de amicitia.

Neque uno, sicut nec floribus eadem est semper pulchritudo, sic luna nitorem aliquando deponit, alia facie, coloreq; sumpto. nam maculis interdum suffunditur, interdumq; nitet. quare auream appellat. interdum deficiens obscuratur. sic homini contingit, ut non semper aetatis flore iucundissimo eodem modo fruatur. quare curarum, & cogitationum mole non opprimendum animum monet. de Lunae maculis Pontanus lib. j. de stellis. & Virg. j. Georg. Ibi. Luna reuertentes.

Cur non, numerat, quae uoluptatem augent, & in omni laetitia adhiberi solent. quattuor autem potissimum sunt, umbrae, rosae, odores, uinum. umbris alibi sic adhibuit:

Qua

Qua pinus ingens, albaq; populus
Vmbram hospitalem consociare amant ramos. &c. Et:
Hic innocentis pocula Lesbij
Duces sub umbra. Et:
Longaq; fessum militia latus
Depone sub lauru mea.

Reliqua alibi obseruauimus. Nolo prætermittere hoc in loco, ueteres illos in conuiuijs omnia uoluptatum genera adhibuisse ad animum, sensusq; oblectandos. Suauitati enim aurium inseruientes, musices uaria genera, ut lyræ, tibiæ, ac carminum delicias inuenisse. narium gratia odores, atque unguenta, coronas ex floribus, quas uel manibus, uel collo, uel capite retinebant. excogitasse. ut fragrantia illarum nares, colore oculi delinirentur, somnus alliceretur, ebrietas auerteretur. sed priscis illis temporibus, ante coronas ex floribus inuentas, quod alij docti homines animaduerterunt, coronaturi, ad capitis dolores auerruncandos, qui uino, & epulis contrahuntur, atque ad ebrietatem comprimendam, laneis, uel lineis fasciolis tempora, ac frontem uincire soliti sunt. quod Patauij ex lapide Rhamnusiano ipse etiam animaduerti.

Dissipat Euhyus, ratio hæc uidetur esse, quamobrem sit bibendum. curas siquidem amouet. lege quæ collegimus in Ode vij. primi libri. ad illum locum, Sic tu sapiens finire memento tristitiam &c.

Quis puer, auctor dierum genialium lib. v. uinum dilui notauit solitum fuisse aqua è niuibus tepefacta, aut ex marina. quo incorruptius esset. Amphictionem autem Atheniensium regem primum narrant aqua uinum miscuisse a Dionysio edoctum. alij hoc inuentum Melampodi ascribunt, Plin. Staphylo Sileni filio lib. vij. cap. lxv. Hyginius Cerassum in Aetolia id primum fecisse. quamobrem κεράννυμαι uerbum factum sit, quod miscere denotet, de hoc more Virg.

Poculaq; inuentis Acheloia miscuit uuis.

Ardentis falerni, pulchre respondet ardenti falerno, restinguere. falernum more suo pro omni uino usurpauit.

Non possum præterire, quod obijcitur in hac Ode a Scaligero. sic inquit. In xj. Adria diuisus, memineris quoties ea uoce claudit uersum. quot locis naues, littus, uentos, maria, & huiusmodi, ut Myrtoum, Creticum, Caspium, Bosphorum, Tibur, Geloni, Britanni, Medus, Ponticum, Getæ, Carpathium. proculdubio id obijcitur Horatio, quod omnibus poetis Græcis, Latinis, & nostris uernaculis fuit obijciendum. omnium legum seuerissima hæc esset, si non nisi semel uno uerbo esset utendum. Quem inuenias apud quem eadem uerba sæpissime repetita non sint? quod sæpe naues, littus, uentos, maria dixerit, ineptum putat. Siquis igitur bis, terq; eandem uocem, præsertim in diuersis uel compositionibus, uel libris usurparit,

parit, explodetur? hoc pacto nihil proprie erit dicendū. omnia circunscriptiunculis plena esse necesse erit. Semel hæc Virgilius? montes, ualles, iuga, sagitta, flumina, nymphas, fulmen, fluctus, littus, maria, naues, carina, lymphas, & quæ quis posset colligere? huic calumniæ omnes poetæ subiecti erunt. itaque illius iudicium mihi nequaquam probari potest. Illud uero ualde ociosi fuerit, siquis laboret ostendere quoties eadem uoce Virgilius, uel alij uersum clauserint.

AD MAECENATEM. Ode XII.

NOLIS *longa feræ bella Numantiæ,*
Nec dirum Annibalem, nec Siculum mare
Pœno purpureum sanguine mollibus
Aptari citharæ modis:
Nec sæuos Lapithas, & nimium merò
Hylæum, domitosq; Herculea manu
Telluris iuuenes, vnde periculum
Fulgens contremuit domus
Saturni veteris: tuque pedestribus
Dices historijs prœlia Cæsaris
Mæcenas melius ductaque per vias
Regum colla minacium.
Me dulcis dominæ Musa Liciniæ
Cantus, me voluit dicere lucidum
Fulgentis oculos, & bene mutuis
Fidum pectus amoribus:
Quam nec ferre pedem dedecuit choris:
Nec certare ioco, nec dare brachia
Ludentem nitidis virginibus, sacro
Dianæ celebris die.
Num tu, quæ tenuit diues Achæmenes,
Aut pinguis Phrygiæ Mygdonias opes,
Permutare velis crine Liciniæ,
Plenas aut Arabum domos:
Dum fragrantia detorquet ad oscula
Ceruicem: aut facili sæuitia negat?
Quæ poscente magis gaudeat eripi:
Interdum rapere occupet.

COM-

COMMENTARII.

Nobis, grauiora lyrico carmini non esse tractanda. quę materia huic carmini conueniat, sic Hor. declarat in poetica:

Musa dedit fidibus diuos, puerosq; deorum,
Et pugilem uictorem, & equum certamine primum,
Et iuuenum curas, & libera uina referre.

Quæ omnia argumenta Horatius tractauit, bellicas res omnino non attigit, &, siquando ausus est, semper se ipsum corripuit. ut:

Sed ne relictis Musa procax iocis
Ceæ retractes munera neniæ,
Mecum Dioneo sub antro
Quære modos leuiore plectro. sic:
Non hæc iocosæ conueniunt lyræ
Quo Musa tendis, desine peruicax
Referre sermones deorum, &
Parua modis tenuare paruis. Et:
Phœbus uolentem prœlia me loqui,
Victus & urbes increpuit lyra,
Ne parua Tyrrhenum per æquor
Vela darem. sed de materia lyrici alibi. sententia simplex fuit. de bellicis rebus non esse lyricis uersibus tractandum. Id Numantini belli, & rerum, quæ ab Hannibale gesta erant, præterea belli Gygantei in deos assumptione, quæ est generis & speciei, qua & ornauit, & extendit orationem dignitatem & gratiam afferens carmini. tolle assumptionem, omnia nuda, & frigida.

Telluris iuuenes, Gygantum egregia periphrasis. sic Hom. γηγενέων ἀνδρῶν μιμούμενοι ἔργα γιγάντων. sic Hor. iniecta monstris terra dolet suis. idest, ab ea genitis.

Tuq; pedestribus, Seruius Honoratus interpretans locum Virgilij secundo Georg. sic scribit. Constat Mæcenatem fuisse litterarum peritum, & plura composuisse carmina. Nā & Augusti Cæsaris gesta descripsit. quod testatur Hor. dicens, Tu pedestribus dices historijs prœlia Cæsaris Mæcenas melius, ductaq; per uias Regum colla minacium. ubi soluta oratione Mæcenatem Cæsaris gesta scripsisse declarat. pedestrem autem orationem appellant Latini prosam Orationem ad poeticæ orationis differentiam, quæ de curribus recitabatur, unde illa ἐξ ἀμάξου, ἐξ ἅρματος, ἀστράβηλον, καὶ ἡνίοχος: quo nomine orationem poetarum appellant Græci, quod in Hist. poetarum erudite animaduertit etiam Lilius, ubi Ciceronis locum ad Q. Fratrum adducit. Quoniam, inquit, scribis poema ab eo nostrum probari quadrigis poeticis,

ticis, modo mihi date Britanniam, quam pingam coloribus tuis, penicillo meo. His adde Pindari locum insignem ad hoc confirmandum, vj. Olymp.

ἔμεν εὑρησιεπὴς ἀναγεῖσθαι προσφόρος ἐν μοισᾶν δίφρῳ.

Regum colla, sic Propertius:

India quin Auguste tuo dat colla triumpho,
Et domus intactæ te tremit Arabiæ. & Seneca:
Non Argolici præda triumphi
Subiecta terræ colla triumphis.

Vnde submittere, subdere, supponere colla iugis, eripere colla iugo, dixit Hor. prouerbij uice in Sermonibus. ibi, *Eripe turpi colla iugo*.

Me dulcis dominæ, quæ lyrico carmini conueniunt, explicat. sunt autem amores, ut plurimum.

Cantus dulces, non Liciniæ dulcis, sed ad cantus refer dulces. quædam numerat amorem conciliantia. in primis cantum, post saltandi peritiam. quæ in summa laude fuit apud omnes nationes.

Num tu quæ tenuit, alijs assumptionibus extenditur, atque exornatur oratio. tale est apud Anacreontem. unde fortasse hoc sumpsit:

ἐγὼ τ' οὔτ' ἀμαλθείης βουλοίμην κέρας
οὔτ' ἔτεα πεντήκοντα, καὶ ἑκατὸν ταρτησσοῦ βασιλεῦσαι. idest, ego neq; amaltheæ uellem cornu, neq; annos centum & quinquaginta Tartesso imperare.

Mygdonias opes, sic alibi:

Quam si Mygdonijs regnum Aliattici campis continuem.

Crine, pro leuissima quaque re posita est uox. sic alibi unguem, & dentem, Dente, si nigro fieres, uel uno turpiter ungue.

Dum fragrantia, recte Lambinus sic legendum putat.

In arborem, cuius casu pœne perierat in agro Sabino. Ode XIII.

ILLE & nefasto te posuit die,
Quicunque primum, & sacrilega manu
Produxit arbos in nepotum
Perniciem, opprobriumque pagi.
Illum & parentis crediderim sui
Fregisse ceruicem, & penetralia
Sparsisse nocturno cruore
Hospitis: ille venena Colchi-
ca, & quicquid vsquam concipitur nefas,
Tractauit, agro qui statuit meo
Te triste lignum, te caducum
In domini caput immerentis,

Quid quisque vitet, nunquam homini satis
Cautum est in horas. nauita Bosporum
Pœnus perhorrescit, neque ultra
Cæca timet aliunde fata.
Miles sagittas, & celerem fugam
Parthi: catenas Parthus, & Italum
Robur. sed improuisa leti
Vis rapuit, rapietque gentes.
Quam pæne furuæ regna Proserpinæ,
Et iudicantem vidimus Aeacum,
Sedesque discretas piorum, &
Aeolijs fidibus querentem
Sappho puellis de popularibus,
Et te sonantem plenius aureo
Alcæe plectro dura nauis,
Dura fugæ mala, dura belli?
Vtrumque sacro digna silentio
Mirantur vmbræ dicere: sed magis
Pugnas, & exactos tyrannos
Densum humeris bibit aure vulgus.
Quid mirum, vbi illis carminibus stupens
Demittit atras bellua centiceps
Aures: & intorti capillis
Eumenidum recreantur angues?
Quin & Prometheus, & Pelopis parens
Dulci laborum decipitur sono:
Nec curat Orion leones,
Aut timidos agitare lyncas.

COMMENTARII.

Ille & nefasto, Si ueterum superstitionem sequamur, dierum alij felices sunt, alij infelices. in quibus quidquid agitur, uel prospere, uel contra euenire putauerunt. dies quidem infelices, quos ἀποφράδας uocant, nos nefastos possumus appellare: Hi ex eorum opinione dies omnes fuere postriduani, idest, qui postridie Kal. vel No. vel Id. cuiuscunque mensis sequebantur. His addebant quartum uel ante Kal. vel No. vel Id. tanquam ominosum. sane obseruatum est ante diem quartum Kal. Sextiles clade illa memorabili ad Cannas affectos Romanos fuisse. Hesiodus quidem quintas omnino suspectas habet. inquit enim:

πέμπτας δ' ἐξαλέασθαι, ἐπὶ χαλεπαί τε, καὶ αἰναί,

Ἐν πέμπτῃ γάρ φασιν Ἐρινύας ἀμφιπολεύειν.
ὅρκον τιννυμένας τὸν Ἔρις τέκε πῆμ' ἐπιόρκοις.

Quibus monet quintas uitandas, quoniam difficiles & graues sunt. in qua quidem quinta furias passim ambulare, & periuria punire, quam perniciem lites periuris gignere, affirmat. Quem locum Virg. primo Georg. præclare est imitatus:

Quintam fuge pallidus, Orcus,
Eumenidesq; satæ. tum partu terra nefando
Cæumq; , Iapetumq; creat , sæuumq; Typhæa,
Et coniuratos cœlum rescindere fratres.

Hesiodi uersus de diebus felicibus, atque infelicibus Heraclides Ponticus irrisit, non cogitasse Hesiodum inquiens naturam omnium dierum esse dominam. quarta præterea luna infelix putabatur, unde uice prouerbij est, ἐν τετράδι γεγεννῆσθαι. propterea quod Herculem ferunt hac luna natum omnium mortalium ærumnosissimum. diebus quidem infelicibus, quos atros dixere, neque prœlium committi, neque comitia haberi, neque rem diuinam fieri fas fuisse accepimus. Dierum uero obseruationem Mathematici, è cœlo ducunt. quos tamen ipsos Hieremiæ diuinitus afflati uox refellit, monentis a signis cœli, quæ gentes timent, non esse pertimescendum. Dies uero felices sunt Hesiodo primus, tertius, septimus, octauus insuper, & nonus lunę crescentis. addit undecimum, & duodecimum. Nos uero ueterum sententias ita recipiamus, ut a ueritate non recedamus. Nunc liceat nobis obsequi poetarum opinionibus. Virg. quidem, cum de Mundi generatione secundo Georg. diuinitus caneret, cogitans tantum opus non nisi felicissimo die confici potuisse, Veris tempore initium habuisse, ac creatum, fabricatumq; fingit his uersibus.

Non alios prima crescentis origine Mundi
Illuxisse dies, aliumue habuisse tenorem
Crediderim. Ver illud erat, Ver magnus agebat
Mundus, & hibernis parcebant flatibus Euri,
Cum primum lucem pecudes hausere, uirumq;
Ferrea progenies durum caput extulit aruis.

Quas tam speciosas fictiones, atque inuenta, poetices studiosis non negligenda obiter moneo. Sed de dierum ratione plura, & exquisita lege in hanc sententiam apud Ang. Politianum xij. Epist. in ea cuius initium est, Cum superioribus diebus. Vt ad institutum redeam, cum uellet poeta inuehi in illam arborem, die atro, atque infelici positam fingit, animaduertens nihil tali die prospere posse euenire. Sed ad illam amplius detestandam, alia etiam teterrima adiungit, quibus nihil potuit fœdius excogitari. cum inquit:

Illum & parentis crediderim sui fregisse ceruicem. &c.

Nauita Bosphorum, exemplis ostendit nemini cautum esse, quod uitet

nam dum aliquid sæpe timemus, unde nihil periculi est, in aliud ex improuiso incidimus, quod nunquam putaramus. Hanc autem sententiam quam poetice explicet, mirum est. etenim ne exiliter, ac ieiune inducta uideretur eam ornat assumptione personarum, quæ præter cæteros sese periculis manifestissimis obijciunt. Nautæ autem hi sunt, & milites. quibus semper mors imminet, nihilominus longe alio fato opprimi, quam eo, quod metuissent, ostendit. est autem figura κλίμαξ. idest, Gradatio. nauita Bosphorum timet, miles Parthum. Partus Romanum robur.

Quam pæne furuæ, significat parum abfuisse, quin arboris ruina oppressus perijsset. id pulchrius exponi non potuit. Accedit elegantissima digressio. qua carmen mire concluditur. uide, quam poetice inferos circumscripserit. qua in re idem sequutus est in sequenti Ode. ibi. Visendus ater &c.

Exactos Tyrannos, Pittacum, & alios Tyrannos insectatus est. in ijs Myrsilum, Megalagyrum, Cleanthidem, Strabo lib. xiij. de Mitylene scribens, de his plura. lege Odam xxxij. ad illum locum, Lesbio primum modulate ciui iure.

Quid mirum? animaduertendum, quibus modis suauitatem carminis Alcei extollat.

Demittit atras, sumpta imitatio uidetur, uel ex Virgilij Georg. lib. iiij. de Orpheo apud inferos canente, quæ erit imitatio ex simili. quod genus sequentes probe imitamur. cum nihil aliud sit imitatio, quam rei, quam uolumus, exprimere, similitudo. locus est apud Virg.

Quin ipse stupuere domus, atque intima lethi
Tartara, cæruleosq; implexæ crinibus angues.
Eumenides, tenuitq; inhians tria Cerberus ora,
Atque Itionei uento rota constitit orbis.

Vel ex loco Pindari prima Pythiorum. quem alijs prætermittere uisum est, ego adscribam. ibi extollit suauitatem citharæ, inquiens.

καὶ τὸν αἰχματὰν κέραυνον σβεννύεις
ἀενάου πυρὸς, εὔ-
δεισ δ' ἀνὰ σκάπτῳ Διὸς αἰετὸς ὠ-
κεῖαν πτέρυγα ἀμφοτέχειαν
θεν χαλάξαις
Αρχὸς οἰωνῶν. Κελαινῶ-
πιν δ' ἐπὶ οἱ νεφήλαν
ἀγκύλῳ κρατὶ βλεφάρων
ἁδὺ κλαΐστρον κατέχευας. ὁ δὲ κνώσσων
ὑγρὸν νῶτον αἰωρεῖ τεαῖς
ῥυπαῖσι κατασχόμενος.

Idest, & acutum fulmen extinguis æterni ignis. dormitq; sub Iouis sceptro rex auium, nigramq; nubem incuruo eius rostro, suaue claustrum palpebrarum

rum infundis. illa uero dormiens humidum dorsum attollit tuis telis detenta. huc confer cantum Sileni apud Virg. Egloga vj.

Et te sonantem, irridet Scaliger hunc locum. sic. In tertia decima ex Alcei sono Prometheum pœnæ, Orionem uenationis obliuisci. Nondum apud inferos, inquit, hæc inueni. Ita loquitur, quasi ipse aliquando apud inferos fuisset diuersatus. Ego ex hac obiectione duo elicio, uel uoluisse Scaligerum, quoties de dijs superis, uel inferis fingendum fuerit, aut in cœlum ascendere, aut ad inferos descendere necesse esse, uel poetis præscribere, ne fingant. si sic est, credendum Homerum, Virgilium, & reliquos poetas modo ad superos uolasse, modo ad inferos se præcipitasse, ut ea, quæ de ipsis essent fingenda, uiderent, ne mentirentur. aut irridendos, quod tam absurda finxissent, & tam puerilia. At quis unquam apud inferos uidit, uel Charontem Cymba animas traijcientem, quis Tytium, Tantalum, & reliquas pœnas, quis Phlegetontem, quis Plutonem imperare, Rhadamantum iudicare? quis Lethen? quis Heben, ac Ganymedem Ioui ministrantes, & quæ sunt in poetis innumerabilia, unquam uidit? atqui his fictionibus pleni sunt poetæ. An stultos putabimus tam sapientes, qui de ijs tam multa, tam incredibilia finxerũt? At uero, si prohibet fingere, nihil leuius. etenim, qui fingendi licentiam tollit, poeticam tollit, cum nihil aliud sit poetica quam fictio. qua sublata omnis uoluptas, quæ ex rebus admirabilibus oritur, interit. Hæc consectantur poetæ. qui fingunt ad res augendas, & ad admirationem, ex qua uoluptas est, excitandam, quamuis neque δυνατὰ, neque ἀναγκαῖα sint, quæ finguntur.

AD POSTHVMVM, Ode XIIII.

Mortem ineuitabilem esse.

EHEV, *fugaces, Posthume, Posthume*
Labuntur anni: nec pietas moram
Rugis & instanti senectæ
Afferet, domitæque morti.
Non, si trecenis, quotquot eunt dies
Amice places illacrymabilem
Plutona tauris: qui ter amplum
Geryonem, Tityonque tristi
Compescit vnda, scilicet omnibus
Quicunque terræ munere vescimur,
Enauiganda, siue reges,
Siue inopes erimus coloni.
Frustra cruento Marte carebimus,

Fractisq;

Fractisque rauci fluctibus Adriæ.
Frustra per autumnos nocentem
Corporibus metuemus Austrum.
Visendus ater flumine languido
Cocytus errans, & Danai genus
Infame, damnatusque longi
Sisyphus Aeolides laboris.
Linquenda tellus, & domus, & placens
Vxor: neque harum, quas colis, arborum
Te, præter inuisas cupressos
Vlla breuem dominum sequetur.
Absumet heres Cæcuba dignior
Seruata centum clauibus: & mero
Tinget pauimentum superbum
Pontificum potiore cænis.

COMMENTARII.

Eheu, Nihil tam certum, quam quod scripsit poeta. hac sententia nihil efficacius ad homines in officio retinendos. multa huiusmodi sunt apud Anacreontem. quamuis Lambinus putet hoc ex illo sumptum, πολιοὶ μὲν ἡμῖν ἤδη κρόταφοι, κάρα δὲ λευκόν, nihil tamen pertinet ad uitæ celeritatem. hinc potius. τροχὸς ἅρματος γὰρ οἷα βίοτος τρέχει κυλισθείς. quod sic nos conuertimus. Vt cursu celeri rota per planum bijuges quam rapiunt solum, fertur uita uolubilis. uterq; uelocitatem spectauit. hæc a celeritate rotæ, alter a lubrico sumpsit similitudinem. præclare autem sibi respondent, fugaces, labuntur, moram non afferre. fugaces, idest, ueloces. translatio est. sic capreas, ceruos, uentosq; fugaces appellant poetæ. temporis uelocitatem fugam nominauit. ibi:

Annorum series, & fuga temporum.

Nec pietas. idest, nullis precibus pijs mors flectitur.

Rugis, idest, senectuti, & propterea morti. in senectute contingunt rugæ. ut Tibull.

Dum tarda senectus
Inducat rugas, inficiatq; comas. & Hor. lib. iiij. Od. xiij.
Te quia luridi
Dentes, te quia rugæ
Turpant, & capitis niues.

Virg. viij. Aen. de Alecto in uetulam transformata. *In uultus sese transformat aniles, & frontem obscænam rugis arat.*

Indomitaq; morti, translatio a tauris, atque equis. sic uocamus homines indomitos,

indomitos, cupiditates, mare, superbiam indomitam.

Posthume, Posthume, reduplicatio ad animos excitandos, & propterea apta amplificationi.

Nam si tricenis. sic superius, orcum nihil miserantẽ appellat. & Aeschylus, ut est apud Stobæum. *μόνος θεῶν γὰρ θάνατος οὐ δώρων ἐρᾷ. οὐδ᾽ ἄν τε θύων, οὔτ᾽ ἐπισπένδων ναοῖς*. sola deorum mors muneribus non capitur. neque si in templis ipsi sacrifices. In quam sententiam plura apud illum legant studiosi. tale est illud Odes xxiiij. huius libri:

Nec satelles Orci
Callidum Promethea
Reuexit auro captus.

Compescit unda, fabulosa, & poetica locutio. id de mortuis dicitur. à locis, & a dijs inferorum huiusmodi locutiones ducantur. lege Od. xxviij. lib. j. in fine, ubi multæ tales formæ collectæ sunt.

Vnda, scilicet, Stygia. Virg.

Fata obstant, tristiq; palus inamabilis unda
Alligat, & nouies Styx interfusa coercet.

Munere, munera terræ sunt fruges. quibus a terra collectis homines uitam sustentant. nihilq; aliud est uesci terræ muneribus, quã uiuere. ductus modus a necessario. sic Virg. dixit Vesci auris æthereis, memor loci Lucretij, qui prius dixerat Vesci uitalibus auris. quam formam sic Virgilius uariauit, scilicet corpore uitales auras. Vesci autem est frui.

Enauiganda, quia dixerat Vnda, recte hanc uocem subiunxit.

Siue reges, lege quæ collegimus Ode iiij. libri primi ad illum locum pallida mors.

Frustra, sensus est, cum mortui fuerimus, nihil erit, quod temendum nobis sit. extrema enim iam passi erimus. quare sic Aristoteles. ij. Rhetor. *οὐδὲ οἱ ἤδη πεπονθέναι νομίζοντες τὰ δεινά, καὶ ἀπεψυγμένοι πρὸς τὸ μέλλον, ὥσπερ οἱ ἀποτυμπανιζόμενοι ἤδη*. neque inquit se grauia perpessos esse putant, & qui iam omni spe futuri destituti, quique ad supplicium trahuntur, quicquam mali præterea timent: eo enim deducti sunt, ut maiora pati non possint. Idcirco Dido apud Virg. cum se omnibus miserijs circunscriptam uideret, inquit, *Quid metui moritura?*

Frustra, ad motũ apta repetitio. omnibus malis nos cariturus post mortem, significat. tres autem malorũ species sumpsit, quibus homines potissimum conflictantur. bella, maris tempestates, atq; ægritudines. atq; ita a genere ad species transferens se, elegantissime sententiam illustrauit.

Visendus, moriendum omnino esse affirmat. quomodo autem id ostendat considerandum. Cum id poetice esset ostendendum, & cum mortui ad inferos descendere credantur, noluit simplici inferorum uocabulo uti, sed assumptione locorum, & personarum, quæ uel apud inferos sunt, uel

uel torquentur, inferos notauit. quod ad extendendum, atque amplificandum mirifice conducit. Id secutus est superius Ode xiij. huius libri. ibi:

Quam pæne furuæ regna Proserpinæ &c.

Quam uiam Virgilius alijs monstrauit. Cum ita fecit de Orpheo ad inferos descendente.

Tænarias etiam fauces, alta ostia ditis
Et caligantem nigra formidine lucum
Ingressus, manesq; adijt, regemq; tremendum
Nesciťq; humanis precibus mansuescere corda.

Sed de assumptionibus lege lib. iij. de Imitatione.

Linquenda tellus, eadem est sententia. ex necessariorum consequentium loco deducta: ea enim omnia, quæ numerat, necessario morientibus relinquenda sunt. Collectis igitur omnibus, quæ ad elegantiam carminis obseruauimus, discant studiosi, quam copiose, quam ornate breuissima sententia dilatata, locupletataq; fuerit. Id enim tantum monere uoluit, breuissimum esse mortalis uitæ tempus, omnes mori, implacabilem esse mortem. Non abhorret ab hac sententia illud Odes iiij. lib. j.

Iam te premet nox, fabulæq; manes,
Et domus exilis Plutonia, quo simul mearis
Nec regna uini sortiere talis &c. neque Illud lib. ij. Ode iij.
Cedes coemptis saltibus, & domo
Villaq; flauus quam Tiberis lauit,

Quod uero Scaliger quærit, cur poeta merum superbum appellarit, Lambinus illi satisfaciens, inquit, legendum esse superbum. & coniungendum cum, pauimentum, non cum mero.

In sui sæculi luxuriam. Ode XV.

IAM *pauca aratro iugera regiæ*
Moles relinquent: vndique latius
Extenta visentur Lucrino
Stagna lacu, platanusq; cælebs
Euincet vlmos. tum violaria, &
Myrtus, & omnis copia narium
Spargent oliuetis odorem
Fertilibus domino priori.
Tum spissa ramis laurea feruidos
Excludet ictus. non ita Romuli
Præscriptum, & intonsi Catonis
Auspicijs, veterumq; norma:
Priuatis illis censu erat breuis,

Commune

Commune magnum: nulla decempedis
Metata priuatis opacaam
Porticus excipiebat Arcton:
Nec fortuitum spernere cespitem
Leges sinebant, oppida publico
Sumtu iubentes, & deorum
Templa nouo decorare saxo.

COMMENTARII.

Iam pauca aratro, simile expreßit Ode xviij. huius libri:
Et sepulcri
Immemor struis domos
Marisq; Baijs obstrepentis urges
Summouere littora,
Parum locuples continente ripa. & Ode prima lib.iij.
Contracta pisces æquora sentiunt
Iactis in altum molibus. & Od. xxiiij.
Intactis opulentior
Thesauris Arabum, & diuitis Indiæ
Cementis licet occupes
Tyrrhenum omne tuis, & mare Ponticum.

Multa sunt hic ducta a loco consequentium. Nam, si agri ædificijs occupantur, latiusq; ea extenduntur, hæc omnia consequentur, scilicet pauca aratro iugera moles relinquent. undiq; latius extenta uisentur Lucrino stagna lacu, Platanus euincet ulmos. uiolaria, & myrtus spargent oliuetis odorem; & denique spissa ramis laurea excludet ictus feruidos. Hinc conijcere possumus nullam gratiam habituram fuisse hanc sententiam, si isti loci abfuissent.

Platanus, non ad utilitatem, sed ad delicias adhibita est. non enim ullum fructum fert. quare cęlebs appellatur a poeta, quod nihil procreat; opacitati tantum, & ambulacris utilis. Itaque Ouid. genialem uocat, puto, quia conuiuantibus umbram præbeat. Ideo Virg.

Iamq; ministrantem platanum potantibus umbram.
Vmbriferam hac de causa appellant.

Euincet ulmos, idest, copiam ulmorum, quibus uites alligantur. per id intelligit, delicijs, & uoluptati magis illos studere, quam utilitati.

Spargent oliuetis odorem, id sic alibi expressum est. iactare, iacere, ut est apud Lucr. spirare, exspirare, diffundere odorem.

Laurea, coronam ex lauro, & laurum arborem significat.

Nulla decempedis, idest, tunc non ædificabantur porticus in Septemtriones ad frigus captandum per æstum. eleganter autem dictum est, porticum

arcton excipere, pro auras excipere, quæ illinc flant.

Spernere cespitem, idest, ubique, passimq; licebat recubare. per cespitem intelligit locum humilem, minimeq; deliciosum, uel domunculas humiliter constructas. qualis illa apud Virg.

Pauperis & tuguri congestum cespite culmen.

AD GROSPHVM. Ode XVI.

Tranquillitatem animi optari ab omnibus. Eam uero non congerendis opibus, honoribusue, sed coercendis cupiditatibus, comparari.

OTIVM diuos rogat in patenti
Prensus Aegeo, simul atra nubes
Condidit Lunam, neque certa fulgent
Sidera nautis:
Otium bello furiosa Thrace,
Otium Medi pharetra decori,
Grosphe, non gemmis, neque purpura ve-
Nale, neque auro.
Non enim gazæ, neque consularis
Summouet lictor miseros tumultus
Mentis, & curas laqueata circum
Tecta volantis.
Viuitur paruo bene, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum,
Nec leues somnos timor, aut cupido
Sordidus aufert.
Quid breui fortes iaculamur æuo
Multa? quid terras alio calentes
Sole mutamus? patriæ quis exul
Se quoque fugit?
Scandit aratas vitiosa naues
Cura: nec turmas equitum relinquit,
Ocyor ceruis, & agente nimbos
Ocyor Euro.
Lætus in præsens animus, quod vltra est,
Oderit curare: & amara lento
Temperet risu. nihil est ab omni
Parte beatum.
Abstulit clarum cita mors Achillem:

Longa Tithonum minuit senectus:
Et mihi forsan, tibi quod negarit,
Porriget hora.
Te greges centum, Siculaq; circum
Mugiunt vaccæ: tibi tollit hinni-
Tum apta quadrigis equa: te bis Afro
Murice tinctæ
Vestiunt lanæ. mihi parua rura, &
Spiritum Graiæ tenuem camœnæ
Parca non mendax dedit, & malignum
Spernere vulgus.

COMMENTARII.

Quosdam enumerat, qui potissimum securitatem, atque otium desiderant. in ijs sunt, qui nauigant, quique bella sequuntur. duo sane ex omnibus rebus humanis periculosissima, atque ærumnosissima. ex quibus duobus generibus reliquos aliqua in re laborantes intelligit. Hinc totum carmen deducitur. docet, quomodo tranquillitas animi parari possit. huius sententiæ est Ode x. huius libri ad Licinium. similis sententia est illa:

Luctantem Icarijs fluctibus Africum
Mercator metuens otium, & opidi Laudat rura sui.

Aegeo, pro omni mari periculoso posuit. est enim altum, & scopulosum: ex quo merito nata sunt prouerbia. τὸ αἰγαῖον πλεῖν. & Aegeum scaphula transmittere. alibi poeta celebrat tumultus Aegeos. ibi:

Tutum per Aegeos tumultus
Aura ferat, geminusq; Pollux.

Simul atra nubes, elegans procellæ descriptio ex accidentibus, ex quibus Virg. suas procellas semper ducit. vt lib. j. Aen.

Eripiunt subito nubes cœlumq;, diemq;
Teucrorum ex oculis. ponto nox incubat atra. Sic:
Inuoluere diem nimbi, & nox humida cœlum
Abstulit. & sic prius Hom.
παντίων ἀνέμων, σὺν δὲ νεφέεσσι κάλυψε
γαῖαν, ὁμοῦ καὶ πόντον, ὀρώρει δὲ οὐρανόθεν νύξ.

Cœli sane obscuritas tempestatis propria. quare idem Virg. eodē in loco.

Tum mihi cæruleus supra caput adstitit imber
Noctem, hiememq; ferens, & inhorruit vnda tenebris.

Thrace furiosa, hanc armigeram vocat Ouid. egregijs epithetis utranq; gentem ornauit ad carminis elegantiam.

Non gemmis, sic scribit in Epist. se nō mutare otium suū diuitijs Arabū.

Non enim Gazæ, ratio, quare rebus omnibus pretiosissimis anteponatur otium. quoniam id præstat, ut in summa securitate homines uiuant otio fruentes. quod diuitiæ, neque honores subministrare possunt.

Miseros tumultus mentis, excellens Periphrasis.

Viuitur paruo, quo parari possit otium hic ostendit, scilicet si ea, quę animi tranquillitatem interrumpunt, fugiemus. hæc sunt cupiditates. profecto, siquis paruo contentus est, nihil præterea quærit, non nauigat. non militat.

Nec leues somnos, in uita suauissimus est somnus: id intelligentes poetæ dulcem illum, suauemq; appellauerũt. Hom. γλυκύν, νήδυμον, νήγρετον semper uocat. eo solui molestissimum est. curæ autem id agunt. per somnum otium, & securitatem a poetis significari certum est. ut in his locis:

Mollesq; sub arbore somni. Et:

Nec somnos abrumpit cura salubres. Et:

Est ubi diuellat somnos minus inuida cura.

Idest, ubi uitam tutius possis ducere. Siquid autem est, quod otium impediat, est timor, & cupiditas. Ideo sic poeta ad Quinctium:

Nam, qui cupiet, metuit quoq; porro,

Qui metuens, uiuit liber mihi non erit unquam.

Quid breui, sensus est. cum breui tempore uiuamus, quorsum tam multa moliri? cur peregrinas terras, & remotissimas lucri causa adimus? Alio sub sole elegãter est dictum. sumptum a Virgilio. qui prius ita locutus est:

Atq; alio patriam quærunt sub sole iacentem.

Aeuum breue, & multa iaculari sibi opposita sunt.

Scandit æratas, respondet illi speciei, quæ nauigat, scilicet in parenti prehensus Aegeo. & cum dixit, Nec turmas equitum relinquit, spectat eos, qui militiam sequuntur. idest, bello furiosa Thrace.

Lætus in præsens. sic Ode viij. lib. iij.

Dona præsentis cape lætus horæ. Compescendam esse cupiditatem habendi, & beatam esse uitam, ostendit, quæ præsentibus fruitur. de futuro nihil cogitat. Sæpissime tractauit hanc sententiam.

Et amara, non omnino in malis se abijcere homines debent. sed hilaritati consulendum. tale illud:

Misce stultitiam consilijs breuem, &

Quid æternis minorem

Consilijs animum fatigas?

Abstulit, probat exemplis, nihil esse ab omni parte beatum. Achilles quidem, si nominis claritatem spectemus, beatus putandus. quatenus uero μινυνθάδιος, idest, breuis uitæ, secus.

Tithonum, idem de Tithono statuendum, qui diu quidem uixit, sed ex uitæ longitudine insuauem, fastidiosamq; senectutem, omnibusq; solatijs spoliatam nactus, beatus nullo pacto putandus.

Et

Et mihi, non omnia uni contingere, ſignificat. dij enim alij concedunt, quod alteri negarunt. Hom. Ἀλλ' οὔπως ἅπαντα θεοὶ δόσαν ἀνθρώποισι.

Te greges. elegantiſsimum hoc eſt.enumeratione earum rerum,in quibus diuitiæ poſitæ ſunt, diuitem Groſphum fuiſſe oſtendit. multa autem,quibus conſtant diuitiæ,complexus eſt etiam in initio Odes xviij. huius libri. Nõ indignum obſeruatione, quod,cum uoluiſſet ſignificare multos greges, & multas uaccas, atque equas amicum ſuum poſsidere,ad carminis elegantiam ſe ad conſequentia non neceſſaria conuertit, cum dixit, circum illum greges,uaccasq; mugire, & equas hinnire. cui ualde ſimilis eſt ille locus Odes xvj. libri tertij:

Quamquam nec Calabræ mella ferunt apes,
Nec Leſtrigonia Bacchus in amphora
Langueſcit mihi, nec pinguia Gallicis
Creſcunt uellera paſcuis.

Veſtiunt lanæ, pro ueſtibus purpura tinctis. materia eſt pro forma, de quo genere ſæpius. Sic Virg.

Alba nec Aſſyrio fucatur lana ueneno. Id.
Nec uarios diſcet mentiri lana colores. Ouid.
Tincta murice lana. & Hor.Lanam medicatam dixit.

Spiritum, ita locutus eſt Ode vj. lib.iiij.

Spiritum Phœbus, mihi Phœbus artem
Carminis, nomenq; dedit poetæ.

AD MAECENATEM AEGROTVM. Od. XVII.

Negat ſe ei ſuperſtitem eſſe poſſe.

CVR me querellis exanimas tuis?
Nec Dijs amicum eſt, nec mihi, te prius
Obire Mæcenas, mearum
Grande decus, columenque rerum.
Ah, te meæ ſi partem animæ rapit
Maturior uis, quid moror altera,
Nec carus æque, nec ſuperſtes
Integer? ille dies utranque
Ducet ruinam: non ego perfidum
Dixi ſacramentum: ibimus, ibimus,
Vtcunque præcedes ſupremum
Carpere iter comites parati.
Me nec Chimæræ ſpiritus igneæ,
Nec, ſi reſurgat centimanus Gyas,

Diuellet

Diuellet unquam. sic potenti
Iustitiæ, placitumque Parcis.
Seu Libera, seu me Scorpius adspicit
Formidolosus, pars uiolentior
Natalis horæ, seu tyrannus
Hesperiæ Capricornus undæ:
Vtrumque nostrum incredibili modo
Consentit astrum. te Iouis impio
Tutela Saturno refulgens
Eripuit, volucrisque fati
Tardauit alas, cum populus frequens
Lætum theatris ter crepuit sonum:
Me truncus illapsus cerebro
Sustulerat, nisi Faunus ictum
Dextra leuasset, Mercurialium
Custos uirorum. reddere uictimas,
Aedemque uotiuam memento,
Nos humilem feriemus agnam.

COMMENTARII.

Cur me querelis, expresio est incredibilis doloris ex Mæcenatis ægritudine. eleganter, & cum ingenti animi perturbatione suum mœrorem exprimit, quantum ad effectum pertinet, ex miro amore poetæ in Mæcenatem sic queritur. quod adeo erat cum eo coniunctus, ut ab eo diuelli citra sui perniciem non posset. ut enim ait, necesse erat, ut aut cum amico uiueret, aut cum ipso moreretur. quare hinc coniicitur uerum esse illud, amicorum unam esse animam. & amicum alterum ipsum. sic uni nihil boni, uel mali potest contingere, quod alteri non contingat. Quare Arist. ad Th. pro maximo amicitiæ argumento ponit, cum ταὖτα ἀγαθὰ, ϗ κακὰ sunt in amicitia. Hoc autem genus amicitiæ non nisi inter bonos esse potest: de hoc genere amicitiæ lege Oden iij. lib. j. ibi. *Et serues animæ dimidium meæ*. Cum igitur poeta ita esset affectus, non minus de amici malo, quam de suo sollicitus erat. Hinc illæ uoces: Nec dijs amicum est, nec mihi te prius obire Mæcenas. &, si te partem animæ meæ rapit maturior uis, quid mœror altera? & illud, quo ostendit fieri non posse, ut ab amico diuellatur. Me nec Chimeræ spiritus igneæ &c. quod uero necesse sit sibi idem, quod Mæcenati, euenire, quo maior coniunctio uideatur, addit eadem constellatione in lucem esse editum, qua Mæcenas.

Nec dijs amicum, talem sententiam protulit primo Epodo ad eundem Mæcenatem:

Quid nos? quibus te uita sit superstite
Iucunda, si contra grauis.

Exanimas, uerbo grauiori uti non poterat, & quod amicitiæ perfectionem magis denotaret.

Grande decus, hoc uidetur esse maximi momenti ad suum dolorem augendum. sic prima Ode primi libri:

O & præsidium, & dulce decus meum.

Et in Epist. appellat ipsum rerum decus & tutela mearum.

Ab te meæ, sic ad Virgilium scribens.

Et serues animæ dimidium meæ.

Non ego perfidum, sic Tib.

Parce, pater, timidum non me periuria terrent.
Nec dixi in sanctos impia uerba deos.

Me nec chimeræ, ostendit nulla re terribili diuelli posse a Mæcenate. a qua sententia non discrepat illud ad eundem Mæcen. Epodo prima:

Et te per Alpium iuga
In hospitalem, & caucasum
Forti sequemur pectore.

In quibus locis cum elegisset ea, quæ omnium formidolosissima sunt, elegantissima fecit. Verba, quibus exornatum est carmen, sunt, exanimas, amicum esse, pro gratum esse, ducere ruinam, pro quo Virg. semper trahere ruinam dixit. supremum iter pro morte. periphrasis mortis. In uerbo diuellere mira uis est. eripere pro liberare, uolucres fati tardauit alas, allegoria, recte alas fato tribuit ad mortis celeritatem declarandam. reddere uictimas, quod fit uoto dissoluendo, & ferire agnam pro sacrificare, pulchræ locutiones. cuius rei alibi plurima similia collegimus.

Se in re tenui, sua tamen sorte contentum uiuere, & alios nullum ædificandi, nullum quærendi, nullum rapiendi modum facere, quasi nihil de morte cogitantes. Ode XVIII.

NON *ebur, neque aureum*
Mea renidet in domo lacunar:
Non trabes Hymettiæ
Premunt columnas vltima recisas
Africa: neque Attali
Ignotus heres regiam occupaui:
Nec Laconicas mihi
Trahunt honestæ purpuras clientæ.
At fides, & ingeni
Benigna uena est: pauperemque diues

Me

Me petit. nihil supra
Deos lacesso: nec potentem amicum
Largiora flagito,
Satis beatus unicis Sabinis.
Truditur dies die:
Nouaq; pergunt interire Lunæ.
Tu secanda marmora.
Locas sub ipsum funus: & sepulcri
Immemor struis domos:
Marisque Baijs obstrepentis urges
Summouere littora,
Parum locuples continente ripa.
Quid, quod usque proximos
Reuellis agri terminos? & ultra
Limites clientium
Salis auarus? pellitur paternos
In sinu ferens deos
Et uxor, & uir, sordidosque natos.
Nulla certior tamen
Rapacis Orci fine destinata,
Aula diuitem manet
Herum. quid ultra tendis? æqua tellus
Pauperi recluditur,
Regumque pueris: nec satelles Orci
Callidum Promethea
Reuexit auro captus. hic superbum
Tantalum, atque Tantali
Genus coercet. hic leuare functum
Pauperem laboribus,
Vocatus, atque non uocatus audit.

COMMENTARII.

Non ebur, significat se minus ualere opibus, sed ingenio præstare. pulcherrimas autẽ assumit species, quæ in diuitijs ponuntur. qui modus peculiaris est bonis poetis. de quo tam sæpe admonuimus.

Ebur, pro quacunque re pretiosa usurpatur. quamuis pro poculis, pro uasis, ac signis ex ebore confectis, poni solitum sit.

At fides, ea, quæ homines admirantur, minus se curare, neque in illis se iactare ostendit. ea, quæ plurimi uere facienda sunt, sibi inesse profitetur. fidem scilicet, & ingenium. quæ paucis contingunt: fides quidem reliqua-

rum uirtutum ornamentum est, & instar luminis. ita, ut sine ea uirtutes esse non possint: quare nihil turpius, quam fidem fallere, promissa non seruare, aut dictis, conuentisq; non manere. Principe digna uox fuit Alexandri in Parmenionem, præter fidem quippiam Regi suadentem. Facerem, inquit, si essem Parmenio. Alexandro non licet. Ideo Romani deam fecerunt, templumq; in Capitolio ipsi constituerunt. De ingenio uero quid attinet dicere? quo si careamus, nihil a brutis differamus. eo autem cæteris hominibus præstantiores sumus, quo excellentiori sumus ingenio præditi.

Vena, uenam cum dicit, felicitatem, facilitatemq; carminum scribendorum intelligit. sumptum a uenis terræ, e quibus aquæ emanant. re uera sicut ex ipsius uenis fontes, ita ex hac uerborum, ac sententiarum copia fluit. Quare in poetis cursum dicendi, facilitatemq; scribendi egregia translatione uenam appellamus. de qua Hor. in poet. Ego nec studium sine diuite uena, nec rude quid possit uideo ingenium. cum autem sic locutus est, idem sentire uidetur, quod Arist. in poetica, ubi docet duo esse poetarum genera, unum, quod ille εὐφυῆ, alterum quod μανικὸν appellat. de quo lege quæ in Oden xxv. lib. iij. scripsimus. hac uena siquis destituitur, inuitis Musis, & Apolline laborat.

Pauperem, hoc est maximum, ac præclarum, eiusmodi esse aliquem, u diuites, ac potentiores ipsum adire, eorumq; amicitiam, ac gratiam quærere cogantur. ut Crœsus Lydorum rex, qui, Anacharsis sapientia adductus, illum cum ingentibus donis accersiuit. Exempla in hanc sententiam pluri ma omitto.

Nihil supra, idest, præterea. ultra.

Deos lacesso, præter, scilicet, uenam, & ingenium, a dijs nihil requiro. Lacessere autem, fatigare, urgere, cogere, uocare precibus, elegantes sunt locutiones, & passim a poetis adhibitæ.

Nec potentem, ostendit se nulla cupiditate detineri. in quo summa est felicitas. nam, quam diu ea agitamur, tranquillo animo esse non possumus. Id multis in locis Epistolarum, ac Sermonum poeta celebrat. Sane cupiditas, quam etiam libidinem uocat Cicero, nihil est aliud, quam uehemens contra rationem insurgens appetitus. quo dominante, nullus uirtuti locus est. Hunc Cynicus sapienter dicebat esse arcem omnium malorum. huius uis præclara similitudine equi ferocientis in Phædro a Platone exprimitur.

Truditur, celeritatem, ac fugam temporis notat. qua uult nos abducere a cupiditate plura possidendi, & potius de sepulcro solicitos esse admonere. hoc sic alibi poeta reddidit. Vrget diem nox, & dies noctem.

Tu secanda marmora, fugit tempus. nihilominus, cum tam parum absis a morte, non desistis de insanis substructionibus cogitare. quæ nihil ad mortem repellendam proficiunt. Huic congruit illud Epist. secundo ad Iulium Florum:

Quid uiti prosunt, aut horrea? quidue Calabris
Saltibus adiecti Lucani? si metit Orcus
Gemmas, marmor, ebur, Tyrrhena sigilla, tabellas,
Argentum, uestes, Getulo murice tinctas?

Marisq; Baijs, eleganter dictum per locum a consequentibus necessarijs: nam necesse est ædificijs, ac molibus in mare iactis mare recedere, & litora summoueri, idest extendi. xv. Ode huius libri notauit hoc uitium ad illum locum.

Quid, quod usque proximos, mira insatiabilitas. quod non contentus in mari fabricare, etiam miseros uicinos exturbat è possesionibus, atque agellis suis. Accedit, quod etiam terminos reuellit. quos aut transferre, aut occultare sacrum fuit, etiam dei lege. adeo, ut, siquis huiusmodi hominem occidisset, tanquam si sacrilegum necasset, impune ferebat. adeo autem sanctos terminos esse uoluit antiquitas, ut Terminum deum fecerit, & festa constituerit.

Pellitur, affectus ex miserorum iniuria, ac damno. odium excitat in tam auaros, ac superbos. huc pertinet illa Meliboei querela apud Virgil. in Tityro:

Impius hæc tam culta nonalia miles habebit &c.

Nulla certior tamen, quamuis tibi domos tam superbas pares, una tamen certior est, Orci scilicet aula, hoc est sepulcrum.

Quid ultra tendis, apposita obiurgatio, habens τὴν γνώμην. quorsum, inquit, talia? putas diuites non morituros? *Falleris nam æqua tellus pauperi recluditur, regumq; pueris*. Idem dixit lib. j. Pallida mors &c. uide illum locum. Quidam scribit in manu scripto legi, Regumq; natis. Sed nihil refert. nam duas breues pro una longa poni usitatum est.

Satelles Orci, Charontis Periphrasis. Virg. Portitorem appellat.

Reuexit auro captus, parum distat hæc sententia ab illa Menandri. ἀθανασία δ' οὐκ ἔστιν οὐδ' ἂν συναγάγῃς τὰ Ταντάλου τάλαντα ἐκεῖνα λεγόμενα. sed, quid si ex Aeschylo conflata est? inquit enim ille, μόνος θεῶν θάνατος οὐ δώρων ἐρᾷ. lege Oden xiiij. Non si tricenis &c.

Vocatus, pro sua benignitate uocatus atque non uocatus deus adest. Primæ sententiæ simplicitas est. Mihi non sunt amplæ, ac pretiosæ diuitiæ. hanc simul ornat, dilatat, ac uestit enumeratione multarum rerum, quæ in diuitijs numerantur. ut sunt ebur, lacunaria aurea, trabes Hymettiæ, purpura, qua uoce non simpliciter est usus, sed elegantius, atque artificiosius faciens, dixit, se non habere clientas, quæ sibi purpuram nerent. cui non dissimile artificium adhibuit lib. iij. Ode xvj. in quo sibi proponens dicere, se non habere apes, aut uina, aut lanas ita fecit:

Quanquam nec Calabræ mella ferunt apes,
Nec Lestrigonia Bacchus in amphora

Languescat mihi, nec pinguia Gallicis
Crescant uellera pascuis.

Sumpto a consequentibus artificio, a quo non discessit lib.ij. Ode xvj. cum uellet ostendere sibi non esse greges, uaccas, equas, purpuram, sic faciens:

Te greges centum, Siculaeq; circum
Mugiunt uaccae, tibi tollit hinnitum
Apta quadrigis equa, te bis Afro
Murice tinctae.

Vestiunt lanae. atque ita gratiam, ac uenustatem carmini comparauit lege quae notauimus in Od.xvj lib.iij. trahere purpuram, quis non uidet esse locutionem ualde poeticam, pro nere lanam, ex qua purpura conficitur? eodem uerbo usus est Martialis in re simili. *Vltima voluentes orauit pensa sorores, Vt traheret parua stamina pulla manu.* Cuius uerbi loco frequenter poetae ducunt, & deducunt usi sunt. Ouid.

Leuia ducentes uersato stamina fuso.

Idem duere lanas, & uersare pollice stamina dixit. Cat.

Dextera tum leuibus deducens fila supinis
Formabat digitis. aliqui nere proprium non repudiarunt. Tib.
Parcae fatalia stamina nentes.

Sed mire Catullus dixit uellera impellere:

Hae tum clarisona pellentes uellera uoce.

Secundam sententiam omnibus esse moriendum, enumeratione, & exemplo illustrium uirorum mirabiliter expoliuit. Idem fecit vij. Ode lib. iiij. ibi, *Cum semel occideris, & de te splendida Minos &c.* de quo lege Od.iij. lib.ij. ibi. Et nos in aeternum exilium impositura cymbae.

IN BACCHVM. Ode XIX.

Sibi licere Bacchi laudes, ut eius numinis pleno, & concitato, canere.

BACCHVM *in remotis carmina rupibus*
Vidi docentem: credite posteri,
Nymphasque discentes, & aures
Capripedum Satyrorum acutas.
Eua recenti mens trepidat metu,
Plenoq; Bacchi pectore turbidum
Laetatur: eua, parce Liber,
Parce graui metuende thyrso.
Fas peruicaces est mihi thyadas,
Vinique fontem, lactis & uberes

Cantare riuos : atque truncis
Lapsa cauis iterare mella.
Fas & beatæ coniugis additum
Stellis honorem, tectaque Penthei
Disiecta non leui ruina,
Thracis & exitium Lycurgi.
Tu flectis amnes, tu mare barbarum:
Tu separatis uuidus in iugis
Nodo coerces uiperino
Bistonidum sine fraude crines:
Tu, cum parentis regna per arduum
Cohors gygantum scanderet impia,
Rhœtum retorsisti leonis
Vnguibus, horribilique mala:
Quanquam choreis aptior, & iocis,
Ludoque dictus, non sat idoneus
Pugnæ ferebaris : sed idem
Pacis, eras, mediusque belli.
Te uidit insons Cerberus aureo
Cornu decorum, leniter atterens
Caudam, & recedentis trilingui
Ore pedes, tetigitque crura.

COMMENTARII.

Bacchum, proditum est a sapientissimis, poetas diuino numine inspirari. hoc isto Horatij carmine confirmari potest. re uera à se ipso alienatus uidetur talia canens. sed aut uerus est furor, quo concitatus est, aut fortasse fictus. sane diuino quodam numine afflari poetas uulgatissimum est. sed potest re uera esse fictus furor, & ueri furoris imitatio. quo simulant poetæ se correptos, cum uideri uolunt, non sua facultate, sed deorum inspiratione, commotos commento quidem pulcherrimo, ad illustres homines laudandos uenisse. quod genus furoris partim ex duabus Odis Horatij, partim ex Aty, & Cybele Catulli elegantissime sunt imitati Marullus, & M. Antonius Flaminius. Hinc crediderim inductam illam usitatam consuetudinem Musas, ut alibi diximus, inuocandi, a quibus furorem istum ad præclare canendum accipiant. Sed dicere aliquis posset, idcirco in furorem incidisse poetam, quod Bacchũ, ut ait, uidisset. quo uiso statim a se fuerit alienatus, quod ex hac uociferatione apparet. Euæ mens trepidat metu, siquidem credidit antiquitas, quicunq; in aliquem deum, ut in Pana, in Cererem incurrissent, uel in fonte nymphæ imaginem uidissent, statim furere solitos, quos pani-

co terrore uexari dixerunt, & ceritas, ac lymphatos appellauerunt. ut uero id ex alijs dijs contingeret, eo magis furore concitari potuisse credendum est eum, qui Bacchum furoris deum uidisset. quo furore cum percitus fuisset poeta, recte Bacchi laudes cantare potuerit. nam de deo furente bene, nisi furens canere nemo potest. quales fuisse putandum est eos, qui dithyrambica cecinerunt. Hoc furore excitatum fuisse poetã apparet etiã in Od.iij.lib.iij. sed legite, quę nos attulimus de poetico furore lib.iij. Od.xxv.

In rupibus, multa, quæ a dijs, & Heroibus facta narrant poetæ, in antris, ac rupibus facta finxere. Silenum in antro duo pastores capiunt. Parnasiam rupem celebrat Virg. in antro Sibylla oracula dat Aeneæ. in specu nutritur Bacchus. sub rupe amissam Eurydicen deflet Orpheus, apud Virgilium, in rupe Bacchus docet nymphas, & apud ipsum Virg. Iuppiter in antro Dicteo nutritur. ibi. Dictæo Regem cœli pauere sub antro. Per Nymphas Musas intelligit. quod Acrõ animaduertit. Virg. Nymphæ noster amor Libetrides.

Eua, manifestus furor indicatur. metus uero est ex dei præsentia, lætitia quia Baccho erat plenus.

Turbidum, turbide. ex mentis consternatione.

Parce liber, quoniam ausus fuerat deum uidere, quod est nefas, uerebatur iram numinis. de Thyrso alij interpretes. nusquam tamen digniora scitu, quam est in Hist. deorum.

Fas peruicaces, aggreditur Bacchi laudes a rebus gestis. pulcherrima autem, & mirabilia eius facta commemorat. ex arte autem id facit, quoniã auctore Aristotele de arte dicendi, ubi de Demonstratiuo præcipit, uerã laus ex actionibus proficiscitur. & nihil est aliud laus, quam magnitudinem uirtutis declarans oratio. &, qui laudat, tales esse, aut fuisse actiones personæ, quæ laudatur, debet ostendere. De uini fonte, de riuis lactis præclara suo more Lambinus ex Euripidis Bacchis affert.

Penthei, de Pentheo Pausanias narrat ipsum a Bacchis discerptum, Higynius obiecta insania a libero Patre se ipsum occidisse.

Lycurgi, de huius exitu non consentiunt auctores inter se. Higynius hunc a Libero regno pulsum scribit, deum esse negãtem. eundem cum uinũ bibisset, ebrium factum, matrem uiolare uoluisse, uites incidisse, quod mali causam præberent, uxorem interfecisse, & mox ipsi Pantheras in Rhodope a Libero Patre obiectas. alij narrant, in quibus Homerus, atque Ouid. Baccho Lycurgum insidiatum, illumq; fugientem ad mare peruenisse, atque eo traiecto ad Naxum appulisse. alij a Tethide seruatum, sed ira deorum in furorem actum, crura sibi succidisse. de hoc etiam Ouid. iiij. Metam.

Penthea tu uenerande, bipenniferumq; Lycurgum.

Sacrilegos mactas. Quo in loco excurrit in Bacchi laudes, & omnia ab eo gesta commemorat. quæ studiosi cum his conferent. Hunc Propertius Vesanum appellat lib.iij. elegia ad Bacchum.

Vesanumq;

Vesanumq; noua nequicquam in uite Lycurgum

Pentheos in triplices funera grata greges. quod narrant Bacchum insidias Lycurgi fugientem ad mare uenisse, & a Tethide seruatum. Phurnutus interpretatur idcirco factum, ut ostenderent aqua marina mistum uinum conseruari. Sane legimus, Graecos, si quando uinum miscerent, tepefactis niuibus diluere solitos, nonnunquamq; marinam uino adhibuisse, ut esset incorruptius.

Additum stellis honorem, sic Propertius ad Bacchum:

Te quoque enim non esse rudem testatur in astris

Lyncibus in caelum uecta Ariadna tuis.

De Ariadnes corona plura lege apud Higynium lib. ij.

Tu flectis amnes, placet Porphyrionis interpretatio.

Nodo coerces, uel expone ut Lambinus, uel, si placet, ut Porphyrion. Ego tamen puto poetã ad fabulam allusisse. Narrant enim primum natum Bacchum Parcas cinxisse serpentibus immanibus, qui tamen innoxij pueri ora lamberent. Quare factum est, ut Bacchae se serpentibus cingerent. ad quod Cat. allusit. inquiens:

Pars sese tortis serpentibus incingebant.

Plutarchus quidem in Alexandro scribit, mulieres sacra Baccho facientes impune serpentes tractasse. ubi pluribus meminit de dracone, qui iuxta Olympiae matris dormientis corpus accubare solitus esset.

Te uidit insons Cerberus, idest, nulla ex parte nocens, innoxius. Cornua Baccho dari pueri sciunt. unde ταυρόμορφος, & ταυροκέφαλος, & ταυροκέρως est dictus. De Bacchi ad Inferos descensu lege Higynium, & Lilium. Siquis diligenter leget hoc carmen, certe statuet ijs uerbis, atque ijs sententijs esse confectum, ut aut deus aliquis inter homines, aut poeta diuinitus afflatus talia cecinisse uideri posit. Quamuis Scaliger obijciat finem carminis esse admodum languidum, scilicet, & recedentis trilingui ore pedes, tetigitq; crura. addatq; inopis esse poetae, non diuini. atqui canum morem hũc esse quis nescit, ut crura, ac pedes eorum olfaciant, quibus infensi non sunt? quod notauit poeta in Cerbero Bacchi crura lugente, quod fuit signum, quod saeuitiae oblitus esset, & amicitiae, & gratulationis argumentum. ut Lambini uerbis utar. Hoc recedenti Baccho fecit Cerberus. & recte quidem mihi fecisse uidetur poeta, qui, cum Bacchus superos repetens ab inferis recederet, carmen Cerberi blanditijs ad reuerentiam, & potentiam numinis augendam conclusit.

AD

AD MAECENATEM. Ode XX.

Famam suam æternam fore.

NON vsitata, nec tenui ferar
Penna biformis per liquidum æthera
Vates, neque in terris morabor
Longius: inuidiaq; maior
Vrbes relinquam, non ego pauperum
Sanguis parentum, non ego, quem vocas,
Dilecte Mæcenas obibo:
Nec Stygia cohibebor vnda.
Iamiam residunt cruribus asperæ
Pelles: & album mutor in alitem
Superne: nascunturq; leues
Per digitos, humerosq; plumæ.
Iam Dædaleo ocyor Icaro,
Visam gementis littora Bospori,
Syrtesq; Getulas canorus
Ales, Hyperboreosque campos.
Me Colchus, &, qui dissimulat metum
Marsæ cohortis, Dacus, & vltimi
Noscent Geloni. me peritus
Discet Iber, Rhodaniq; potor.
Absint inani funere neniæ,
Luctusque turpes, & querimoniæ.
Compesce clamorem, ac sepulcri
Mitte superuacuos honores.

COMMENTARII.

Qui gloriam non expetit, aut stolidus, aut abiecto animo est. quo enim quisque altiori est animo, eo magis huius amore incenditur. nec ullus unquam laudem aut in artibus, aut in bellicis rebus sine hoc stimulo est adeptus. Hoc enim uirtutis premium homines, & eius gradibus in cęlum ascendi semper existimarunt. sane uirtutem gloria sequitur. Ad summam huius peruenisse poeta gloriatur carmine uere diuino. quod unum fortasse satis erat ad immortalitatem sibi comparandam. profecto, si inuentionem spectemus, nihil pulchrius, quam fingere se in Cycnum conuersum, in quo duo sibi in mentem uenerunt. primum auis celeritas, deinde dulcedo in canendo,

do, ob quam suauitatem poetæ Cycnis comparantur. quamuis multi negēt hanc auem canere, quod nemo non miretur, cum ita loquamur apud Hor. O mutis quoque piscibus donatura Cycni si libeat sonum. & apud Ouid. Sic ubi fata uocat udis abiectis in herbis, Ad uada Meandri concinit albus olor. vel apud Virg. Ceu quondam niuei liquida inter nubila Cycni, Cum sese è pastu referunt, & lōga canoros Dant per colla modos, sonat amnis, & Asia longe Pulsa palus. uel illud apud Ciceronem in procemio lib. iij. de Orat. de Crassi suauitate in dicendo. Illa, inquit, tanquam Cycnea fuit diuini hominis uox, & oratio. Quod ait se non usitata penna ferri, indicat non vulgarem esse, aut humilem eius famam, cum nemo ante illum in hoc scribendi genere adeo excelluerit. Totum autem carmen est sub forma illustri. λαμπρότητα Hermogenes uocat. cuius sententiæ sunt, res præclare gestæ, quæ gloriam dicenti, & sibi, & auditoribus lætitiam afferunt. sic ille. γίνεται τοίνυν λόγος λαμπρὸς κατ᾽ ἔννοιαν μὲν ὅταν πεποίθησιν ἔχῃ τινὰ ὁ λέγων ἐφ᾽ οἷς ἂν λέγῃ διὰ τὸ ἔνδοξα εἶναι, ἢ διὰ τὸ καλῶς πεπρᾶχθαι αὐτῷ. ἢ διὰ τὸ χαίρειν τοῖς λεγομένοις τοὺς ἀκούοντας. ἢ καὶ διὰ πάντα ταῦτα. Hoc apparet esse poetæ propositum, ut de sua uirtute glorietur. qua commemoratione se, atque auditores delectat. In hoc eodem genere uersatur totum illud carmen. Exegi monumentum ære perennius. Cum uero confidenter, &, ut Hermogenis uerbis utar, θαῤῥῶν μετ᾽ ἀξιώματος, ἀλλὰ μὴ ἐνδιάζων, loquitur, maxime seruauit huius formæ artificium. uidere enim licet, quam libere, nihil dubitanter de se ipso dicat. Non usitata, nec tenui ferar penna biformis per liquidum æthera, cum omnibus quæ sequuntur. Et, quoniam hoc genus magnificentiam uerborum requirit, ea ascruit, quibus nihil illustrius. Quam splēdida sunt Bosphorus, Syrtes, Hyperborei, Colchus, Dacus, Geloni, Iber, Rhodanus? in uerbis enim dignitatis prouinciarū, populorumq; nomina reponimus. ut Europa, Asia, Hesperia, India, Aegyptus, Romani, Persæ, Garamantes, Italia, præterea fluminum nobilium. ut Nilus, Ganges, Erydanus & huiusmodi. de quo superius. Compositio ipsa non abest a dignitatis præceptis. sententiæ enim longiusculæ sunt, nec prius finiuntur, quam ad quartum quemq; uersum peruenerint. Hactenus de formæ artificio. quæramus, quam nitide, atque eleganter nudas sententias conuestiuit, & ornauit. quod sæpe monuimus spectandum uel in nostris, uel in alienis scriptis. Videte, quam uarie quam poetice hanc sententiam simplicem transformarit, scilicet, Ero immortalis. Non usitata, nec tenui ferar penna per lucidum æthera. In terris non longius morabor. urbes relinquam. Quæ omnia idem ualent, & declarāt immortalitatem. Verbum Obibo sic uariauit. Non omnis moriar. Magna pars mei uitabit Libitinam. & Nec stygia cohibebor unda. Modi elegantissimi & in primis artificiosissimi ad immortalitatem exprimendam. poetæ enim sic loquuntur, qui sine ulla laude inglorij mortui sunt, ad inferos detrusos esse, styge, ac lethe premi,

mi, tenebris, & obliuione obrui dicunt. quare sic poeta alibi:

Sed omnes illacrymabiles
Vrgentur, ignotiq; longa
Nocte, carent quia uate sacro. Et:
Hac Quirini Martis equis Acheronta fugit.

Contra frui cœlo fortes, & illustres uiros prædicant. epulis deorum accumbere, ut:

Cœlo Musa beat. Et:
Hac arte Pollux, hac uagus Hercules
Innixus, arces attigit igneas. Et:
Epulis accumbere diuum, . Et:
Quos inter Augustus recumbens
Purpureo bibit ore nectar.

Inuidiaq; maior, sic lib. iiij. Od. iij. Et iam dente minus mordeor inuido. Quod ait, Nō ego pauperum sanguis parentum, non dissimulat generis obscuritatem. quemadmodum Ode ultima lib. iij. Ex humili potens princeps Aeolium carmen ad Italos deduxisse modos. quod in Epistolis, atque in Satyris non diffitetur. Hic non est prætermittendum, quod scribit Scaliger. Hanc Oden esse magni spiritus, & dignam tanto ingenio, illa tamen non conuenire, scilicet Non ego quem uocas dilecte Mecenas obibo, ubi dicit nullum esse πάθος. ego libenter doceri uellem, quod πάθος illa sententia desideret. sane nihil aliud quæsiuit poeta, quam ut ostenderet se non moriturum, ad hoc autem indicandum quid opus fuerat affectu?

Iam iam residunt, poetæ in Cycnum transformatio. similiū apud Ouid. infinitæ mutationes. ut de coronide, Brachia cœperunt leuibus nigrescere pennis, & de Cycno, Digitosq; ligat iunctura rubentes, penna latus uelat.

Iam Dædaleo, pulchrius fieri non poterat, cū significandum esset omnibus terris notum fore suum nomen. id consecutus est, toto in partes diducto. quod Ode iij. lib. iij. fecit:

Horrenda late nomen in ultimas
Extendet oras, qua medius liquor
Secernit Europen ab Afro,
Qua tumidus rigat arua Nilus.

Epithetis nihil lectius. Sed ea per se unusquisque notare potest. Notabunt Adolescētes pulchram uarietatem, siue interpretationem. Cum enim dixisset, Visam gementis littora Bosphori. non amplius usus est eodem uerbo. Sed idem mox dicturus, Aliud idem ualens, intulit, scilicet noscent Geloni. subinde idem repetiturus, aliud subrogauit. inquiēs, Me peritus discet Iber, Rhodaniq; potor. Rhodani autem potor sic dictum est, quemadmodum illud, Non qui profundum Danubium bibunt. sic locutus est Virg. Qui Tyberim Fabarinq; bibūt. & ipse Hor. Extremum Tanain si biberes Lyce,

talem sententiam libro quarto Ode decimaquarta protulit. & eodem usus est artificio:

Te Cantaber non ante domabilis
Medus, & Indus, te profugus Scythes Miratur. Rem autem magis amplificans ab eodem consilio non recedit, Subdit enim:

Te fontium qui celat origines,
Nilusq;, & Ister, te rapidus Tygris,
Te Belluosos qui remotis
Obstrepit Oceanus Britannis.

Quasi uero illa non satis fuissent ad rem dilatandam, cum incredibili felicitate ingenij, & iudicij, hæc etiam adiungit.

Te non pauentis funera Galliæ
Duræq; tellus audit Iberiæ,
Te cæde gaudentes Sicambri
Compositis uenerantur armis.

CAR-

CARMINVM
LIBER TERTIVS.

Non opibus, aut honoribus, sed quiete animi uitam beatam esse. Ode I.

O*Di profanum vulgus, & arceo.*
Fauete linguis . carmina non prius
Audita, Musarum sacerdos,
Virginibus, puerisque canto.
Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperum est Iouis
Clari gyganteo triumpho,
Cuncta supercilio mouentis.
Est, vt viro uir latius ordinet
Arbusta sulcis: hic generosior
Descendat in campum petitor:
Moribus hic, meliorque fama
Contendat: illi turba clientium
Sit maior. æqua lege necessitas
Sortitur insignes, & imos:
Omne capax mouet vrna nomen.
Districtus ensis cui super impia
Ceruice pendet, non Siculæ dapes
Dulcem elaborabunt saporem,
Non auium, citharæque cantus
Somnum reducent, somnus agrestium
Lenis virorum non humiles domos
Fastidit, vmbrosamque ripam:
Non zephyris agitata Tempe.
Desiderantem quod satis est, neque
Tumultuosum sollicitat mare,
Nec sæuus Arcturi cadentis
Impetus, aut orientis hædi,
Non verberatæ grandine vineæ,

Fundusq; mendax arbore nunc aquas
Culpante, nunc torrentia agros
Sidera, nunc hiemes iniquas.
Contracta pisces æquora sentiunt
Iactis in altum molibus. huc frequens
Cæmenta demittit redemptor
Cum famulis, dominusq; terræ
Fastidiosus. sed timor, & minæ
Scandunt eodem, quo dominus: neque
Decedit ærata triremi: &
Post equitem sedet atra cura.
Quod si dolentem nec Phrygius lapis,
Nec purpurarum sidere clarior
Delenit vsus: nec Falerna
Vitis, Achæmeniumque costum:
Cur inuidendis postibus, & nouo
Sublime ritu moliar atrium?
Cur valle permutem Sabina
Diuitias operosiores?

COMMENTARII.

Odi profanum uulgus, grauissimum carmen, & grauissime tractatum. nihil in eo uideo prætermissum ex ijs, quæ ad dignitatem orationis attinent, σεμνὸν uocat Hermogenes. Cuius cum multiplices sint sententiæ, hic ea est, quam ille auctor huic formæ subijcit, scilicet cum dicimus uniuersis hominibus uitæ finem esse mortem, & propterea ea fugienda, quæ beatæ uitæ impedimento sunt. Cuiusmodi sunt honores, ac diuitiarum cupiditas. sic Hermog. καὶ πέρας μὲν γὰρ ἅπασιν ἀνθρώποις ἐπὶ βίου θάνατος. Finis omnibus mortalibus est mors. Cum igitur propositum hoc sit poetæ, finem omnium esse mortem, recte hortatur nos ad uitæ tranquillitatem: quod nemo assequi potest, qui ambitione, & diuitiarum cupiditate tenetur. Et quoniam uitam hominum instituit, & mores format, in hac merito figura uersatur. de qua sic Trapezuntius: Tertio loco ponimus quibus uitam hominum instituimus, bene uiuendi præcepta damus, a uitijs depellimus. Qualia omnia sunt, quæ ad mores pertinent. Cum uero hoc generaliter faciat, atque omnes homines comprehendat hac admonitione, eo magis in hac forma persistit poeta. sic enim Hermogenes: ἁπλῶς δ' εἰπεῖν, πάντα ὅσα ὡς τοῦ καθόλου γενικῶς λέγεται, σεμνὰς ἔχει πως τὰς ἐννοίας· καὶ μάλιστα εἰ μόνον ἐπὶ τοῦ καθόλου τὶς, διαπαντὸς αὐτὰ ἐργάζοιτο. εἰ γὰρ προσλαμβάνοι τὸ κατὰ εἶδος, ἀλ-

μήτι πολύ. id est, Denique, ut uno uerbo cõcludam, quæcunque generaliter afferuntur, graues habent sententias. præsertim si quis in genere semper id egerit. quod si speciatim id agat, aliud quippiam facit. Quod uero nihil ambigit poeta, sed libere loquitur, non discedit a Formæ artificio. nam, si dubitanter dicatur, morata fuerit oratio. Verba figuræ respondent. Eiusmodi enim sunt, ut quam maxime exquisita ad sonum, & ad uim, grauitatemq; uideantur. Sed singulas huius carminis partes inspiciamus.

Odi profanum. merito sic uocat. Nam sic Cic. pro Plancio: Non est enim consilium in uulgo, non ratio, non discrimen, nõ diligentia, ut mirum non sit, si omnes illud tanquam pestem abhorrent. poetæ quidem ignominiosis nominibus illud semper sunt prosecuti.

Carmina non prius audita, etiam pueri uident esse attentionem.

Musarum sacerdos, sic appellantur poetæ. Tib. lib. ij. eleg. v.

Phœbe, faue, nouus ingreditur tua templa sacerdos
Itala per graios Orgia ferre choros. Idem:
Sacra facit uates, sint ora fauentia linguis. Virg. de Orpheo:
Nec non Threicius longa cum ueste sacerdos.

Virginibus, Scaliger plenum sapientiæ carmen, arduum, numerosumq; fatetur, sed dubitat minus se ipso fieri auditione uirginum, & puerorum. Atqui nulla alia auditione magis digna uidebantur. non enim profanis hæc canuntur, sed pijs, sed puris, recteq; sentientibus. Quare initio Carminis profanum uulgus, ut pote indignum talia audire, arcet. quis ignorat in rebus sacris pueros, & Virgines introductas? ætas puerorum, & Virginum sanctitas in primis apta sunt, quæ rebus diuinis interfint. Hinc est illud in primo libro Ode xxj. Dianam teneræ dicite Virgines. Intonsum pueri dicite Cynthium. & in carmine sæculari, hortatur pueros, & Virgines canere carmen sanctissimum, sic: Virgines lectas, puerosq; castos Dijs, quibus septem placuere colles, Dicere carmen. Quid, quod sexcenties in sacris Dauidis carminibus non alij fere, quam pueri, ac Virgines Domini laudes canere iubentur?

Regum timendorum, Gradatio, ex figuris sententiarum.

Cuncta supercilio mouentis. incredibilis Iouis potentia declaratur. Ex Homero, qui lib. j. Iliadis de Iouis potentia ita locutus est.

ἦ καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε κρονίων,
Αμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπερρώσαντο ἄνακτος.
Κρατὸς ἀπ' ἀθανάτοιο. μέγαν δ' ἐλέλιξεν ὄλυμπον. Hoc est. Dixit, & Cyaneis supercilijs annuit Iuppiter. ambrosiæ autẽ comæ regis a diuino capite concussæ sunt. ingens autem cœlũ tremefecit. quod sumpserat antea Virg.

Annuit. & totum nutu tremefecit Olympum.

Hi sunt uersus illi, ex quibus Phidias dixit se Iouis simulacrum arte tam mirifica confecisse.

Est ut uiro uir, eadem sententia cum prima Ode libri primi, de uarijs hominum studijs.

Aequa lege, neminem posse fatum, mortemq; uitare. quam uarie hanc sententiam uariarit, lege Oden quartam libri primi ad illum locum Pallida mors.

Mouet urna, sic alibi: Omnium uersatur urna.

Districtus ensis, egregia, ac sapiens sententia. beate uiuere non posse, qui aliquo metu, aut animi perturbatione torquetur. id confirmat argumento sumpto a sensibus; ab ijs præsertim, in quibus est summa iucunditas, gustatu, scilicet, & auditu. gustatus nihil aliud optat, quam epularum suauitatem. aures soni, & cantus dulcedine delectantur, quam auium cantu, & citharæ sono metitur.

Somnus agrestium, pulchra probatio a contrario. sicut enim curæ somnos adimunt, ita securitas inducit, atque alit. hanc autem uitæ securitatem elegantissime Virgilius describit:

At secura quies, & nescia fallere uita,
Diues opum uariarum, & latis otia fundis,
Speluncæ, uiuiq; lacus, & frigida tempe
Mugitusq; boum, mollesq; sub arbore somni.

Desiderantem quod satis est, duo, ex quibus diuitiæ comparantur numerat, Nauigationem, & Agricolationem. utriusque incommoda ante oculos proponens. quibus carent, qui eo, quod satis est, contenti sunt. hoc autem ualde eleganter est expressum. quod ait mare tumultuosum, alibi tumultus Aegeos dixit.

Contracta pisces æquora, hominum insanam cupiditatem notat, qui non contenti ædificijs in continenti extructis, in alieno elemento ædificiunt. Idem dixit Ode xv. lib.ij.

Iam pauca aratro iugera regiæ
Moles relinquent. & Ode xviij.
Et sepulchri
Immemor struis domos
Marisq; Baijs obstrepentis urges
Summouere littora.
Parum locuples continente ripa. & Ode xxiiij.
Intactis opulentior
Thesauris Arabum, & diuitis Indiæ
Cæmentis licet occupes
Tyrrhenum omne tuis, & mare Ponticum &c.

Sed timor, Idem dixit Ode xvj. lib.ij.

Scandit æratas uitiosa naues
Cura. nec turmas equitum relinquit

Ocyor

Ocyor uentis, & agente nimbos
Ocyor Euro.

Quod si dolentem, frustra nos in diuitijs quęrendis laborare ostendit, si nihil proficiunt ad curas pellendas. meminerimus ad easdem species se retulisse more suo, cum genere id efficere potuisset. uolebat enim significare, nulla re quamuis pretiosa curas pelli. confugit ad gemmas, ad purpuram, ad uineas, ad odores. quæ omnia magno habentur pretio.

Pueros a teneris unguiculis ad fortitudinem, & tolerantiam assuefieri oportere. Ode II.

ANGVSTAM, *amici, pauperiem pati*
Robustus acri militia puer
Condiscat: & Parthos feroces
Vexet eques metuendus hasta:
Vitamque sub dio, trepidis agat
In rebus. illum ex mœnibus hosticis
Matrona bellantis tyranni
Prospiciens, & adulta uirgo,
Suspiret: heu, ne rudis agminum
Sponsus lacessat regius asperum
Tactu leonem: quem cruenta
Per medias rapit ira cædes.
Dulce, & decorum est pro patria mori.
Mors & fugacem persequitur uirum:
Nec parcit imbellis iuuentæ
Poplitibus, timidoque tergo.
Virtus repulsæ nescia sordidæ,
Intaminatis fulget honoribus:
Nec sumit, aut ponit secures
Arbitrio popularis auræ.
Virtus recludens immeritis mori
Cælum, negata tentat iter uia:
Cœtusque uulgares, & udam
Spernit humum fugiente penna:
Est & fideli tuta silentio
Merces: uetabo, qui Cereris sacrum
Vulgarit arcanæ, sub ijsdem
Sit trabibus, fragilemque mecum

Soluat

Soluat faselum. sæpe Diespiter
Neglectus, incesto addidit integrum.
Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

COMMENTARII.

Angustam, in disciplina puerorum non mediocriter laborarunt ueteres. uoluerunt ad patientiam laborum, & malorum illos erudiri. Hos secutus poeta, ab omni mollicie, ac uoluptate arcendos pueros iubet. multa de hac disciplina sunt apud Platonem, præcipue in dialogo secundo de legibus, & in initio Lachetis. apud Xenophontem in Cyri Pediæ lib. j. Aristoteles multa & ipse tradit lib. vij. & viij. Politices, uiderunt doctissimi uiri rectam educationem ad ciuitatis felicitatem pertinere. De hac uirili & robusta educatione noster poeta lib. iij. Od. xxiiij. idem sensit, cum inquit:

Eradenda cupidinis
Praua sunt elementa, & teneræ nimis
Mentes asperioribus
Formandæ studijs. &c.

Huius educationis exemplo est Philippus, qui Aeliano auctore multis illustrium uirorum filijs delectis, ut sibi ministrarent, eos laborum patientes, & ad officium alacres, & paratos esse uolebat. qui uero ad imperata facienda ignaui essent, his διέκειτο πολεμίως, idest, tanquam hostis in eos erat affectus. Quare Anethum flagris cecidit, quod, cum sitiret, aciem deserens, se in diuersorium contulerat. Archedamum uero occidi iussit, quod, cum in armis esse iussus esset, illa deposuisset.

Angustam pauperiem, male audit paupertas apud omnes. Alcæus de ea.
Ἀργαλέον πένια κακὸν, ἄσχετον, ἃ μέγαν
δάμνησι λαὸν, ἀμηχανία σὺν ἀδελφεά. idest, Graue malum, intolerabile paupertas, quæ populum domat cum desperatione sorore. Huic sententiæ consentit alter Græcus poeta:

πενίαν φέρειν, καὶ γῆρας ἐστὶ δύσκολον, οὐδὲν πενίας βαρύτερον ἐστὶ φορτίον. Hoc est, Paupertatem ferre, & senectutem difficile est, nullum paupertate onus grauius est. Idcirco Hor. Od. ix. lib. iiij. duram appellauit. ibi:

Durumq; callet pauperiem pati. Hanc sapientes tantum ferre didicerunt. iuxta illud Græci poetæ:

πενίαν φέρειν, οὐ παντὸς, ἀλλ' ἀνδρὸς σοφοῦ. Paupertatem ferre non cuiusuis est, sed sapientis. In hanc sententiam multa, quæ comportari possent, omitto.

Robustus acri militia, cur potissimum in militia uult poeta pueros exerceri? puto ex Aristotelis Politices octauo admonitum ita sensisse. qui philosophus

losophus in ijs, quæ in ciuitate necessaria sunt, ponit arma, quibus uel magistratibus parere cogantur improbi, uel uis externa propulsetur.

Parthos feroces, pro omnibus populis posuit inimicis. animaduertendum genus prius posuisse, ideſt militiam, postea genus ipsum in species deduxisse ad orationis dilatationem, secus sicca futura erat oratio, & insuauis. Cum dicit, Illum ex mœnibus hosticis matrona bellantis tyranni &c. amplificatio eſt uirtutis.

Asperum, ideſt iuuenem, ceu Leonem ferocientem. translatio eſt habēs instar imaginis. parum enim inter se discrepant μεταφορὰ, & εἰκών. auctore Arist. iij. de arte dicendi.

Dulce & decorum, allusit poeta ad illud Tyrtei antiquiſsimi elegiarum scriptoris, iuuentutem ad laudem bellicam cohortantis, sic.

Ἡ δ' ἀρετὴ τὸ δ' ἄεθλον ἐν ἀνθρώποισιν ἄριστον
Κάλλιστον δὲ φέρειν γίγνεται ἀνδρὶ νέῳ
Ξυνὸν δ' ἐσθλὸν τοῦτο, πολῆϊ τε, πάντι δὲ δήμῳ
Ὅστις διαβὰς ἐν προμάχοισι μένῃ.
Νωλεμέως, αἰσχρᾶς δὲ φυγῆς ἐπιπάγχυ λάθηται,
Ψυχὴν, καὶ θυμὸν τλήμονα παρθέμενος.

Hoc eſt. Hæc uirtus, hoc pręmium in hominibus optimum, & pulcherrimum fert homini iuueni commune bonum. hoc ciuitatiq́;, & uniuerso populo, quicunque uir progressus in prima acie pugnet constanter, turpisq; fugæ prorsus obliuiscitur, uitam, atque animum patienter obijciens.

Mors & fugacem. vt magis ad uirtutem accendat iuuentutem, proponit illi immortalitatem, quam eleganter describit. qui modus erit in ijs, quos non semel superius obseruauimus, reponendus, cum de immortalitatis locis dicere contigit. Eſt autem occupatio, qua tacite respondet ijs, qui obijcere potuissent. satius esse fugere, quam mori. minime, inquit: nam, licet fugias, nihilominus ubique mors imminet.

Eſt & fideli tuta silentio, hic uerborum inuolucris uult poeta, præter militiam, puerilem ætatem religione imbui. nec, quemadmodum putat Lambinus, eſt digreſsio. nam digreſsiones non sunt alienæ a causa. cuiusmodi hæc esset. quid enim eſt simile silentij cum uirtute bellica? de qua intelligit. qui uoluit cum uirtute iſta, qua præstare uult adolescentem, religionem quoque, quæ eſt deorum cultus, coniungendam. in hoc loco, nisi fallor, Horatius non recedit ab Aristotelis præceptis, quæ sunt in suis libris Politicis, quos adduximus. quare per eum, qui sacra Cereris uulgarit, non arbitror de silentio intelligendum. Sed, quoniam huius deæ sacra silentio celebrabantur, & maximum erat nefas ea diuulgare, per hanc reuelationem, ut ita dicam, omne nefas, specie loco generis posita, intelligendum puto. hoc sensu. non tantum militiæ, & rebus asperis assuescendum eſt, sed etiam religioni. sic, ut omne nefas uitemus. Quod sequitur, additum eſt, ut ho-

mines intelligant, quam perniciosa sit impiorum hominum consuetudo, & societas.

Virtute præditum uirum nihil extimescere. Iunonis Oraculum de Imperio Romano. Ode III.

IVSTVM, & tenacem propositi virum,
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non uultus instantis tyranni
Mente quatit solida, neque Auster
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Iouis manus.
Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.
Hac arte Pollux, & uagus Hercules
Innixus, arces attigit igneas.
Quos inter Augustus recumbens
Purpureo bibet ore nectar.
Hac te merentem, Bacche pater, tuæ
Vexere tigres, indocili iugum
Collo trahentes: hac Quirinus
Martis equis Acheronta fugit:
Gratum elocuta consiliantibus
Iunone diuis. Ilion, Ilion
Fatalis, incestusque iudex,
Et mulier peregrina uertit
In puluerem, ex quo destituit deos
Mercede pacta Laomedon, mihi,
Castaque damnatum Mineruæ
Cum populo, & duce fraudulento:
Iam nec Lacenæ splendet adulteræ
Famosus hospes: nec Priami domus
Periura pugnaces Achiuos
Hectoreis opibus refringit:
Nostrisque ductum seditionibus
Bellum resedit: protinus & graues
Iras, & inuisum nepotem,
Troica quem peperit sacerdos,
Marti redonabo. illum ego lucidas
Inire sedes, ducere nectaris
Succos, & adscribi quietis

Ordinibus

Ordinibus patiar deorum.
Dum longus inter sæuiat Ilion,
Romamque pontus: qualibet exules
In parte regnanto beati;
Dum Priami, Paridisque busto
Insultet armentum, & catulos feræ
Celent inultæ: stet Capitolium
Fulgens, triumphatisque possit
Roma ferox dare iura Medis.
Horrenda late nomen in ultimas
Extendat oras: qua medius liquor
Secernit Europen ab Afro:
Qua tumidus rigat arua Nilus:
Aurum irrepertum, & sic melius situm,
Cum terra celat, spernere fortior,
Quam cogere humanos in usus,
Omne sacrum rapiente dextra.
Quicunque mundi terminus obstitit,
Hunc tangat armis, uisere gestiens,
Qua parte debacchentur ignes,
Qua nebulæ, pluuijque rores.
Sed bellicosis fata Quiritibus
Hac lege dico, ne nimium pij,
Rebusque fidentes, auitæ
Tecta uelint reparare Troiæ.
Troiæ renascens alite lugubri
Fortuna, tristi clade iterabitur,
Ducente uictrices cateruas
Coniuge me Iouis, & sorore.
Ter si resurgat murus aheneus
Auctore Phœbo: ter pereat meis
Excisus Argiuis: ter uxor
Capta uirum, puerosque ploret.
Non hæc iocosæ conueniunt lyræ.
Quo Musa tendis? desine peruicax
Referre sermones deorum, &
Magna modis tenuare paruis.

COMMENTARII.

Iustum, & tenacem, initio carminis rem tractat a philosophis crebro usurpatam. De qua nusquam neque plura, neque meliora legas, quam se-

cunda Tusc. apud Cic. Is statuit apud homines non tantum doctos, hoc est philosophos, sed etiam indoctos, constare uirorum esse fortium & magnanimorum, & patientium, atque humana uincentium, toleranter dolorem pati. neque quenquam fuisse, qui eum, qui ita pateretur, non laudandum putaret. Sed uidendum, quibus in rebus hæc fortitudo, ac patientia sit laudanda. nempe in rebus honestis. Incudi similem esse uirum constantem, duo uersiculi Græci indicant. quæ quamuis malleis ingentibus tundatur, nihilominus strepitum ipsa non timet.

ἄκμων μέγιστος οὐ φοβεῖται τοὺς ψόφους.
καὶ νοῦς ἐχέφρων πᾶσαν ἐλκοῦσαν βίαν.

Cum iustum dicit poeta, notat eam fortitudinem, quæ cum uirtute, atque honestate coniuncta est. Cum uero tenacem addit, patientiam in dolore, & in sustinendo amplitudinem, quod unum est rerum omnium pulcherrimum.

Non ciuium ardor praua iubentium, magis declarat fortitudinem. malunt enim hac uirtute muniti quiduis pati, quam eam labefactare, atque ab officio recedere praua metu facientes..

Non uultus instantis Tyranni, duo sunt, quibus plerunque cædunt homines, princeps, & populus. quibus nisi indulgeamus, maxima pericula, ac mala subeunda sunt. significat autem, uel ex Democratia, uel ex Tyrannide, nisi dicto pareamus, uel dolore excarnificari, uel morte nobis perire oportere. duo autem hæc sunt, quæ fortis debet contemnere. solidam autem mentem appellans, firmum, atque immutabile propositum eleganti figura significat.

Neque auster, ea numerat, quæ perterrefacere, ac cogere homines possunt. quibus uir fortis nequaquam mouetur. Ventos, ac fulmina pro rebus terribilibus usurpat poeta sic ult. Ode huius libri:

Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Possit dirruere. sic Ouid.
Iamq; opus exegi, quod nec Iouis ira, nec ignes,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere uetustas.

Insignis amplificatio enumeratione multarum rerum terribilium. Cum more suo tot species adhibuisset, mirifice ornauit sententiam. In amplificatione autem ista, quæ est inducta per incrementum, optimum secutus est ordinem, semper superiori grauius subijciens. formidabile est, ardor ciuium praua iubentium. maius est Tyrannus imperans. auster uero, qui flecti non potest, longe maius, fulmine demum quid terribilius? Cum autem addiderit, Si fractus illabatur orbis. nihil prorsus inueniri potuit formidolosius. tale incrementum est lib. j. Od. xvj. ibi:

Quos neque Noricus
Deterret ensis, nec mare naufragum,

Nec

Nec sæuus ignis, nec tremendo
Iuppiter ipse ruens tumultu.

Quod uocat Auſtrum ducem Hadriæ alibi uocat, arbitrum Hadriæ.

Hac arte Pollux, qui hac conſtantia uſi ſunt, immortales factos dicit. & erit ſuperioris ſententiæ probatio ab exemplis. Loci autem immortalitatis ſunt animaduertendi. ij ſunt, arces igneas attingere, bibere nectar deorum, Bacchum in cœlum uectum tygribus. Auguſtum fugiſſe Acheronta. talia ſunt illa libri quarti Ode octaua, *Ereptum Stygijs fluctibus Aeacum*. Virtus & fauor, & lingua potentium Vatum diuitibus conſecrat inſulis. & illud:

Sic intereſt
Optatis epulis impiger Hercules.
Clarum Tyndaridæ ſidus ab infimis
Quaſſas eripuit æquoribus rates.
Ornatus uiridi tempora pampino
Liber, uota bonos ducit ad exitus.

Qui duo ultimi modi præclari ſunt. quibus oſtenditur, & Tyndaridas, & Bacchum deos factos. Ea autem præſtare non potuiſſent, niſi dij fuiſſent, ſunt certe hæc deorum munera. Idem ſic ad Bacchum:

Stellis inſerere, & concilio Iouis. & illud:
Nec Stygia cohibebor unda. Et:
Multaq; pars mei uitabit Libitinam.

Quod ait Auguſtum bibere nectar, elegantiſsimo uſus eſt modo. Id inde ſumptum, quod in nectare, & ambroſia eſſet immortalitas, & idcirco, qui eam guſtaſſent, immortalem cum dijs uitam degere putabantur. cuius rei Pindarus teſtis eſt, in prima Olymp. de Tantalo mentionem faciens. quem ait, cum a Ioue in conuiuium adhibitus fuiſſet, & nectar, & ambroſiam ſurripuiſſet, ac ſodalibus diſtribuiſſet, Sipylo monti ſuppoſitum a Ioue. & ea pœna affectum. nolebat enim Iuppiter homines mortalitati ſubiectos, tanquam deos immortalem uitam degere. Sic Pindarus:

ἔχει δ' ἀπάλαμον βίον
τοῦτον ἐμπεδόμοχθον
μετὰ τριῶν τέταρτον
πόνον, ἀθανάτων ὅτι κλέψας
ἁλίκεσσι συμπόταις
νέκταρ, ἀμβροσίαν τε
δῶκεν. οἷσιν ἄφθιτον

θέσαν. ideſt, habet autem, ſcilicet Tantalus uitam nulla induſtria reparabilem hanc, & laborioſam, cum tribus quartum laborem. deorum quoniam furatus nectar, & ambroſiam ſodalibus coæuis impartitus eſt. in quibus dij immortalitatem poſuerunt.

Gratum

Gratum elocuta, lege Porphyrionem.

Illum ego lucidas, Hinc poetæ felicitas agnosci licet, alios modos excellentes immortalitatis exprimendæ adhibentis. quos superioribus adnectemus. Quod ait, Et adscribi quietis ordinibus patiar deorum, simile est illi, Dijs miscent superis.

Dum Priami, quam poetice factum est? significat modo in ruinis iaceat Ilium, hic ea, quæ in urbium ruinis consequuntur, poetæ in mentem uenerunt. Hunc locum nos obseruauimus lib.ij.de Imitatione. Huic simillimus est ille locus Epod.xvj.

Ferisq; rursus occupabitur solum.
Impia perdemus deuoti sanguinis ætas

Horrenda, elegantissime hanc sententiam expressit. significat longissime peruentutum Romanum nomen. pro remotissimis sumpsit Gaditanum fretum, quod diuidit Europam ab Africa. & Aegyptum, qua Nilus fluit. hæc sententia sæpe incidit. quare obseruãdus locus: multum enim profuerit imitanti.

Aurum irrepertum, sapientissimi quique aurum damnant. quo æquo animo carere potuisset genus humanũ. respexit poeta ad illud Timocreontis Lyrici diuitias detestantis:

ὤφελες ὦ τυφλὲ πλοῦτε
μήτ' ἐν γῇ. μήτ' ἐν θαλάττῃ,
μήτ' ἐν ἠπείρῳ φανεῖναι
ἀλλὰ τάρταρόν τε ναίειν, καὶ ἀχέροντα
διὰ σὲ γὰρ πάντα ἐν ἀνθρώποις κακά.

Ideo poeta sic hortatur Ode xxiiij. huius libri:

Vel nos in mare proximum
Gemmas, & lapides, aurum & inutile
Summi materiam mali mittamus.

Quicunque Mundo, dicturus aliud superiori sententiæ simile, scilicet late nomen in ultimas extendet oras, alia longinquiora excogitauit. Quare, nisi hæc arripuerimus, rudes, ac bardi fuerimus. pro remotissimis locis sumit regionem, quę calore solis torretur, & quæ frigoribus, ac niuibus obrigescit. quas oras poeta xxij.Od.lib.j. ita descripsit:

Pone me pigris ubi nulla campis
Arbor æstiua recreatur aura,
Qua latus Mundi nebulæ, malusq;
Iuppiter urget. & lib.iij.Od.xxiiij.
Quid leges sine moribus
Vanæ proficiunt, si neque feruidis
Pars inclusa caloribus
Mundi, nec Boreæ finitimum latus

Durataq;

Durataq; solo niues
Mercatorem abigunt?
Troiæ renascens, sic lib. j. Od. xv.
Mala ducis aui domum. Et:
Mala soluta nauis exit alite.
Contra alitem secundam dixit Epod. xvj.
Secunda ratem occupare quid moramur alite.
Et in carmine sæculari: *Potiore ductos alite muros.*

Ter uxor, consequens est non necessarium. Sequitur hoc in urbium euersionibus.

Non hæc iocosæ, sæpe hac correctione usus est. lege Od. xxij. huius libri.

Se a multis periculis Musarum ope ereptum fuisse. male cessisse omnibus, qui aduersum deos aliquid moliri uoluerint. Ode IIII.

DESCENDE *cælo, & dic age tibia*
Regina longum Calliope melos,
Seu voce nunc mauis acuta,
Seu fidibus, cithara ve Phœbi.
Auditis? an me ludit amabilis
Insania? audire, & videor pios
Errare per lucos: amœnæ
Quos & aquæ subeunt, & auræ.
Me fabulosæ Vulture in Apulo,
Altricis extra limen Apuliæ,
Ludo, fatigatumq; somno,
Fronde noua puerum palumbes
Texere: mirum quod foret omnibus,
Quicunque celsæ nidum Acherontiæ
Saltusq; Batinos, & aruum
Pingue tenent humilis Ferenti:
Vt tuto ab atris corpore viperis
Dormirem, & ursis: ut premerer sacra
Lauroq;, collataq; myrto,
Non sine Dijs animosus infans.
Vester, Camœnæ, vester in arduos
Tollor Sabinos: seu mihi frigidum
Præneste, seu Tibur supinum,
Seu liquidæ placuere Baiæ.

Vestris

Vestris amicum fontibus, & choris,
Non me Philippis uersa acies retro,
Deuota non extinxit arbos,
Nec Sicula Palinurus unda.
Vtcunque mecum uos eritis: libens
Insanientem nauita Bosporum
Tentabo, & arentes arenas
Littoris Assyrij viator.
Visam Britannos hospitibus feros,
Et latum equino sanguine Concanum.
Visam pharetratos Gelonos,
Et Scythicum inuiolatus amnem.
Vos Cæsarem altum, militia simul
Fessas cohortes abdidit oppidis:
Finire quærentem labores
Pierio recreatis antro.
Vos lene consilium & datis, & dato
Gaudetis almæ. scimus, ut impios
Titanas, immanemq; turmam
Fulmine sustulerit caduco,
Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum, & vrbes, regnaq; tristia:
Diuosq;, mortalesq; turbas
Imperio regit vnus æquo.
Magnum illa terrorem intulerat Ioui,
Fidens, iuuentus horrida, brachijs:
Fratresq; tendentes opaco
Pelion imposuisse Olympo.
Sed, quid Typhoeus, & validus Mimas,
Aut quid minaci Porphyrion statu,
Quid Rhœcus, euulsisq; truncis
Enceladus iaculator audax,
Contra sonantem Palladis Aegida
Possent ruentes? hinc auidus stetit
Vulcanus: hinc matrona Iuno, &
Nunquam humeris positurus arcum,
Qui rore puro Castaliæ lauit
Crines solutos, qui Lyciæ tenet
Dumeta, natalemq; siluam,
Delius, & Patareus Apollo.
Vis consili expers mole ruit sua:

Vim

Vim temperatam dij quoque prouehunt
In maius : ijdem odere vires
Omne nefas animo mouentes.
Testis mearum centimanus Gyges
Sententiarum notus . & integræ
Tentator Orion Dianæ
Virginea domitus sagitta .
Iniecta monstris terra dolet suis :
Mæretq; partus fulmine luridum
Missos ad Orcum : nec peredit
Impositam celer ignis Aetnam :
Incontinentis nec Tityi iecur
Relinquit ales , nequitiæ additus
Custos : amatorem tercentæ
Pirithoum cohibent catenæ ,

COMMENTARII.

Descende cælo, Porphyrion uult hanc Oden superiori respondere, quod putet de cœlo Musam inuocari a Iunonis sermonibus, quos cum ea habuerat in cœlo. Idem Landinus sentit. sed mihi non probatur duas diuersorum argumentorum Odas tanquam unam, atque eandem misceri. Vult poeta se a magnis periculis ereptum ostendere Musarum auxilio. & fingit se furore permotum hæc canere. quod aliquando facit. Sed idcirco suspicati sunt hanc cum superiori coniungendam, quoniam, cum Musa in illa inducta fuerit in cœlo cum Iunone loqui, & nunc de cœlo ipsam inuocet, eandem esse, consequens existimarunt, quasi de eadem re cum Iunone, & Musa institutus esset sermo. sed de cœlo idcirco accersit Musam, quoniam in cœlo & Musæ habitare dictæ sunt. Hom. ἔσπετε νῦν μοὶ μοῦσαι ὀλύμπια δώματα ἔχοντες ; & Hesiodus ὀλυμπιάδας illas appellat. ibi : Μοῦσαι ολυμπιαδες κοῦραι διὸς αἰγιόχοιο.

Tibia, admistam fuisse tibiam lyræ, carminibus lyricis canendis tritum est apud Horatium. lege Oden xix. lib. iij.

Auditis ? initium furoris.

Videor pios, multa sibi fingunt extra se positi. uidebatur sibi esse in Elysijs. quos pios uocat, quoniam pijs, & bonis tributus est locus. Virg.

Non me impia nanque
Tartara habent, tristesq; umbræ, sed amena piorum
Concilia, Elysiumq; colo.

Hunc locum poetis esse constitutum, ipsi testes sunt. Virg. de Musæo:

Musæum ante omnes, medium nam plurima turba

Hunc habet. & paullo ſuperius de Orpheo, quem ibi ponit:

Nec non Threicius longa cum ueste sacerdos

Obloquitur numeris septem discrimina uocum. Et:

Quiq; pij Vates, & Phœbo digna locuti.

Amenæ, ſic Virg.

Largior hic campos æther, & lumine uestit

Purpureo, ſolemq; ſuum, ſua ſidera norunt.

Non ſine dijs, Pind. Od. v. Pyth. οὐ θεῶν ἄτερ dixit.

Non me Philippis, huc alluſit lib. ij. Od. vi.

Tecum Philippos & celerem fugam ſensi.

Deuota non extinxit arbos, lib. ij. Od. xiij.

Vtcunque mecum uos eritis, oſtendit ſe tutum fore in locis quantum uis periculoſis Muſarum auxilio. egregias autem ſpecies elegit locorum, quæ periculoſiſsima habentur.

Vos Cæſarem, occaſio ad laudem Cæſaris: quàm pro præſtanti laude oſtendit poetica delectari. hac ſententia nihil illuſtrius. qui enim ſtudijs poeticis delectantur, a poetis dicuntur a Muſis recreari.

Vos lene conſilium, a Muſis hoc eſt a ſapientia conſilium proficiſci oſtendit.

Scimus ut impios, ſine conſilio nihil fœliciter ſuccedere exemplo ſunt Gygantes, Phaeton, Icarus, Bellerophon, de quibus ſuperius. illi cum dijs pugnare, hi maiora uiribus optare auſi ſunt.

Qui terram inertem, ſtantem, immobilem. illuſtris Iouis Periphraſis.

Magnum, loquitur de dijs tanquam de hominibus. qui aliquando non tantum timuiſſe finguntur, uerum etiam uulneratos fuiſſe, ut eſt apud Homerum de Venere, & Marte a Diomede ſaucio. Idem Hom. Martem ab Otho, & Ephialte ligatum, ſed a Mercurio Euribœa monente liberatum. Iidem Poetæ deos timuiſſe etiam narrant. quo tempore dij ipſi in Aegyptū cum ſe recepiſſent, & repente a Typhone Gygante immaniſsimo oppreſsi, metu perterriti ſe in uarias formas mutarunt. Mercurius in Ibin, Apollo in gruem, Diana in felem. Accedit, quod Horatius lib. ij. Od. xvij. ſcribit: *Domitosq; Herculea manu telluris iuuenes*, vnde periculum fulgens contremuit domus Saturni ueteris. Quod autem ait, magnum illa terrorem intulerat, Ioui fidens iuuentus horrida brachijs, amplificatio eſt fortitudinis Gygantum. & ſimul eſt pulcherrima ipſorum Periphraſis. De Gygantibus in cœlum adſcēdere conantibus nemo ignorat. Hom. libro undecimo. Il. Aloei etiam filios Othum, & Ephialtem auſos idem fuiſſe narrat. de quo etiam Hyginius.

Sed quid Typhœus, nullas uires reſiſtere dijs. Optimo autem conſilio elegit ex Gygantibus ferociores.

Qui rore puro, ſic lib. iiij. Od. vi.

Phœbe,

Phœbe, qui Xantho lauis amne crines.

Hinc matrona Iuno, uarijs nominibus appellata est Iuno, Curetis, Lucina, Matrona, Regina.

Gyges, quamuis aliqui emendent Gyas, De hoc lib.ij.Od.xvij,

Nec si resurgat centimanus Gyges.

AVGVSTI LAVDES. Ode V.

CAELO tonantem credidimus Iouem
Regnare. præsens diuus habebitur
Augustus, adiectis Britannis
Imperio, grauibusque Persis.
Milesne Crassi coniuge barbara
Turpis maritus uixit? & hostium
(Pro curia, inuersique mores)
Consenuit sociorum in armis,
Sub rege Medo, Marsus, & Apulus
Anciliorum, & nominis, & togæ
Oblitus, æternæque Vestæ,
Incolumi Ioue, & vrbe Roma.
Hoc cauerat mens prouida Reguli
Dissentientis condicionibus
Fœdis, & exemplo trahentis
Perniciem veniens in æuum,
Si non periret immiserabilis
Captiua pubes. Signa ego Punicis
Affixa delubris, & arma
Militibus sine cæde, dixit,
Direpta uidi. uidi ego ciuium
Retorta tergo brachia libero,
Portasque non clausas, & arua
Marte coli populata nostro.
Auro repensus scilicet acrior
Miles redibit: flagitio additis
Damnum. neque amissos colores
Lana refert medicata fuco:
Nec uera uirtus, cum semel excidit,
Curat reponi deterioribus.
Si pugnat extricata densis
Cerua plagis, erit ille fortis,
Qui perfidis se credidit hostibus:

Et Marte Pœnos proteret altero,
Qui lora restrictis lacertis
Sensit iners, timuitque mortem?
Hic, unde uitam sumeret, inscius
Pacem duello miscuit. O pudor,
O magna Carthago, probrosis
Altior Italiæ ruinis.
Fertur pudicæ coniugis osculum,
Paruosque natos, ut capitis minor,
A se remouisse, & uirilem
Toruus humi posuisse uultum,
Donec labantes consilio patres
Firmaret auctor nunquam alias dato,
Interque mærentes amicos
Egregius properaret exul.
At qui sciebat, quæ sibi barbarus
Tortor pararet. non aliter tamen
Dimouit obstantes propinquos,
Et populum reditus morantem,
Quam si clientum longa negotia
Dijudicata lite relinqueret,
Tendens Venafranos in agros,
Aut Lacedæmonium Tarentum.

COMMENTARII.

Cœlo tonantem, Augusti laus a rebus fortiter gestis. est autem laus illustris. nunquam enim magis elucet uirtus, quam cum in rebus difficillimis, ac periculosis intrepide agimus, & tandem superiores sumus. fortitudinem hanc appellamus. quid maius fieri poterat, quam potentissimas prouincias imperio subiecisse? sane uiri fortes Aristotele auctore primo Rhet. ita laudantur, cum dicimus illos πρακτικοὺς τῶν ἔργων ἐν τοῖς κινδύνοις.

Adiectis Britannis, perite Porphyrion, qui, cum Britanni occidentales sint, Persæ Orientales, per has nationes scripsit poetam omnem Orientem, atq; Occidentem significare uoluisse Ro. Imperio ab Augusto adiunctum. Quamuis autem Augustus nunquam cum Britãnis bellum gessisset, sed Iulius tantum tentasset, nihil refert. nec mirum uideri debet si, cum per Drusum ciuitates Germaniȩ, quȩ sunt cis Rhenum, & trans Rhenum, Augustus oppugnasset, quoniam proximæ sunt Britanniæ, propter uicinitatem Britãniam quoq; expugnatã dicit. Sed idcirco etiam ab Augusto subiectos dixisse potuit Persas, quoniam, auctore Sex. Aurelio Victore, Persæ obsides obtulerunt

runt Augusto, creádiq; Regis arbitrium permiserunt. Idē Suetonius, & Eutropius, qui populos, ac prouinciās uel subiectas, uel deditas numerarunt.

Milesne Crassi, Indignatio, uel obiurgatio est in Crassi milites. qui maluerunt seruire uxoribus barbaris, quam fortiter pugnare. totaq; hæc obiurgatio inducta est, ut magis Augusti militum pro patria pugnantium uirtutē augeat. Obiurgatio autem hæc tractatur forma uel Asperitatis, uel Vehementiæ, uel βαρύτητος, quæ non prorsus inter se dissimiles sunt. a quibus non recedit poeta. Verbis enim asperis utitur, eiusmodi sunt, Crassi, barbara, turpis. pro curia, inuersi mores, sociorum in armis. sub rege, Marsus, in quibus est concursus litterarum, quæ asperitatem conficiunt. utitur & schemate harum formarum. in primis interrogatione, quæ obiurgationis, atq; indignationis propria est, qua uim addit sententiæ. utitur exclamatione, qua nihil aptius ad dolorem significandum. Pro curia, inuersiq; mores, uersiculus est per parenthesin, & maxime hanc figurā implet, atq; adiuuat. Apostrophe autem ad curiam mirificam sententiæ uim addit. Quid uero ex prærupto initio incepta oratio? non ne ad hanc figuram facere arbitrabimur?

Hoc cauerat, probatio ab exemplo Reguli. qui, ne tantam Romanis notam inureret, captus a Carthaginiēsibus, cum uiuere potuisset, mori maluit. Quidam loco Trahentis legit Trahenti.

Signa ego Punicis, Reguli Oratio dissuadentis captiuorum permutationem, a turpi, & indecoro. multa autem colligit, quæ cum Ro. milites passi fuissent, maximam habent infamiam.

Auro repensus; Irrisio inter schemata obiurgationis, atque indignationis ad dissuadendum apta.

O Magna, exclamatio, mirificam habens uim in obiurgatione.

Fertur, Pathos.

Vt capitis minor, quippe qui se ipsum libertate, cum se hosti necandum traderet, & patria, quæ est maxima capitis deminutio, priuaret.

Atqui sciebat, incredibilis constantiæ argumentū. Sic & Cic. de Regulo secundo de Finibus. Quem quidem cum sua uoluntate, nulla ui coactus, præter fidem, quam dederat hosti, ex patria Carthaginem reuertisset, tum ipsum cum uigilijs, & fame cruciaretur, clamat uirtus beatiorem fuisse, quā potantem in rosa Thurium. Qua sententia aliquis admonitus posset quærere, an in tormentis felix esse potuisset Regulus. sed quis audeat inter summos philosophorum sententias suas miscere, Stoicos, inquam, & Peripateticos? alteri, ut inquit Cic. negant quicquam esse bonum, nisi quod honestum sit; alteri plurimum se, & longe, longeq; plurimum tribuere honestati, sed tamen & in corpore, & extra esse quædam bona. Legant studiosi adolescentes secundum librum Ciceronis de finibus, & sept. Eth. Aristotelis ad cap. xiij.

Corruptos sui temporis mores insectatur. Ode VI.

DELICTA maiorum immeritus lues
Romane, donec templa refeceris,
Aedesque labentes deorum, &
Fœda nigro simulacra fumo.
Dijs te minorem quod geris, imperas,
Hinc omne principium: huc refer exitum.
Dij multa neglecti dederunt
Hesperiæ mala luctuosæ
Iam bis Monæsis, & Pacori manus
Non auspicatos contudit impetus
Nostros: & adiecisse prædam
Torquibus exiguis renidet.
Pæne occupatam seditionibus
Deleuit vrbem Dacus, & Aethiops,
Hic classe formidatus, ille
Missilibus melior sagittis.
Fœcunda culpæ sæcula, nuptias
Primum inquinauere, & genus, & domos.
Hoc fonte deriuata clades
In patriam, populumq; fluxit.
Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo: & fingitur artibus
Iam nunc, & incestos amores
De tenero meditatur vngui.
Mox iuniores quærit adulteros
Inter mariti vina: neque eligit
Cui donet impermissa raptim
Gaudia luminibus remotis.
Sed iussa coram non sine conscio
Surgit marito, seu uocat institor,
Seu nauis Hispanæ magister,
Dedecorum pretiosus emptor.
Non his iuuentus orta parentibus
Infecit æquor sanguine Punico:
Pyrrhumq;, & ingentem cecidit
Antiochum, Hannibalemq; dirum:
Sed rusticorum mascula militum
Proles, Sabellis docta ligonibus

Versare glebas & seueræ
Matris ad arbitrium recisos
Portare fustes, sol ubi montium
Mutaret umbras, & iuga demeret
Bobus fatigatis amicum
Tempus agens abeunte curru.
Damnosa quid non imminuit dies?
Aetas parentum peior auis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem uitiosiorem.

COMMENTARII.

Delicta maiorum, Argumentum graue, grauiterq; tractatum, siue sententiam, siue uerba spectes, omnia plena grauitatis, quippe quæ reprehensionem habent grauem, & seueram. quæ quidem seueritas ex Asperitate, & Acrimonia conflata est. quarum figurarum sententiæ iam notæ esse debent, tam sæpe de his mentione facta.

Donec templa refeceris. multum interesse ad pietatem in deos putat poeta, si nobis curæ sint deorum templa. Sic enim alibi: Oppida publico sumptu iubentes, & deorum templa nouo decorare saxo. merito. templa enim sunt deorum (ut sic dicamus) diuersoria. ad quæ dij ipsi exorati diuertere existimantur. Quare, quis non impietatis Zenonem damnet, templa non esse ædificanda hac uoce prohibentis? ἱερὰ θεῶν μὴ οἰκοδομεῖν. idest, non ædificanda dijs templa. Quis morem non detestetur eorum, qui prædicare ausi fuerunt, deos ædium, & parietum septis non esse includendos? Barbarorum, ac Ferarum id Gentium fuit, lucos, ac nemora, & montium iuga, in quibus aras tantum ponebant, pro templis celebrantium. Quamobrem, quibus laudibus pro pietate in deum extollemus VENETVM SEN. qui cum non satis habuisset, tot sanctissimis, ac magnificentissimis templis Vrbem ornasse, nouum etiam, & uisendum Deo Opt. Max. &, ut experimento cognitum est, gratum, humani generis REDEMPTORI, ingenti sumptu nuper excitauit?

Dijs te minorem, sapienter dictum. non debere homines se nimium efferre, & Gygantum more se dijs æquare. sumus enim, ut Sophocles inquit in Aiace apud Stob. nihil præter umbram, ac simulacra.

ὁρῶ γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν ὄντας ἄλλο, πλὴν
εἴδωλ᾽ ὅσοι περ ζῶμεν, ἢ κούφην σκιάν.
τοιαῦτα τοίνυν εἰσορῶν ὑπέρογκον
μηδέν ποτ᾽ εἴπῃς αὐτὸς εἰς θεοὺς ἔπος.

Idest, uideo enim nihil aliud esse nos, quam simulacra, quot quot uiuimus,

uel

uel inanem umbram. hæc igitur considerans, nullum in deos uerbum superbum protuleris. nam deum uereri est imperare.

Dij multa neglecti, tales sententiæ maxime grauitati conueniunt. tale protulit Pindarus Olymp. ix. τό γε λοιδορῆσαι θεοὺς ἐχθρὰ σοφία. & Aesch. in Supplicibus. θεοὺς ἀτίζων τὶς βροτῶν δώσει δίκην. & : κακὸν μακάρεσσιν ἐρίζειν.

Iam bis, exemplis probat, male cessisse Romanis neglectam religionem.

Sed rusticorum, milites rustici, quod laboribus assueti omnia dura patienter ferunt, optimi existimantur. quare Arist. ij. Oecon. scripsit plurimum ad fortitudinem, roburq; corporis agriculturam conducere. non enim, inquit, sicut artes uiles corpora eneruat. sed talia facit, ut sub diuo consistere, & laborem tolerare ualeant, & aduersus hostes pericula capescere. sic sensit Plin. xviij. nat. hist. cap. v. Fortissimi, inquit, uiri, & milites strenuissimi ex agricolis gignuntur. minimeq; male cogitantes.

Damnosa, non sine amaritudine concludit homines semper deteriores, ac nequiores fieri. Hęc sententia multum habet grauitatis, propterea, quod eiusmodi est, ut non a quouis, sed a prudentissimo tantum excogitari potuerit. quod genus peculiare & maxime huic formæ proprium est. Illa autem interrogatio damnosa quid non imminuit dies? satis ostendit animi ex tanta morum corruptione perturbationem.

AD ASTERIEN. Ode VII.

Consolatur eam de mariti absentia dolentem.

QVID fles, Asterie, quem tibi candidi
Primo restituent uere Fauonij,
Thyna merce beatum
Constantis iuuenem fide
Cygen? ille notis actus ad Oricum
Post insana capræ sidera, frigidas
Noctes, non sine multis
Insomnis lacrymis agit.
Atqui sollicitę nuncius hospitæ
Suspirare Chloen, & miseram tuis
Dicens ignibus uri,
Tentat mille uafer modis.
Vt Prœtum mulier perfida credulum
Falsis impulerit criminibus, nimis
Casto Bellerophonti
Maturare necem, refert.
Narrat pæne datum Pelea Tartaro,

Magnessam

Magnessam Hippolyten dum fugit abstinens.
Et peccare docentes
Fallax historias monet
Frustra. nam scopulis surdior Icari
Voces audit adhuc integer. at tibi
Ne uicinus Enipeus
Plus iusto placeat, caue:
Quamuis non alius flectere equum sciens
Aeque conspicitur gramine Martio:
Nec quisquam citus eque
Tusco denatat alueo.
Prima nocte domum claude, nec in uias
Sub cantu tremulæ despice tibiæ:
Et te sepe uocanti
Duram difficilis mane.

COMMENTARII.

Quid fles, Ode hæc habet consolationem, & cohortationem. Solatur Asterien mærentem ex mariti absentia. hortatur, ut constanter fidem uiro seruet. Loci consolationis sunt, primum a spe, quod breui, nempe primo uere reuersurus sit Gyges. Nam bona, quæ breui expectamus, magnum afferunt solatium. Quare sic Aristoteles spem definit secundo Rhet. ἐλπὶς ἐστὶ σωτηρίων ὡς ἐγγὺς ὄντων, τῶν δὲ φοβερῶν ἢ μὴ ὄντων, ἢ πόῤῥὸ ὄντων. idest, Spes est rerum salutarium, quæ de propinquo adsunt, uel terribilium, quæ non sunt, aut longe absunt. Cum autem addit, Candidi Fauonij, auget consolationem, significans secundis uentis reuersurum Gygen, & propterea incolumem. diuitem, autem ac beatum rediturum inquiens, locum ab utili sumpsit. præcipuus autem locus est a uiri constantia, & quo nihil puellæ iucundius. appellat enim Gygen constanti iuuenem fide. interrogatione usus magis puellam excitat ad lætitiam, quasi stultum sit ea de causa flere.

Primo uere, uere nouo, dixit Virg.

Restituent, quasi ipsis commendatum, & creditum. tale illud tertiæ Odes libri primi ad Virgilium:

Nauis, quæ tibi creditum debes, Virgilium finibus Atticis reddas incolumen precor.

Candidi Fauonij, bellum Epitheon.

Ille notis, ingens est consolatio, & in primis amanti puellæ apta. inquit enim, Gygen noctes frigidas ducere, idest, castas, seorsum a complexibus aliarum puellarum. uel intelligit de ipsa Asterie, a qua abesset, & sine ipsa frigidas noctes exigeret. Quod addit insomnem, & non sine multis lacry-

mis, attulit mirificam amoris uiri in Asterion significationem, & ideirco nihil uxori iucundius nunciari poterat. Si quis hæc omnia uerba consideret, singula quæque fatebitur esse singula enthymemata, scilicet frigidas hunc noctem ducere, insomnem, non sine multis lacrymis: qui amant, procul dubio somno carent. flent noctes, atque dies. Ideo sic de Didone est apud Virgilium:

At non infelix animi Phœnissa, nec ullos
Soluitur in somnos, oculisue, aut corpore somnos
Accipit, ingeminant curæ.

Atqui, miræ constantiæ signum in iuuene, quod nullis alijs amoribus flecti, aut corrumpi possit, ut fidem uxori uiolet. Igitur erit alius locus a Gygis cōstantia maximam habens uim. & propterea potuit omnes reliquas consolationes superare. contra nihil amantibus euenire potest acerbius, quam cum se contemni, atque alios recipi intelligunt.

Nam scopulis, non poterat uel elegantius, uel ualidius confirmare iuuenis continentiam. poetæ sæpenumero uentos, mare, rupes, scopulos surdos uocant. Propert. littora, Ouidius fluctus, & saxa surda appellauit.

At tibi, cohortatio, qua monet puellam esse in officio.

Prima nocte, primam facem etiam dicimus. prima lumina, Liuius primas tenebras dixit. Verba hæc, & dicendi modi mihi non mediocriter probantur. a candidis uentis Gygen restitui, beatum merce thyna. actum uentis. frigidas noctes ducere insomnem. uri ignibus alicuius. impellere falsis criminibus, dari Tartaro. surdior scopulo, flectere equum.

AD MAECENATEN. Ode VIII.

Cur Kal. Martijs, cum sine uxore sit, nihilominus tamen epuletur, & sacrificet.

MARTIIS cælebs quid agam Kalendis:
Quid uelint flores, & acerra turis
Plena, miraris, positusque carbo in
Cespite uiuo,
Docte sermones utriusque linguæ.
Voueram dulces epulas, & album,
Libero caprum prope funeratus
Arboris ictu.
Hic dies, anno redeunte festus,
Corticem astrictum pice dimouebit
Amphoræ fumum bibere institutæ
Consule Tullo.

Sume

Sume Mæcenas cyathos amici
Sospitis centum: & uigiles lucernas
Perfer in lucem: procul omnis esto
Clamor, & ira:
Mitte ciuiles super urbe curas
Occidit Daci Cotisonis agmen:
Medus infestus sibi luctosis
Dissidet armis:
Seruit Hispanæ uetus hostis oræ
Cantaber, sera domitus catena:
Iam Scythę laxo meditantur arcu
Cedere campis.
Negligens, ne qua populus laboret,
Parce priuatus nimium cauere: &
Dona præsentis cape lætus horę, ac
Linque seuera.

COMMENTARII.

Martij cælebs, nihil esse, quamobrem Mæcenas miretur poetam in sacris esse occupatum Kal. Martijs. quæ ad ipsum uxore carentem non pertinerent. sed idcirco, inquit se sacris eo die dare operam, quod tali die casu arboris prope perierat. Ad lætitiam inuitat Mæcenatem. In hoc autem idem seruat, quod in alijs similibus sententiis passim seruauit. Quid autem in lætitijs facere solitus sit, uide Oden septimam libri primi. non inutile enim puto his, quibus tales sententias exprimere contigerit. Hanc autem hilaritatem uult esse conditam potatione. Ne uero Mæcenas fortasse negaret, ab eo remouet omnia, quibus a lætitia auocari ob aliquam grauem molestiam posset. qua qui premuntur, iucunditatem nullam percipiunt.

Seruit, lege Suetonium in Augusto.

Negligens; omnibus curis solutum esse animum, ut lætitiæ, ac uoluptati alacrius indulgeat, nam nimia cura, ac diligentia in aliqua re uoluptatem adimit. Itaque Aristoteles primo Rhet. τὰς ἐπιμελείας, καὶ τὰς σπουδὰς, καὶ τὰς συντονίας, λυπηρὰς, idest, curas, solicitudines, studia, contentiones, siue labores molestas esse scribit. recte Bacchylides, ut est apud Stob. μία βροτοῖσιν ἐστὶν εὐτοχίας ὁδὸς, θυμὸν εἴ τις ἔχει ἀπενθῆ.

Dona præsentis, sic Anacreon. τὸ σήμερον μέλει μοι. Id eleganter expressit Ode xvj. lib. ij. Lætus in præsens animus, quod ultra est oderit curare.

Linque seuera, Idem prope, quod dixerat in eadem Ode: Et amara læto temperet risu.

Dialogus Horatij, & Lydiæ. Ode IX.

HOR. DONEC *gratus eram tibi,*
Nec quisquam potior brachia candidæ
Ceruici iuuenis dabat:
Per sarum uigui rege beatior.
LY. *Donec non alia magis*
Arsisti, neque erat Lydia post Chloen:
Multi Lydia nominis
Romana uigui clarior Ilia.
HOR. *Me nunc Thressa Chloe regit,*
Dulces docta modos, & citharæ sciens:
Pro qua non metuam mori,
Si parcent animæ fata superstiti.
LY. *Me torret face mutua*
Thurini Calais filius Ornithi:
Pro quo bis patiar mori,
Si parcent puero fata superstiti.
HOR. *Quid, si prisca redit Venus?*
Diductosque iugo cogit aheneo?
Si flaua excutitur Chloe?
Reiectæq; patet ianua Lydiæ?
LY. *Quanquam sidere pulchrior*
Ille est, tu leuior cortice, & improbo
Iracundior Hadria,
Tecum uiuere amem, tecum obeam libens.

COMMENTARII.

Donec gratus, carmen est declarans Horatij, & Lydiæ zelotypiam. zelotypus est, qui ita amat, ut timeat, nequis amoribus suis patiatur. ægreferebat poeta sibi a Lydia alterum præpositum. Eadem de causa etiam Chloe ferre non poterat Horatium alterius puellæ amore irretitum. scimus enim, quanto dolore exagitantur mulieres, cum se desertas ab amatore, aut uiso intelligunt. testis est Ouid. ij. de arte, inquiens:

Sed nec fuluus aper media tam sæuus in ira est,
Fulmineo rapidos dum rotat ore canes.
Nec Lea, cum catulis lactentibus ubera præbet,
Nec breuis ignaro uipera læsa pede,
Fœmina quam socij deprehensa pellice lecti

Ardet,

Ardet, & in uultu pignora mentis habet.
In ferrum, flammasq; ruit. positoq; decore
Fertur, ut Aonij cornibus icta dei. & Sen.
Nulla uis flammæ, tumidiq; uenti
Tanta, nec teli metuenda torti
Quanta, cum coniux uiduata tædis

Ardet, & odit. De Medeæ zelotypia notum est. de hoc uide Od. xx. ibi, Cum per obstantes. Cum cõueniffent, aggrediuntur sibi inuicem obijcere, quod minus in amore constantes essent. sed ad alios amores mentẽ conuertissent. est autem iucunda obtrectatio aliena ab iracũdia. pulchras habet responsiones. Horatius sic queri incipit:

Donec gratus eram tibi. Lydia in eandem sententiam sic respondet:
Donec non alia magis arsisti. ille:
Nec quisquam potior brachia candidæ
Ceruici iuuenis dabat. hæc uero:
Neque erat Lydia post Chloen. quod poeta dixerat:
Persarum uigui rege beatior: illa:
Romana uigui clarior Ilia.

Cum poeta, ut Lydiæ stomachum faceret, addidisset:

Me nunc Tressa Chloe regit. illa contra:
Me torret face mutua
Thurini Calais filius Orinthi. Cumq; poeta sic:
Pro qua non metuam mori,
Si parcant animæ fata superstiti. illa sic paria paribus faciens:
Pro quo bis patiar mori
Si parcant puero fata superstiti. Quæ responsio pulchrior, & iucundior est, quod, uerbis ipsius poetæ usa, idem in ipsum retorquet. poeta uero, qui se Lydiæ conciliare cupiebat, sic illum interrogat, sibiq; allicit:

Quid si prisca redit Venus? idest, si nos mutuo redamemus. Lydia uero huic orationi ualde assentitur, quippe quod amantium iræ redintegratio est amoris. quare pollicetur se pluris facturam Horatium, quamuis multum inter se differant Horatius, & Calais. talis sententia est apud Catullum gaudio exilientem, quod a Lesbia fuerit receptus:

Si quicquam cupido, optantiq; obtigit unquam
Insperanti, hoc est gratum animo propriè.
Quare hoc est gratum, nobis quoque carius auro,
Quod te restituis Lesbia mi cupido.
Restituis cupido, atque insperanti ipsa refers te,
O mihi cara magis candidiore nota.
Quis me uno uiuit felicior, aut magis hac est
Sperandum uita, dicere quis poterit?

AD

AD LYCEN. Ode X.

Vt, posita duritie, aliqua ipsius misericordia capiatur.

EXTREMVM Tanaim si biberes, Lyce,
Saeuo nupta uiro, me tamen asperas
Porrectum ante fores obijcere incolis
Plorares Aquilonibus.
Audis, quo strepitu ianua, quo nemus
Inter pulchra situm tecta remugiat
Ventis? & positas ut glaciet niues
Puro numine Iuppiter?
Ingratam Veneri pone superbiam:
Ne currente retro funis eat rota.
Non te Penelopen difficilem procis
Tyrrhenus genuit parens.
O, quamuis neque te munera, nec preces,
Nec tinctus uiola pallor amantium,
Nec uir Pieria pellice saucius,
Curuat, supplicibus tuis
Parcas, nec rigida mollior aesculo,
Nec Mauris animum mitior anguibus.
Non hoc semper erit liminis, aut aquae
Caelestis patiens latus.

COMMENTARII.

Extremum Tanaim, In hanc sententiam multa legas apud nostros elegiarum scriptores. Ostēdit, si Lyce habitaret, uel uiueret, uel nata esset apud barbaras Gentes, ubi crudelem esse fere necesse est, nihilominus ploraturā, si tam misere ante suas fores proiectum illum uideret. quod uidetur potius lenitatis, quam saeuitiae. atqui mulieris crudelitatem accusat, quod talia patiatur, cum inquit, Quamuis neque te munera nec preces, nec tinctus uiola pallor amantium curuat &c. quae proculdubio inhumanam esse arguunt, & mulieris saeuitiam confirmant, quae quidem nemo cum eo consentire affirmabit, quod initio dicitur, scilicet, Lycen, quamuis crudelem, moleste tamen laturam, si ea pati poetam uideret. Verum, siquis uerbum Plorares pro plorare deberes, interpretabitur, quod frequens est in omnibus auctoribus, incolumis erit poetae sententia. Sic Virg. est locutus, Quid facerem? neque seruitio me exire licebat. pro, quid facere deberem. talem sensum habet

etiam tempus præsens coniunctiui modi: Hor. Cur inuidendis postibus, & nouo sublime ritu moliar atrium? Cur ualle permutem Sabina diuitias operosiores? pro, moliri, & permutare debeam. Sensus est igitur, non debere Lycen a lacrymis abstinere quamuis sæuissima sit, cum tam misere laborare, ac torqueri poetam uideat. Hunc locum recte Landinus intellexit. sic interpretans Plorares obijcere, idest, non posses non plorare, cum obijceres. hæc erit amplificatio malorum poetæ, si etiam crudelissima mulier illius miseratione duceretur.

Audis, quo strepitu, his quattuor uersiculis rem mirifice ante oculos ponit, & suam miseriam auget.

Remugiat, eleganter etiam Virg. hoc translato usus est aliquando. ut, sub pedibus mugire solum. adytis reclusis cortina mugire. sub pedibus mugire terram. clangorem tubæ mugire per æthera. sic Hor. sinum Ionium remugientem dixit. Epod. x. augetur poetæ incommodum, ut Lyces animus flectatur.

Ingratum Veneri, post commiserationem excitatam malorum commemoratione rogat, ut mitior fiat. ne fortasse idem sibi eueniat. sic conatur illam mouere periculo proposito. ná, qui se lædi posse putant, auctore Arist. de ar. dicendi, mitiores sunt in alios.

Aesculo, pro duritia posuit. Tib. Ferrum, & silicem:

Flebis, non tua sunt duro præcordia ferro
Vincta, nec in tenero stat tibi corde silex.

Supplicibus tuis parcas, ut recipiatur a Lyce, se summittit, atque abijcit, adhibito Aristotelis loco quinto de Lenitate. ait enim homines maxime flecti ad mansuetudinem: τοῖς ταπεινουμένοις πρὸς αὐτοὺς, καὶ μὴ ἀντιλέγουσι. φαίνονται γὰρ ὁμολογεῖν ἥττους εἶναι. οἱ δ' ἥττους φοβοῦνται, φοβούμενος δ' οὐδεὶς ὀλιγωρεῖ. hoc est. his, qui se abijciunt, & summittunt, nec aduersantur, uidentur enim fateri se esse inferiores. inferiores autem timent. & nemo, qui timet, contemnit.

Non hoc semper, monet Lycen, vt sibi consulat. nam fore ait, ut non accedat ad eius fores, cum scilicet fuerit uetula. propterea occasionem arripiat, dum licet. Sic Tib. suæ puellæ:

Nescio quid furtiuus amor parat: utere quæso
Dum licet: in liquida nat tibi linter aqua.

AD MERCVRIVM. Ode XI.

MERCVRI, *nam te docilis magistro*
Mouit Amphion lapides canendo:
Tuque testudo resonare septem
Callida neruis:

Nec loquax olim, neque grata, nunc &
Diuitum mensis, & amica templis,
Dic modos, Lyde quibus obstinatas
Applicet aures.
Quæ, velut latis equa trima campis,
Ludit exultim, metuitque tangi,
Nuptiarum expers, & adhuc proteruo
Cruda marito.
Tu potes tigres, comitesque siluas
Ducere, & riuos celeres morari.
Cessit immanis tibi blandienti
Ianitor aulæ
Cerberus quamuis furiale centum
Muniant angues caput eius, atque
Spiritus teter, saniesque manet
Ore trilingui.
Quin & Ixion, Tityosque vultu
Risit inuito. Stetit vrna paulum
Sicca, dum grato Danai puellas
Carmine mulces.
Audiat Lyde scelus, atque notas
Virginum pœnas, & inane lymphæ
Dolium, fundo pereuntis imo,
Seraque fata,
Quæ manent culpas etiam sub Orco:
Impiæ: nam quid potuere maius?
Impiæ sponsos potuere duro
Perdere ferro.
Vna de multis face nuptiali
Digna, periurum fuit in parentem
Splendide mendax, & in omne uirgo
Nobilis æuum.
Surge, quæ dixit iuueni marito:
Surge: ne longus tibi somnus, unde
Non times, detur: socerum, & scelestas
Falle sorores.
Quæ, uelut nactæ uitulos leænæ
Singulos, eheu, lacerant. ego illis
Mitior, nec te feriam, neque intra
Claustra tenebo.
Me pater sæuis oneret catenis:

Quod uiro clemens misero peperci:
Me uel extremos Numidarum in agros
Classe releget.
I, pedes quo te rapiunt, & auræ:
Dum fauet nox, & Venus: i secundo
Omine: & nostri memorem sepulcro
Sculpe querellam.

COMMENTARII.

Mercuri, omnes fere, qui amant, queruntur de crudelitate earum, quarum amore sunt capti. &, ut uidemus in omnium linguarum poetis, nulla in re magis laborant, quam in ipsis aut carminibus, aut precibus demulcendis. quo morbo laborans poeta, eãdem secutus est rationem. conatur enim carminis suauitate amicæ Lydę animum a se auersum delenire. Cumq; non confideret tantum posse sua uirtute, Mercurium lyræ parentem precatur, ut sibi genus aliquod noui carminis inspiret, quo ipsam a sua feritate ad lenitatem traducat. Ode habet petitionem. cuius præcipuos locos adhibet ad impetrandum, scilicet facultatem, & facilitatem.

Nam te docilis, locus a facultate, & possibili. nam, si, Mercurio fauente, Amphion lapides canendo mouere potuit, eo magis Lydæ flectendæ facultatem dare poterit. confirmat autem Enthymemata a maiori id fieri posse.

Tu potes, amplificatio. rursus locum a facultate, atque argumentum repetit a maiori. De ui autem, ac potentia carminum, & lyræ in hanc sententiam Virg de Orphei apud inferos cantu:

At cantu commotæ Erebi de sedibus imis
Vmbræ ibant tenues, simulacraq; luce carentum. & paullo post:
Quin ipsæ stupuere domus, atque intima leti
Tartara, ceruleisq; implexæ crinibus angues
Eumenides, tenuitq; inhians tria Cerberus ora.
Atque Ixionei uento rota constitit orbis. quem locum alias retulimus.

Audiat, a metu, quo uult Lyden perterrefactã, ne ob suam crudelitatem talia patiatur, mitiorem facere. Is autem locus maxime aptus est exhortationibus, dehortationibus, & in primis deliberationibus. quo fit, ut uel ad agendum impellamur, uel ab agendo deducamur. & est pulcherrima digresio. qua a recto cursu dicendi digredimur. Hæc interdum longior, interdum breuior est. ut, fas omne abrumpit, & auro ui potitur. Quid non mortalia pectora cogis Auri sacra fames? Hęc similis est τῇ ἀποστροφῇ. Sunt suæ poetarum digressiones, sunt etiam Oratorum. non longæ esse debent oratoriæ. cum enim delectatione satis perfusos auditores intelligunt, recipiunt se, & ad suum negotium apte reuertuntur. poetæ quamuis longius

excurrunt, nihil refert. delectationi enim tantum inseruiunt, liberiores illæ sunt, nec religiosum illis est, ad causam non reuerti, quemadmodum in hac digreßione, & in Oda uigesima septima huius libri de Europa. De Pindari digreßionibus non attinet dicere. in ijs mirificus est. Qui Catullum accusant, quod, ad Thesei, & Ariadnes fabulam digressus, propositi uideatur oblitus, minime audiendi.

Impiæ, repetitio hæc plurimum ualens ad crudelitatem detestandam.

Vna de multis, comendat Hypermestram, ut hac laude Lyden ad illam inuitandam inuitet.

Me pater, mirus coniugis in maritum amor. & qui habeat πάθος. pergit puellæ factum extollere, quæ se uitæ periculo exponere, quam in sponsum sæuire maluit. amplificatio est ab amore ducta. nam, cum duplex genus sit eorum, quæ magna uidentur, alterum quod a natura, alterum quod usu tale est, cuius tria sunt ad amplificandum genera, charitas, siue pietas, amor, atque honestas, ab amore potisimum, qui est in coniugibus, ducta est amplificatio, ut ex Ciceronis Partitionibus patet.

I, pedes, sic in Epodo xvj.

Ire pedes quocunque ferunt, quocunque per undas
Notus uocabit, aut proteruus Africus.

AD NEOBVLEN. Ode XII.

MISERARVM *est, neque amori dare ludum,*
Neque dulci mala uino lauere aut ex-
Animari metuentes patruæ uerbera linguæ.
Tibi qualum Cythereæ puer ales,
Tibi telas, operosæque Mineruæ
Studium aufert, Neobule, Liparæi nitor Hebri,
Eques ipso melior Bellerophonte,
Neque pugno, neque segni pede uictus,
Simul unctos Tiberinis humeros lauit in undis:
Catus idem per apertum fugientes
Agitato grege ceruos iaculari: &
Celer arcto latitantem fruticeto excipere aprum.

COMMENTARII.

Miserarum est, Quomodo alij, atque alij interpretati fuerintius carminis sententiam, lege Landinum. quidquid sit, miserum est sine hilaritate uiuere. Quare Hor.

De me supercilio nubem. idem ostendit Græcus poeta:

οὐ τὸ

οὐ τὸ ζῆν χαρίεσσαν ἔχει φύσιν. ἀλλὰ τὸ ῥίψαι
φροντίδας ἐκ στέρνων τὰς πολιοκροτάφους.

Ideſt, viuere iucundam naturam non habet. uerum curas ex pectore pellere caniciem inducentes. eiuſdem ſententiæ eſt & illud:

Ἀεὶ τὸ λυποῦν ἐκδίωκε τοῦ βίου,
Ἀρ᾽ ἐστὶ συγγενές τι, λύπη, καὶ βίος.
βιοῦν ἀλύπως θνητὸν ὄντα οὐ ῥάδιον,
λῦπαι γὰρ ἀνθρώποισι τίκτουσι νόσους,
πλοίου λιμὴν μὲν ἀλυπία δὲ ὅρμος βίου.

Ideſt, ſemper quod triſte eſt expelle e uita, affinis quædam res eſt triſtitia & uita, Viuere ſine triſtitia mortali exiſtenti non facile, mœror hominibus parit morbos. Nauis ut portus quidã eſt, ſic triſtitia carere portus eſt uitæ.

Neque dulci mala uino, uinum ęgritudini, ac triſtitiæ mederi plurimi ſunt teſtes. quot in locis Hor. celebret bibendi conſuetudinem, uinumq; laudet, uide Ode vij. lib. j.

Tibi qualum, amorem cauſſam eſſe, cur ſtudia ſua homines deſerant. Virg. de Didone ſic:

Non cœptæ aſſurgunt turres, non arma iuuentus
Exercet, portusue, aut propugnacula bello
Tuta parant, pendent opera interrupta &c.

Talem ſententiam tractat poeta Ode viij. lib. j. ad Lydiam.

Eques ipſo melior, nihil attinet de Bellerophonte plura afferre. omnia de ipſo iam uulgata. apponam tamen, quod de eo ſcribit Lucianus in Dialogo de Aſtrologia, eius fabulam interpretans. ἐγὼ δὲ καὶ περὶ Βελλεροφόντεω τοιάδε φρονέω. πτηνὸν μὲν οἱ γενέσθαι ἵππον, οὐ μάλα πείθομαι, δοκέω δὲ μὲν ταύτως τὴν σοφίην μετέποντα, ὑψηλά τε φρονέοντα, καὶ ἄστροισι ὁμιλέοντα ἐς οὐρανὸν οὐχὶ τῷ ἵππῳ ἀναβῆναι, ἀλλὰ τῇ διανοίῃ. ideſt, Ego quidem de Bellerophonte ſic exiſtimo. alatum ipſi equum fuiſſe non facile crediderim. uerum puto talem ſapientiam ſectantem, ſublimiaq; cogitantem, & inter ſidera uerſantem in cœlum non equo aſcendiſſe, ſed mente. Sic apparet aſtrologiæ ſtudio incenſum illum talia de ſe poſtea cõmenta reliquiſſe. ſtudium equitandi laudat Hor. in Iunone non ſemel. ut Ode viij. lib. j. Cur neq; militares inter æquales equitet, Gallica nec lupatis tẽperet ora frenis. Et, Quãuis non alius flectere equum ſciens æque conſpicitur gramine Martio. Sed de iuuentutis ſtudijs lege octauam illam Oden, & quę nos in eã contulimus.

AD FONTEM BLANDVSIAM. Ode XIII.

Commendat eius amæuitatem.

O *Fons Blanduſiæ, ſplendidor uitro,*
Dulci digne mero, non ſine floribus,

Cras donaberis hædo:
Cui frons turgida cornibus
Primis, & Venerem, & prælia destinat,
Frustra: nam gelidos inficiet tibi
Rubro sanguine riuos,
Lasciui suboles gregis.
Te flagrantis atrox hora caniculæ
Nescit tangere: tu frigus amabile
Fessis uomere tauris
Præbes, & pecori uago.
Fies nobilium tu quoque fontium,
Me dicente cauis impositam ilicem
Saxis: unde loquaces
Lymphæ desiliunt tuæ.

COMMENTARII.

Nihil pulchrius, nihil uenustius hoc carmine, siue sententiam spectes, siue uerba. nihil purius, ut ne fontem quidem ipsum Blandusiæ puriorem fuisse putes. Sub iucunditatis, uel suauitatis forma merito reponemus. habet, enim quæ sensui iucunda sunt. qualia huic Generi Hermo. subijcit ibi. πάντα ὅσα ταῖς αἰσθήσεσιν ἡμῶν ἐστιν ἡδέα, λέγω τῇ ὄψει, ἢ τῇ ἁφῇ, ἢ τινι ἄλλῃ ἀπολαύσει. & subdit, κάλλος χωρίου, καὶ φυτείας διαφόρους, καὶ ῥευμάτων ποικιλίας. hoc est, omnia, quæ sensibus nostris iucunda sunt, ut uisui, tactui, gustui, uel alicui alij uoluptati, ut loci pulchritudo, uariç plantationes, fontium uarietates. Alloquitur fontem poetarum more, qui cum mutis sæpissime loquuntur. quod genus suscipitur, uel in lætitia ut hic, uel etiam in luctu, aut aliquo grauiori affectu. uel misericordiæ, uel iracundię. fonti ea tribuit, quæ fontium sunt propria, atque ipsis in primis conueniunt. In his laudatur lympharum perspicuitas, murmur, opacitas, frigus, uiriditas. uitro splendidiorem esse dicit. sic Ouid. in Epist. amnem magis perlucidum uitro uocauit. & passim undam uitream legimus. ad quam luciditatem exprimendam idem argenteum fontem, quemadmodum & Virg. electro puriorem, dixit:

Dulci digne mero, suauissimum est, in margine fontium bibere. Hinc illa:
Quis puer ocyus
Restinguet ardentis falerni
Pocula prætereunte lympha? Et:
Est, qui nec ueteris pocula Massici,
Nec partem solido demere de die
Curat, nunc uiridi membra sub arbuto,

Stratus;

Stratus, nunc ad aquæ lene caput sacræ.

Cras donaberis hædo, fonti sacro conueniens munusculum. id ornat, sic describens hædum lasciuientem, tenellum, cui frons uix primis corniculis turgeat. simile illud est munus, quod dijs pollicetur poeta Ode ij. lib. iiij.

Me tener soluet uitulus relicta
Matre, qui largis iuuenescit herbis
In mea uota,
Fronte curuatos imitatus ignes
Tertium lunæ referentis ortum
Qua notam duxit, niueus uideri,
Cætera fuluus. a quo non alienum est illud lib. iij. Od. xxiij.
Nam, quæ niuali pascitur Algido
Deuota, quercus inter, & ilices,
Aut crescit albanis in agris
Victima, pontificum secures
Ceruice tinget. Sed, quis non cum uoluptate notet tam bella uerba rei aptissima? Quid elegantius illa Hyperbole? uitro splendidior. quæ quidem figura laudanti conuenit. uel frontem turgidam primis cornibus? destinare uenerem, & prœlia? quid illa epitheta? gelidos riuos sanguine inficere, pro sacrificare? sed uarios sacrificandi modos obseruabis Ode xviij. huius libri. mirifica illa Periphrasis, lasciui soboles gregis. illud quanti putes, te flagrantis hora caniculæ nescit tangere? frigus amabile, tauri fessi uomere, uagum pecus, caua saxa, lymphæ loquaces, quam habent suauitatem. hæc omnia declarant, atque exprimunt γλυκύτητα. Hinc discant fontem laudaturi.

AVGVSTI LAVDES. Ode XIIII.

Herculis ritu modo dictus, o plebs,
Morte venalem petijsse laurum,
Cæsar Hispana repetit penates
Victor ab ora.
Vnico gaudens mulier marito
Prodeat iustis operata diuis:
Et soror clari ducis, & decoræ
Supplice vitta
Virginum matres, iuuenumq; nuper
Sospitum. vos à pueri, & puellæ
Iam uirum expertæ, male ominatis
Parcite uerbis.
Hic dies uere mihi festus atras

Eximet curas: ego nec tumultum,
Nec mori per uim metuam, tenente
Cæsare terras.
I, pete unguentum puer, & coronas,
Et cadum Marsi memorem duelli:
Spartacum si qua potuit uagantem
Fallere testa.
Dic & argutæ properet Neæræ
Myrrheum nodo cohibere crinem:
Si per inuisum mora ianitorem
Fiet, abito.
Lenit albescens animos capillus,
Litium, & rixæ cupidos proteruæ.
Non ego hoc ferrem, calidus iuuenta,
Consule Planco.

COMMENTARII.

Herculis ritu, hoc carmen partim habet laudem Augusti, partim lætitiæ declarationem ob ipsius reditum a bello re feliciter gesta. Comparat illum Herculi, mortalium fortissimo, qui quemadmodum tot pericula adijt, ita Augustus, mortem contemnens, bella grauissima susceperat, quibus bene gestis uictor in Italiam reuertebatur. Magna autem laus est, esse uictorem. propterea quod ex illis est ornamentis, quæ præcipue Imperatoribus, & uiris excellentibus conueniunt. Quare Arist. primo de arte dicendi in locis demonstratiui generis uictoriam ponit. καὶ νίκη, καὶ τιμὴ τῶν καλῶν. αἱρετὰ γάρ, idest, & uictoria & honor in rebus honestis ponuntur. & propterea expetuntur. Ideo Eurip. in Phœnissis. καλὸν τὸ νικᾶν. Et Pind. prima Olymp. Ὁ νικῶν δὲ λοιπὸν ἀμφὶ βίοτον ἔχει μελιτόεσσαν εὐδίαν ἀέθλων γ' ἕνεκεν. idest, uictor in reliqua uita suauem habet tranquillitatem propter uictoriæ præmia.

Hispana, Cantabros significat. de qua uictoria Ode viij. huius libri:
Seruit Hispanæ uetus hostis oræ
Cantaber, sera domitus catena. & xiiij. lib. iiij.
Te Cantaber non ante domabilis, &c.

Laurum, pro laurea. sicut de Asinio Pollione: *Cui laurus æternos honores Dalmatico peperit triumpho.*

Morte uenalem, optime dictum, significat uirum fortem ob uictoriã morti sese intrepide obijcere. quare pulchrum est illud apud Pindarum prima Olymp.

ὁ μέγας δὲ κίνδυνος
ἄναλκιν οὐ φῶτα λαμβάνει. θανεῖν δ' οἷσιν ἀνάγκα.

τί κέ τις

τὶ κέτις ἀνώνυμον γῆρας ἐν σκότῳ
καθήμενος ἕψοι μάταν ἁπάντων
καλῶν ἄμμορος. *idest*, Magna pericula imbellem hominem non capiunt. quibus autem mori necesse est, cur aliquis obscuram senectutem in tenebris sedens consumat, omnium honestarum rerum expers?

Vnico gaudens, ad lætitiam inuitat vxorem Augusti Liuiam, quod ad illam præcipue spectabat. eamq; laudat a pudicitia. qua laude bonam vxorem dotatam uult Plautus. de qua pudicitia O de xx. huius libri est:

Nec dotata regit uirum
Coniux, nec nitido fidit adultero,
Dos est magna parentium
Virtus, & metuens alterius uiri
Certo fœdere castitas,
Et peccare nefas, aut pretium est meri.

Operata diuis, sacrorum uerbum est Operari. sicut macto, adoleo, libo, lito.

Vos o pueri, pueros, & puellas admitti solitas in deorum sacris canentes, alibi dictum est.

Hic dies, expresio ingentis lætitiæ.

Ego nec tumultum, Ciuilem. laus a uitæ securitate. cuius Augustus auctor fuerat. omnia enim eo imperante pacata erant bellis extinctis, sic scribente Suetonio: Ianum Quirinum clausit semel, atque iterum a condita Vrbe ante memoriam suam clausum in multo breuiori temporis spatio terra, mariq; parta pace tertio clausit. De quo poeta, *Et uacuum duellis Ianum Quirini clausit*. hoc de Augusto pluribus declarauit lib. iiij. Ode v.

Tutus bos etenim rura perambulat,
Nutrit rura Ceres, almaq; faustitas,
Pacatum uolitant per mare nauitæ. & paullo post:
Quis Parthum timeat, quis gelidum Scythen?
Quis Germania, quos horrida parturit
Fœtus incolumi Cæsare? quis feræ
Bellum curet Iberiæ? Sed attende, quam eleganter hanc sententiã Od. xv. lib. iiij. repetiuit:

Custode rerum Cæsare non furor
Ciuilis, aut uis eximet otium,
Non ira, quæ procudit enses,
Et miseras inimicat Vrbes.

I pete unguentum, in conuiuijs, & lætitijs unguenta, & coronas, uinumq; adhiberi solitum fuisse, sæpe ex hoc poeta didicimus. talia attulit in reditu Pompeij Vari Ode vij. lib. j.

Ergo obligatam redde Ioui dapem,

Longaq;

Longaq; fessum militia latus
Depone sub lauru mea, nec
Parce cadis tibi destinatis. cum ijs quæ sequuntur:

Id nobis etiam in huiusmodi sententijs uersantibus faciendum erit. lege Oden xxxvj. lib.j. de Numidæ reditu.

Dic & argutæ, inter cætera lætitiæ adiumenta puellæ etiam accersebantur. quod obseruabis in eodem reditu Numidæ:

Neu multi Damalis meri
Bassum Threijcia uincat amysside. & xj.lib.ij.
Quis deuium scortum eliciet domo
Lyden? eburna dic age cum lyra
Maturet, in comptum Lacenæ
More comam religata nodum.

IN CHLORIN. Ode XV.

Vt saltem uetula nequitias facere desinat.

VXOR *pauperis Ibici,*
Tandem nequitiæ fige modum tuæ,
Famosisque laboribus.
Maturo propior desine funeri
Inter ludere uirgines,
Et stellis nebulam spargere candidis.
Non, si quid Pholoen satis,
Et te Chlori decet. filia rectius
Ex pugnat iuuenum domos:
Pulso Thyas uti concita tympano.
Illam cogit amor Nothi
Lasciuæ similem ludere capreæ.
Te lanæ prope nobilem
Tonsæ Luceriam, non citharæ decent,
Nec flos purpureus rosæ,
Nec poti uetulam fæce tenus cadi.

COMMENTARII.

Vxor pauperis Ibici, Chlorin iam uetulam insectatur. & ab amoribus deterret duabus rationibus, uel quod paupertate laboret, cum qua cohærere amores nequeunt, affirmante etiam Antiphane ἐν πλησμονῇ γάρ κύπρις. ἐν δὲ τοῖς κακῶς πράσσουσιν οὐκ ἔνεστιν ἀφροδίτη βροτοῖς. idest, in saturnitate venus est.

nus est. in male agentibus non est Venus mortalibus, cui subscribit Acheus apud Athænenm. ἐν τῇ κενῇ γαστρὶ τῶν καλῶν ἔρως οὐκ ἔστι. πεινῶσι ἡ κύπρις πικρά. idest, in uacuo uentre formæ amor non est. famelicis enim Venus molesta est. Vel quod uetula est. nihil enim senibus cum amore. Amouet ab hac fœmina ea, quæ in amore sunt necessaria, luxum, & iuuenturem, quibus cum careat, debet se a cętu amantium segregare, & potius opera uetularum exercere. ut colum, & lanam. Hæc Ode affinis est illi, quam in Lycem scripsit lib.iiij. Ode xiij. quod enim in hac damnat, idem in ea obijcit. Quod hic de senectute Chloridis dicit, Maturo propiorum desine funeri inter ludere uirgines. illic sic: *Fis anus, & tamen uis formosa uideri, ludisq;, & bibis impudens, & cantu tremulo pota cupidinem lentum solicitas*. Huc refer illa Epod. viij. *Rogare longo putidam te sæculo uires quod eneruet meas? Cum sit tibi dens ater, & rugis uetus frontem senectus exaret*, atque illud, quod est in Lusibus Priapæis.

Quædam haud iunior Hectoris parente,
Cumeæ soror, ut puto Sibyllę,
Aequalis tibi, quam domum reuertens
Theseus repperit in rogo iacentem. unde sumpsit Martialis:
Pyrrhæ filia, Nestoris nouerca,
Quam uidit Niobe puella canam,
Laertes auiam senex uocauit,
Nutricem Priamus, socrum Thyestes.
Iam cornicibus omnibus superstes.

Sed quid Tetrius his, quæ in Vetulam scripsit Hor. Ep. xij. ex ijs omnibus amplam materiam aliquis potest sumere ad hoc genus uetularum exagitandum. adde etiam Epigr. in Lusib. in Priapum. Cornix, & caries, uetusq; bustum, Turba, & putrida facta sæculorum, quæ forsan potuisset esse nutrix, Tithoni, Priamiq;, Nestorisq;.

AD MAECENATEM. Ode XVI.

Se contentum esse sua sorte, hac autem affectione animi uitam beatam constare.

INCLVSAM *Danaen turris aenea,*
Robustæque fores, & vigilum canum
Tristes excubiæ munierant satis
Nocturnis ab adulteris:
Si non Acrisium, virginis abditæ
Custodem pauidum, Iupiter & Venus
Risissent: fore enim tutum iter, & patens

Conuerso in pretium deo.
Aurum per medios ire satellites,
Et perrumpere amat saxa, potentius
Ictu fulmineo. concidit auguris
Argiui domus, ob lucrum
Demersa excidio. diffidit urbium
Portas uir Macedo, & subruit æmulos
Reges muneribus. munera nauium
Sæuos illa queant duces.
Crescentem sequitur cura pecuniam,
Maiorumque fames. iure perhorrui
Late conspicuum tollere uerticem,
Mæcenas equitum decus.
Quanto quisque sibi plura negauerit,
A Dijs plura feret. nil cupientium
Nudus castra peto: & transfuga, diuitum
Partes linquere gestio,
Contemptæ dominus splendidior rei,
Quam si, quicquid arat impiger Appulus,
Occultare meis dicerer horreis,
Magnas inter opes inops.
Puræ riuus aquæ, siluaque iugerum
Paucorum, & segetis certa fides meæ,
Fulgentem imperio fertilis Africæ
Fallit sorte beatior.
Quanquam nec Calabræ mella ferunt apes:
Nec Læstrigonia Bacchus in amphora
Languescit mihi, nec pinguia Gallicis
Crescunt uellera pascuis:
Importuna tamen pauperies abest:
Nec, si plura uelim, tu dare deneges.
Contracto melius parua Cupidine
Vectigalia porrigam,
Quam si Mygdonijs regum Alyatici
Campis continuem. multa petentibus
Desunt multa. bene est, cui deus obtulit
Parca, quod satis est, manu.

COMMENTARII.

Inclusam Danaen, maximam esse auri potentiam, ostendit. Sed illi uitæ tranquillitatẽ anteponit. Hanc sententiã alias tractauit uel in Od. xxxj. lib. j. in qua

in qua petit ab Apolline, non opimæ Sardiniæ segetes feraces, Non æstuosæ grata Calabriæ armenta, non aurum, aut ebur indicum. nec quæ sequuntur. uel ad Sallustium scribens Ode ij. libri secundi. in qua sententia persistit etiam in Ode xvj. libri secundi. ad Grosphum. & in Ode xviij. eiusdem libri. Non ebur &c. Hic licet obseruare longe aliter poetas sua epiche remuta, atque argumenta, quam Oratores adhibere. poetæ confundunt partes, oratores frequentius ordine collocant. quamuis etiam hi a dialecticorum collocatione sæpenumero se disiungunt. Sic autem, puto, erat faciendum. Aurum per medios ire satellites, & perrumpere amat saxa potentius ictu fulmineo, quod erat postea illis exemplis confirmandum. nihilominus Danaes & Acrisij exemplum præponit, postea propositionem infert, & mox exempla repetit, scilicet concidit argiui auguris domus ob lucrum. & diffidit urbium portas uir Macedo, & subruit æmulos reges muneribus. hæc ratio nec scribentibus, nec recte intelligere cupientibus, in poetis paruifacienda est.

Aurum per medios, hæc sententia a Græco poeta sic expressa est, χρυσὸς ἀνοίγει πάντα, κ' ἀΐδου πύλας. hoc est aurum omnia aperit, etiam portas inferorum. Ideo Pind. in Pyth. appellauit πλοῦτον εὐρυσθενῆ. Notabimus in uerbo perrumpere inesse uim maximam ad auri potentiam exprimendam. hoc uerbo alibi Hor. ad eandem uim significandam usus est. Perrumpit Acheronta Herculeus labor. & Virg. Ipse inter medios correpta dura bipenni Limina perrumpit, cum addit ictu fulmineo, non potuit maius dicere. hyperbole enim est.

Concidit, periculosam esse pecuniam, & eius causa ad multa flagitia induci homines, exemplo est Eriphyle uxor Amphiarai. quæ auro capta uirum prodidit. hic notabimus grauissimum esse uerbum concidere, semperq; ferè de malis dici. Argiui auguris, Periphrasis est. qua sententia magis ornatur, quam si proprio nomine usus esset. præterea demersa excidio grauis translatio. sic leges demersas, patriamq; demersam legimus.

Diffidit, non decedit a uerborum pondere. nihil potuit significantius inueniri, quam domum concidere, demersam excidio, quam diffidere, ac subruere.

Crescentem, mala ex pecunia.

Iure, cum talia mala sequantur diuitias, merito se ab illis abducit.

Late conspicuum, translatio. declarat se nolle altius efferre, ac tollere, diuitijs fretum. eleganter autem dictum est tollere uerticem. boni enim auctores pro sublimitate, atque amplitudine gradus, & fortunæ sæpe usurpant, sumpta metaphora uel a montibus, uel a cœli partibus sublimioribus.

Maiorumq; siti. lege quæ ad Oden secundam libri secundi, adnotauimus de hydropici siti.

Quanto quisq; sibi, γνώμη.

Gg 2 *Nil*

Nil cupientium, ἀλληγορία.

Magnas inter opes, peracute dictum. simile est illi. Inopem me copia fecit.

Puræ riuus aquæ, modicas optat diuitias, & eiusmodi, ut earum usus iucunditatem afferat. talia sunt bona, quæ Arist. primo Rhet. ἐλευθέρια appellat. quæ habent ἀπόλαυσιν. ea autem ἀπολαυστικὰ dicit, quæ uoluptatis, atque animi causa posidemus. genus hoc diuitiarum maxime, & poetis aptum, & sapientibus probatum. Quod ait, siluaq; iugerum paucorum, & segetis certa fides meæ, laudatissimum genus bonorum se posidere significat. quod & Philemon apud Stob. probat inquiens δικαιότατον κτῆμα ἐστιν ἀνθρώποις ἀγρός.

Fulgentem, sententia uidetur sumpta ex uetustissimo poeta Alpheo, ubi inquit, οὐ στέργω βαθυληίους ἀρούρας, οὐκ ὄλβον πολύχρυσον οἷα γύγης. non amo latiores possessiones, non auream Gygis felicitatem.

Quanquam, nuda sententia est. quamuis diues non sim. hanc uestit atque ornat uarias diuitiarum species assumens. hæ autem sunt mella, uina, oues, quæ in diuitijs posita sæpe in hoc poeta obseruare potuistis. hæc omnia complexus est libro primo Od.xxxj. qua figura totum carmen ornauit. quod alibi sæpe fecit. lege quę attulimus in illa Ode. ex illis quidem exemplis animaduertes omnia diuitiarum genera poetam complexum secundum Aristotelis in primo Rhet. diuisionem. Sunt autem illa aut νομίσματα, ut non aurum, aut ebur indicum. aut πλῆθος γῆς. ut Sardiniæ segetes feraces. & non rura quæ Lyris quieta mordet aqua taciturnus amnis. aut χωρίων κτῆσις, ut, quam si Mygdonijs regnum Aliatici campis continuem. aut ἐπίπλων κτῆσις, ut sunt uasa, aulea, tabulæ, cuiusmodi illa. Donarem pateras, grataq; commodis censorine meis æra sodalibus, donarem tripodes; aut βοσκημάτων. ut, non æstuosæ grata Calabriæ armenta. & nec pinguia gallicis crescunt uellera pascuis. Quæ omnia ad duo tantum genera rediguntur, scilicet aut ad ea bona quæ sunt inanimata, aut ad ea quæ animata sunt, ut pecudes, mancipia. quæ omnia bona sic etiam Cic. in off. distribuit.

Importuna, malo detestandam, atque execrandam interpretari nihil enim tetrius est, quodque magis oderunt homines, quam paupertatem.

Quam si Mygdonijs, pro toto pars. significat, si totius Orbis imperio potiretur. sic fecit Od.iij.lib.ij. *Latius regnes auidum domando spiritum, quam si Lybiam remotis Gadibus iungas. & uterq; pœnus seruiat uni*. Sic etiā Ode xij. secundi. *Num tu quæ tenuit diues Achemenes, aut pinguis phrygia Mygdonias opes permutare uelis crine Licinia*.

AD

AD AELIVM LAMIAM. Ode XVII.

Nobilitatem ipsius commendat. deinde admonet, ut se præparet ad diem crastinum, qui pluuiosus fore uidebatur, hilariter esse exigendum.

AELI uetusto nobilis a Lamo,
Quando & priores hinc Lamias ferunt
Denominatos, & nepotum
Per memores genus omne fastos
Auctore ab illo ducis originem,
Qui Formiarum mœnia dicitur
Princeps, & innantem Maricæ
Littoribus tenuisse Lirim,
Late tyrannus. cras folijs nemus
Multis, & alga littus inutili
Demissa tempestas ab Euro
Sternet, aquæ nisi fallit augur
Annosa cornix. dum potes, aridum
Compone lignum: cras Genium mero
Curabis, & porco bimestri,
Cum famulis operum solutis.

COMMENTARII.

Quoniam breue erat, quod tractare instituerat, optimum fuit consilium ad rem ampliandam, ac dilatandam, quod necesse fuit facere, ne nimium breue esset, aliquid adnectere. nihil autem potuit melius adnecti quam Lamiæ laus. quod spectauit poeta etiam Ode xxij. huius libri ad Dianam. Cum enim breuissimum futurum esset carmen, laudibus Dianæ appositis locupletauit simul, atque ornauit. Obseruabimus poetam eorum, ad quos scribebat, nomina nunquam fere nuda ponere solitum, sed semper cum aliquo decore coniuncta. ut:

Mæcenas atauis edite regibus, &
Tyrrhena regum progenies. sic ad Augustum:
Diuis orte bonis optime Romule custos gentis.

Idem hoc in loco seruatum uidemus.

Vetusto, ἀπ' εὐγενείας laudat Lamiam. Hæc autem uel publica est. uel priuata. publica totius ciuitatis est. Priuata familiarũ. quæ in ciuitate sunt insignes. illa prior ἔθνει καὶ πόλει. in ἔθνει spectantur αὐτόχθονες. ἐν πόλει,

ἀρχαίους εἶναι. qui locus primus est nobilitatis apud Aristotelem. primo Rh. secundus est καὶ ἡγεμόνας ἐπιφανεῖς. a quo Lamiam laudat, qui a Principe, & Vrbis conditore originem duxerit. quare subdit, Auctore ab illo ducis originem, qui Formiarum mænia dicitur princeps &c. unde ueram nobilitatem non tantum ex generis uetustate constare, quam ex maiorum splendore colligemus.

Tenuisse Lirim. idest, incoluisse. ita poetæ, atque etiam oratores hoc uerbo utuntur: per Lirim omnia loca significat, per quæ ipse labitur. fluminum nominibus regiones notari satis patet. & nos sæpe monuimus.

Cras folijs, idest, Cras magna tempestas futura est. consequentium locus est. hæc enim contingunt seuientibus uentorum procellis. tempestatem ab euro demitti pulchre dictum est. exempla tempestatis propter imitationem sume uel libro primo Ode nona. uides, ut alta stet niue candidum Soracte. uel libro secundo Ode nona. Non semper nubes nubibus &c. uel Epod. Horrida tempestas.

Cras Genium, idest, Genio indulgebis. quod ait mero, ex ueterum ritu locutus est. qui uino & floribus sacra huic deo faciebant. Hor. floribus & uino Genium memorem breuis horæ, & Tib. Illius è puro distillant tempora nardo. Atque satur libo sit, madeatq; mero. uult, quo maior tempestas futura est, eo magis Genio, ac lætitiæ seruiendum. hoc loco nihil est, quod aliquis dubitet, & poetam quasi insimulet, quod Genij sacrorum ignarus fuerit, cum dixerit, cum porco bimestri, propterea quod huic deo non fieret de uictima, in quo nemo non consentit, Verum hic non de sacrificio Genij intelligendum. Sed est cohortatio ad hilaritatem: quo modo loquendi utimur, cum hilaritati, ac lætitiæ seruimus. tunc enim curare Genium dicimur. quæ hilaritas hieme seuiente, ac bacchantibus uentis suauissima est. id apertius fit, cum dicit, aridum compone lignum. foco enim ardente omnia sunt hilariora. Quamobrem lib. j. Od. ix. ad Thaliarcum sic:

Dissolue frigus ligna super foco
Large reponens, atque benignius.

Igitur non de Genij sacrificio, sed de epulis, & hilaritate sermo est. Idem expressit Od. ix. lib. j.

Vides ut alta stet niue candidum Soracte.

Quare hic non de Genij sacrificio, sed de epulis & hilaritate intelligendum.

Dum potes, idest, dum licet. ita ibi, dissolue frigus ligna super foco large reponens, atque benignius. Dum potes, alibi sic idem expressit. Donec uirenti Canicies abest morosa. Et dum res & ætas, & sororum fila trium patiuntur atra.

AD FAVNVM.

Vt sibi propitius sit. Ode XVIII.

Favne, Nympharum fugientum amator,
Per meos fineis, & aprica rura
Lenis incedas: abeasque paruis
Aequus alumnis.
Si tener pleno cadit hædus anno:
Larga nec desunt Veneris sodali
Vina crateri: uetus ara multo
Fumat odore.
Ludit herboso pecus omne campo:
Cum tibi nonæ redeunt Decembres
Festus in pratis uacat ocioso
Cum boue pagus:
Inter audaceis lupus errat agnos:
Spargit agresteis tibi silua frondeis:
Gaudet inuisam pepulisse fossor
Ter pede terram.

COMMENTARII.

Faune, precatur Faunum, ne iratus in agellum suum sæuiat. potestatem enim habere putabatur in agros. cuius rei poeta hoc loco testis est, credo quod idem sit cum Pane. qui ἄγριος θεὸς est dictus. Quod uero Nymphas persequeretur, notissimum est. Lasciuum finxere. idcirco hunc eundem cum Priapo, Quinetiam cum Pane credidit antiquitas. Quem non nymphas solum, uerum formosos etiam pueros sectari prodiderunt, & arrectis pudendis effinxerunt.

Lenis incedas, quamuis pestilentem deum Porphyr. dicat, & propterea rogari, ut mitis sit alumnis, nihilominus cum idem sit Faunus, & Pan, fortasse poeta uoluit hac prædicatione ab ipsis alumnis omnem terrorem amouere. notum enim est de panicis terroribus, quibus etiam Titanes sunt perterrefacti. Lenis autem & æquus bellæ uariationes. Lene & asperum contraria sunt. Sic precatur Apollinem in carmine sæculari. Condito mitis, placidúsq; telo ueni. æquus benignum, non iratum significat. sic Virg. Iouem appellat, idest, misericordem. pauci quos æquus amauit Iuppiter.

Si tener, idest, si te sacris honoramus, infestus esse non debes. pulcherrima est sacrificij descriptio. cui similes placuit ex alijs etiam poetis ad copiam

piam adiuuandam collectas. adnotare. Tibull.

Agna cadet uobis. Hor. Ode xvij. lib ij.

Nos humilem feriemus agnam. Virg.

Sæpe tener nostris ab ouilibus imbuet agnus. Ouid. *tingere aras sanguine uotiuo dixit.* Virg. *meritos aris mactamus honores.* Theocr. βωμὸν δ' αἱμάξει κεραὸς τράγος. idest, aram cruentabit cornutus hircus. Ex quo factum est illud Virgilij. agnus imbuet aras, Hor. si thure placaris & orna fruge lares, auidaq; porca. & in eadem. Nam quæ niuali pascitur algido deuota quercus inter & ilices, aut crescit albanis in agris uictima pontificum secures ceruice tinget. Id. lib. iiij. Od. ij. Te decem tauri, totidemq; uaccæ, Me tener soluet uitulus relicta matre, qui largis iuuenescit herbis in mea uota. Idem lib. iiij. Od. xj. vetus ara auet immolato spargier agno. adde etiam illa lib. j. Od. iiij. *Hunc & in umbrosis fauno decet immolare lucis.* Et, *reddere uictimas, nos humilem feriemus agnam.* & illa, *Num gelidos inficiet tibi rubro sanguine riuos.* Et: *Cras donaberis hædo. & quam per exactos ego lætus annos uerris obliquum meditantis ictum sanguine donem.* Quod uero huic deo de hædo, & uino fieret, præterea de agno, ut credit Horatius, ibi, seu poscat agna, seu malit hædo, ex Lilio satis constat.

Larga nec desunt, uinum in omnibus fere sacris adhiberi solitum, notum est. hic autem dixit crateram Veneris sodalem, quemadmodum hebrum sodalem hiemis.

Vetus ara, alius modus exprimendi sacrificij. aras fumosas appellat Ouidius. Ideo Virg. Thure calent aræ. Lucr. ara exhalat odores. Virg. uotis incendimus aras. Ouid. aras odoratis ignibus placare dixit.

Ludit herboso, poeta alibi ludit exultim pecus. cum dicit pecus etiam ludere festo die, celebritatem illam amplificat.

Inter audaces, Cum natura timidi sint agni freti numine illo die audaciores fiunt. eadem est amplificatio.

Spargit, in signum lætitiæ ex dei aduentu. Sic Lucr. de Venere *tibi suaues dædala tellus summittit flores. tibi rident æquora ponti. placatumq; nitet diffuso lumine cælum.* pulchra sunt cōmenta poetica. de quibus lege lib. iiij. de poetica imitatione.

Pepulisse terram, saltationem describit etiam primo libro Ode quarta ibi, alterno terram quatiunt pede. & Od. xij. lib. iij. Quam nec ferre pedem deducit choris, & lib. iiij. pede candido in morem salium ter quatient humum. & Od. vij. eiusdem libri. Gratia cum nymphis, geminisq; sororibus audet ducere nuda choros. alia lege Od. iiij. libri primi ad illum locum. alterno terram quatiunt pede. huc adde illud Virgilianum; pars pedibus plaudunt choreas.

AD TELEPHVM. Ode XIX.

Non ita curandas esse ueteres historias, ut ea, quæ ad uitam exhilarandam pertinent, negligamus.

QVANTVM distet ab Inacho
Codrus, pro patria non timidus mori;
Narras, & genus Aeaci,
Et pugnata sacro bella sub Ilio.
Quo Chium pretio cadum
Mercemur: quis aquam temperet ignibus:
Quo præbente domum, & quota
Pelignis caream frigoribus, taces.
Da lunæ propere nouæ,
Da noctis mediæ, da, puer, auguris
Murænæ. tribus, aut nouem
Miscentur cyathis pocula commodis.
Qui Musas amat impares.
Ternos ter cyathos attonitus petet
Vates tres prohibet supra
Rixarum metuens, tangere Gratia
Nudis iuncta sororibus.
Insanire iuuat. cur Berecynthiæ
Cessant flaminia tibiæ?
Cur pendet tacita fistula cum lyra?
Parcentes ego dexteras
Odi: sparge rosas, audiat inuidus
Dementem strepitum Lycus:
Et uicina seni non habilis Lyco.
Spissa te nitidum coma,
Puro te similem Telephe uespero,
Tempestiua petit Chloe:
Me lentus Glyceræ torret amor meæ.

COMMENTARII.

Significat Telephum semper narrare historias. pulcherrima figura usus, dicit, eum narrare genus Aeaci, & quantum distet Codrus ab Inacho, & pugnata sacro bella sub Ilio. quæ in historijs narrantur. & sic gratiam addit carmini. si rem simpliciter exposuisset, nulla laus erat secutura: hac fi-

gura usus est libro primo Ode xxvj. nam cum significare uellet sibi non esse curæ regum facta, idem est secutus, pro omnibus regibus regum species assumens. sic uenustatem carmini inspersit. sic enim fecit:

Musis amicus tristitiam, & metus
Tradam proteruis in mare Creticum
Portare uentis, qui sub arcto
Rex gelidæ metuatur oræ.
Quid Tiridatem terreat unice

Securus. quo in loco admonebam ita prius fecisse Anacreontem. idem consilium adhibuit lib. ij. Ode xj.

Quid bellicosus cantaber, aut Scythes
Hirpine Quinti cogitet Adria
Diuisus obiecto remittas

Quærere, pro omnibus nationibus, quæ populi Ro. hostes essent, Quamuis de ipsis etiam posit intelligi ex historia. quid illud Ode xij. huius libri, cum uellet ostendere res bellicas nō esse canendas lyrico carmine, quam elegans fuit?

Nolis longa feræ bella Numantiæ,
Nec dirum Annibalem, nec Siculum mare
Pœno purpureum sanguine mollibus
Aptari citharæ modis.
Nec sæuos Lapithas, aut nimium mero
Hylæum, domitosq; herculea manu
Telluris iuuenes, unde periculum
Fulgens contremuit domus &c. Huiusmodi est:
Otium bello furiosa Thrace
Otium Medi pharetra decori, pro omnibus gentibus bellicosis.

Et pugnata sacro, Ex Virgilio sumptum. *illic genus omne futuræ stirpis ab Ascanio, pugnataq; in ordine bella.*

Quo Chium, historias narras. quæ ad hilaritatem faciunt, taces. mire hanc sententiam sic ornat circunstantijs quibusdam allatis, quæ uoluptatis sunt signa.

Da Lunæ, post obiurgationem monet quid sit Telepho faciendum.

Cur Berecynthiæ, hic locus declarat in compotationibus, & conuiuijs adhibitas tibias. intelligit autem de tibijs phrygijs. quæ etiam Lydiæ appellantur. quarum numerus erat concitatior, & eiusmodi, ut furorem immitteret. & idcirco aptæ compotationibus, in quibus dulce est desipere, & nulla modestiæ est ratio. sed, ut quisque magis bacchatur, & exclamat, magis licentiæ in bibendo satisfacit. Contra Doricus modus grauis, & sedatus. Ideo philosophus viij. Polit. monet pueros docendos esse τῷ δωριστὶ. Aeolius uero saltationibus. Ionius uetus asperitati, nouus mollicici aptior.

animad-

animaduertemus autem sono tibiæ, lyræ, ac fistulæ concentum, quę suauioris, ac melioris sint harmoniæ misceri uoluisse, ut lyræ, & fistulæ suauitate ille barbaræ tibiæ ἐνθουσιασμὸς temperaretur. Quod in Epodo ix. quoque seruandum esse uidit prudens poeta. vbi sic fecit:

Tecum sub alta, sic Ioui gratum, domo
Beate Mæcenas bibam,
Sonante mistum tibijs carmen lyra,
Hac dorium, illis barbarum.

Cum Mæcenate enim uiro grauissimo non ita erat lasciuiendū, ut omnino modus abesset, & uerecundia. siquis dicat tibias in cōuiuijs pares, & æquales adhibitas & pusillas fuisse, Is intelligat, huiusmodi tibias non pertinuisse ad affectus, sed ad æqualitatem, quæ esse in conuiuijs debet, notandam, nequis meliori conditione sit. unde sæpe Hom. δαῖτα ἐΐσην appellat. eleganter autem & illud fecisse uidetur, qui cum dicendum esset, cur non inflatur tibia, & lyra non pulsatur, ad suas artes confugiens, ita malluit. cur cessant flamina tibiæ Berecynthiæ. &: Cur pendet tacita fistula cum lyra?

Cur pendet, nempe ἀπὸ πασσάλου. idest, a clauo, ad quem suspenduntur lyræ. ut apud Pind. ἀλλὰ Δωρίαν ἀπὸ πασσάλου λάμβανε.

Sparge rosas, id obseruabis facere solitum poetam in omnibus conuiuijs, ut notare sæpius potuisti.

Audiat, hilarior aliquanto factus poeta, in hæc prorumpit lætus, ut stomachum faciat Lyco.

AD PYRRHVM. Ode XX.

Ne formosum puerum in puellā abstrahere moliatur.

NON *uides quanto moueas periculo*
Pyrrhe, Getulæ catulos leænæ?
Dura post paulo fugies inaudax
Prælia raptor:
Cum per obstantes iuuenum cateruas
Ibit, insignem repetens Nearchum:
Grande certamen, tibi præda cedat
Maior, an illi.
Interim dum tu celeres sagittas
Promis, hæc dentes acuit timendos:
Arbiter pugnę posuisse nudo
Sub pede palmam.
Fertur, & leni recreare vento

Sparsum odoratis humerum capillis:
Qualis aut Nireus fuit; aut aquosa
Raptus ab Ida.

COMMENTARII.

Non uides, dissuadentes metum proponimus: dehortatur Pyrrhum, ne auertat puerum a puella, quem amabat. magnum sibi ab ea periculum imminere, si pergat illum abducere. fore enim ingens prœlium a puella, quod sustinere ille non poterit.

Non ne uides, libenter hoc uerbo utitur in excitando, & monendo. ut ad Brutum: Nonne uides, ut nudum remigio latus, & ad Thaliarchū: Vides ut alta stet niue candidum Soracte. &, Sed uides quanto trepidet tumultu pronus Orion.

Cum per obstantes, furor amantis puellæ exprimitur. Quamuis natura iracunda est fœmina, iuxta illud παλλαδᾶ in Epigram. πᾶσα γυνὴ χόλος ἐστί. nihilominus cum uidet se re amata priuari: nihil truculentius. quare recte Seneca in Herc. Oeteo. *O quam cruentus fœminas stimulat dolor, Cum patuit una pellici, & nuptæ domus. Scylla & Charybdis Sicula contorquens freta, minus est timenda.* nulla non melior fera est: In quam sententiā Eurip. in Medea. γυνὴ γὰρ ἔστι τ' ἄλλα μὲν φόβου πλέα, κακή δ' ἐς ἀλκὴν, καὶ σίδηρον εἰσορᾶν. ὅταν δ' ἐς εὐνὴν ἠδικημένη κυρῆ, οὐκ ἔστιν ἄλλη φρὴν μιαιφονωτέρα. idest; Fœmina quidem in rebus omnibus timida est, uiribus impotens, & ferrum uidere impatiens. cum uero suum torum uiolari uidet, muliere nihil crudelius. Pro multis exemplis argumēto est Medea ipsa nota crudelitate in eos, qui sibi Iasonem uirum abstulerant, cum esset amore perdita, ut ait Eurip. ἔρωτι θυμὸν ἐκπλαγεῖσ' Ἰάσονος. Quem furorem apud Ouidium his uersibus ipsa Medea expressit:

Iræ animus mediæ suadebat in agmine turbæ
Raptaq; compositis demere serta comis.
Vix me continui, quin sic laniata capillos,
Clamarem, meus est, iniŋceremq; manus.

Huius perturbationis rationem affert Arist. ij. Rhet. natura scilicet nos ferri in eum, qui nos eo, quod uehementer cupimus, priuare quærit: Nam ait, Qui irascuntur, dolent, qui dolent, necessario aliquid appetunt, quare si, quod appetimus, eripitur, incendimur. hic autem affectus plurimum in amantibus dominatur. hac de causa Achilles Agamemnoni irascebatur apud Hom. sic:

ἦ γάρ μ' Ἀτρείδης εὐρυκρείων Ἀγαμέμνων
ἠτίμησεν· ἑλὼν γὰρ ἔχει γέρας, αὐτὸς ἀπούρας.

Arbiter pugnæ, nihil curantem, uter uincat, fingit puerum, de quo susci-

piendum erat certamen. ut uero hoc magis appareat, dicit, puerum recreare capillos lenibus auris, dum certant amantes. quod securitatis est signum. tale est illud Virg. In Sileno:

Ah uirgo, infelix, tu nunc in montibus erras,
Ille latus niueum molli fultus Hyacintho
Ilice sub nigra pallentes ruminat herbas.

Quem locum nos sic aliquando sumus imitati:

Qualem iuuenculum albulam iuuenculam
Vallis latentis abditam recessibus
Quærentem, is arua, & alta transuolat iuga
Meridiano urente sole feruidum,
Siluas peregrat immemor miser sui
In ualle passim ruminante bucula,
Dumq; illa latus fulta candidum rosis.
Beata gaudet fontibus strepentibus
Tranat rapaces fluminum sonantium cursus.

Aut aquosa, de Ganymede rapto elegantissime Virgilius:

Intextusq; puer frondosa regius Ida &c.

Aquosam appellat Idam ex Homero, qui hunc montem πολυπίδακα, idest, scaturigines, & fontes multos habentem uocat.

AD AMPHORAM. Ode XXI.

O NATA *mecum Consule Manlio,*
Seu tu querelas, siue geris iocos,
Seu rixam & insanos amores,
Seu facilem, pia testa, somnum:
Quocunque lectum nomine Massicum
Seruas, moueri digna bono die,
Descende, Coruino iubente
Promere languidiora uina.
Non ille, quanquam Socraticis madet
Sermonibus, te negliget horridus:
Narratur & prisci Catonis
Sæpe mero caluisse uirtus.
Tu lene tormentum ingenio admoues
Plerunque duro: tu sapientium
Curas, & arcanum iocoso
Consilium retegis Lyeo:
Tu spem reducis mentibus anxijs,
Viresque, & addis cornua pauperi,

Post

Post te neque iratos trementi
Regum apices, neque militum arma.
Te Liber, &, si læta aderit, Venus,
Segnesque nodum soluere Gratiæ,
Viuæque producent lucernæ,
Dum rediens fugat astra Phœbus.

COMMENTARII.

Cum mutis loqui, & inducere muta, atque inanimata loquentia, usitatum & ex arte esse perspicuum est. huiusmodi orationes habent motus. Horatius motu excluso amphoram alloquitur. Enumeratio eorum effectorum, quæ a uino proficiscuntur, ad gratiam pertinet, Cum inquit, seu tu querelas siue geris iocos, &c. Iocosum appellat Bacchum alibi. Inter iocosi munera Liberi. & paullo post, Iocosum Lycum uocat. ad quod alludit etiam libro secundo Ode xix. de Baccho loquens: Quamquam choreis aptior, & iocis, ludoq; dictus. Cum rixam addit, ad Lapitharum, & Centaurorum fabulas respexit. quare εἰραφιώτας, ἐρίβρομος, ἐριβρεμέτης, ἀπὸ τῆς ἔριδος dictus Bacchus. nam compotationes raro sunt sine rixis. uini enim calor ad furorem impellit. amoris uero auctorem hunc deum esse nemo dubitat, cum sine eo Venus frigescat. huc pertinent quæ attulimus Ode xv. huius libri. & ipse Anacreon comitem amoris facit Bacchum. somni uero conciliatorem cum dicit esse, nihil uerius. Ideo Tib.

Adde merum, uinoq; nouos compesce dolores,
Occupet ut fessi lumina uicta sopor.
Neu quisquam multo perfusum tempora Baccho
Excitet, infelix dum requiescit amor. & Theocr. in Helenæ Epith.

ἦρα πολλά τιν' ἔπινες, ὅτ' ἐς εὐνὰν κατεβάλευ. idest, an multum bibisti, quare in lectum te coniecisti.

Moueri, sic dixit, quia in promendo cadus uertebatur. unde alibi non anteuerso lene merum cado. de hoc alibi.

Descende, quoniam, ut alibi dictum est, in horreis seruabantur uina, Ideo sic Ode xxviij. lib. iij. parcis deripere horreis cessantem, Bibuli consulis amphoram.

Languidiora uina, sic. Nec Lestrigonia Bacchus in amphora languescit mihi. uetustatem significare uoluit. Tib. uinum annosum dixit.

Promere, & depromere sunt uerba apta uino relinendo. Sic Deprome quadrimum sabina dyota. & prome reconditum Lyde strenua cæcubum.

Non ille, pulchre dictum pectus madere Socraticis sermonibus, moralis philosophiæ peritum significans. ita appellat hoc genus philosophiæ ad Pisones, Rem tibi Socraticæ poterunt ostendere chartæ. & libros moralis

 philosophiæ

philoſophiæ ad Iccium ſcribens domum Socraticam uocauit. madere autem hic eſt quaſi ebrium eſſe, hoc eſt refertum, ac plenum præceptis philoſophiæ. horridum dixit pro ſeuero.

Narratur, ratio ab exemplo, inſtar habens Enthymematis. ſimile eſt illud. prome reconditum Lyde ſtrenua cæcubum, Munitæq; adhibe uim ſapientiæ.

Tu lene tormentum. alia addit uini effecta. Lene & tormentum contraria ſunt. quæ non carent uenuſtate. Si tormentum eſt, lene eſſe non poteſt, ſi lene, tormentum non eſt. tale eſt γλυκύπικρον, & concordia diſcors. & ſimilia.

Cornua pauperi, ſic eſt apud Ouid.

Tunc ueniunt riſus, tum pauper cornua ſumit.

Talis ſententia eſt apud Diphilum comicum.

Quam dulcis es Liber, ubi magnos ſpiritus
Sumere humilem, ridere tetricum facis.

Fidere timentem, audere quiddam debilem.

Tu ſpem, ideſt, lætitiam, pulſo metu, & curis.

Poſt te neque iratos, eadem eſt ſententia. Regum potentia nulla maior, quare lib. iij. Od. iij. ſic dixerat. non uultus inſtantis Tyranni mente quatit ſolida. figurate autem loquitur, & ideo poetice, pulchra translatione appellans potentiam, apicem, & rei tribuens quod perſonæ fuerat tribuendum. iratos enim apices regum dixit pro iratorum Regum apicibus. ita loquuntur poetæ. ita Pind. ſecunda Olymp. coronam ex olea circumſcribens dixit γλαυκόχροα κόσμον ἐλαίας, tribuens τῷ κόσμῳ quod oleæ tribui debebat. nam non ornamentum, ideſt, κόσμος glaucum eſt, ſed olea.

Trementi, grauius eſt, quam ſi dixiſſet timenti.

Te Liber, quærit Plutarchus in Problem: cur Dionyſium patrem Liberum appellent. An, inquit, quod bibentibus libertatis cauſa ſit? fiunt enim plerique ebrietate petulantiores. an ſicut Alexander dicit, quod pro Bœotiæ libertate pugnauit? ſed multas alias rationes lege in hiſt. deorum. Tria numina coniungit, quæ lætitiam ferunt. ſane Bacchus ſemper in lætitijs inuocari ſolitus, Venus uoluptatis eſt Dea, Gratiæ ſemper lætæ inducuntur. unde ſic appellatæ ſunt ἀπὸ τῆς χαρᾶς, ideſt, lætitia. hinc illud græcis tritum in triſtes. χαίρειν σπένδειν.

Dum rediens, ſol enim abit, & redit. Sic in carmine ſæculari:

Alme ſol curru nitido diem, qui
Promis & celas, aliusq;, & idem.

Naſceris. neceſſario autem fit, ut exoriente ſole ſidera occultentur, temporis deſcriptionem ex conſequenti neceſſario ſumpſit. Quare.

IN

IN DIANAM. Ode XXII.

MONTIVM *custos, nemorumq; uirgo*
Quæ laborantes utero puellas
Ter uocata audis, adimisq; letho
Diua triformis:
Imminens uillæ tua pinus esto:
Quam per exactos ego lætus annos,
Verris obliquum meditantis ictum,
Sanguine donem.

COMMENTARII.

Montium custos, elegans, & suaue carmen. quo pinum Dianæ dicat, pulchra imitatione Græcorum, qui primi morem tritum Epigrammatum fastidientes, genus hoc pastorale inuenerunt. quo non tantum leuia argumenta, ut amores, uerum etiam grauissimas sententias lepore, ac sale quodam rustico condientes tractarunt. talium non pauca in ἀνθολογίᾳ inuenias. & apud Theocritum. cuius rei auctorem fuisse facile crediderim. Hanc rationem, uiamq; ad Latinos translatam, ac postea longissimo interuallo cum summa laude ab Andrea Naugerio in primis, atque a M. Antonio Flaminio non tantum cultam, quam etiam ornatam fuisse omnes sciunt. Huius generis est illud Horatij: Faune Nympharum fugientum amator. cui dedicationi persimilis est illa inter multas Naugerij:

Dat cereri has Teleson spicas, hæc serta Lyæo,
Hæc niuei lactis pocula bina Pali.
Pro quibus arua Ceres, uites fœcundet Iacchus,
Sufficiat pecori pabula læta Pales. Hæc Flaminij:
Hanc laurum formosa tibi formosus Iolas
Sevit, & hanc madidis irrigat usque genis &c.

Hic mihi liceat per elegantes homines idem, quod mercatoribus, qui inter pretiosas merces fucosas etiam, ac fallaces supponunt. Quare hac specie meum in hanc sententiam Epigramma non pudebit adiungere. hoc est:

Luteolam hanc calthEam, hosq; immortales Amaranthos
Collapsos pleno Chloridos è gremio
Seruat Acon uobis Zephyri, texitq; coronam.
Conueniunt uestris mollia serta comis.
Vos modo Leucothoen Nymphis dum immista Dianæ
Et cingit saltus, persequiturq; feras,

Incolumem

Incolumem seruate æstu, neu mollia lædat
Oraq;, neu redeat sole perusta domum.

Vide, quæ obseruauimus initio Odes xvij. huius libri:

Verris, lege quę xviij. Od. huius libri collegimus, ibi: Si tener pleno &c.

Exactos annos, pleno anno, dixit in proximo carmine.

Ad Phidilen, suadens deos puris manibus, & bona conscientia colendos. Ode XXIII.

CAELO *supinas si tuleris manus*
Nascente luna, rustica Phidile:
Si ture placaris, & horna
Fruge Lares, auidaque porca:
Nec pestilentem sentiet Africum
Fœcunda uitis, nec sterilem seges
Rubiginem, aut dulces alumni
Pomifero graue tempus anno.
Nam, quæ niuali pascitur Algido
Deuota quercus inter, & ilices:
Aut crescit Albanis in herbis
Victima, pontificum secures
Ceruice tinguet. te nihil attinet
Tentare multa cæde bidentium:
Paruos coronantem marino
Rore deos, fragilique myrto.
Immunis aram si tetigit manus,
Non sumptuosa blandior hostia,
Mollibit auersos penates
Farre pio, & saliente mica.

COMMENTARII.

Cælo supinas, deos nõ opimis uictimis, sed potius mentis integritate placari ostendit. ritus precantium eleganter exprimit. sic locuti sunt alij poetæ. Virgilius sæpe dixit tollere palmas ad cœlum, ad sidera, pro quibus aliquando orare manibus supinis usus est. hunc orandi morem hodie seruamus. Tria facilia proponit, quibus dij placari posſint, manibus in cœlum tollendis. thure, & porca.

Nec pestilentem, dilatat sententiam enumeratione frugum, quibus nocent tempestates, & uenti. sunt autem hæ. uites, segetes, & poma, cum reliquis, quæ fert Autumnus. hæc enim bona potisſimum sunt, quæ ex agris percipimus.

pimus. & quibus timent agricolæ. additisq; speciebus malorum, quæ uineis sunt inimica, longe uenustius est factum. Similia mala exponit Ode prima libri tertij, quæ uineas perdunt: Non uerberatæ grandine Vineæ, fundusq; mendax, arbore nunc aquas culpante, nunc torrentia agros sidera, nunc hiemes iniquas. Non omittam, pulchre poetam respexisse ad ætatem puerilem, quæ, cum pomis delectetur, nihil tam timet, quam ne poma intereant. Quod Africum pro omnibus uentis perniciosis posuit, eleganter fecit.

Nam quæ niuali; sumptuosas uictimas Phidilæ minus opus esse ait. illæ enim in maioribus sacris adhibentur. Cum dicit Victimam aliquam pascere in Algido, inter quercus & ilices, aut crescere albanis in agris, non mediocrem gratiam addit, & quodam quasi colore exornat. deuotam uero uocat uictimam uel uoto dijs promissam, uel addictam, & dicatam. ut, morti deuota futuræ. illud ego non satis mirari queo, quam poetice, atque artificiose sit factum. nam uolens dicere, Victima mactabitur in sacris pontificum, dixit Pontificum secures ceruice tinget, a consequenti ducta figura. de uarijs modis sacrificandi uide in hoc libro Od. xiij. & Od. xviij.

Paruos, per deos paruos uel lares, uel penates, uel Genium intelligit. hi minuti dij, & patellarij appellabantur, quod in pateris ijs sacra fierent. Coronantem autem deos, dicit, quoniam dijs donabantur coronæ a sacrificantibus. pro ut quæque dijs erant dicatæ. neque sine coronis sacra fiebant.

Aram si tetigit, idest, si expers sceleris integra mente sacra facies, locus est ab Adiunctis, nam tum cum sacris operã dabant, aram manu tenebant.

IN AVAROS. Ode XXIIII.

INTACTIS opulentior
Thesauris Arabum, & diuitis Indiæ,
Cæmentis licet occupes
Tyrrhenum omne tuis, & mare Ponticum:
Si figit adamantinos
Summis verticibus dira necessitas
Clauos: non animum metu,
Non mortis laqueis expedies caput.
Campestres melius Scythæ,
Quorum plaustra vagas rite trahũt domos,
Viuunt, & rigidi Getæ;
Immetata quibus iugera liberas
Fruges, & Cererem ferunt:
Nec cultura placet longior annua:
Defunctumque laboribus
Aequali recreat sorte vicarius.

Illic

Illic matre carentibus
Priuignis mulier temperat innocens:
Nec dotata regit virum
Coniunx: nec nitido fidit adultero.
Dos est magna, parentium
Virtus, & metuens alterius viri
Certo fœdere castitas.
Et peccare nefas, aut pretium est mori.
O, quisquis volet impias
Cædes, & rabiem tollere ciuicam:
Si quæret pater vrbium
Subscribi statuis, indomitam audeat
Refrenare licentiam,
Clarus postgenitis, quatinus, heu nefas,
Virtutem incolumem odimus:
Sublatam ex oculis quærimus inuidi.
Quid tristes querimoniæ,
Si non supplicio culpa reciditur?
Quid leges sine moribus
Vanæ proficiunt, si neque feruidis
Pars inclusa caloribus
Mundi, nec Boreæ finitimum latus,
Durataq; solo niues
Mercatorem abigunt? horrida callidi
Vincunt æquora nauitæ?
Magnum pauperies opprobrium iubet
Quiduis & facere, & pati,
Virtutisq; uiam deserit arduæ.
Vel nos in Capitolium,
Quo clamor uocat, & turba fauentium:
Vel nos in mare proximum
Gemmas, & lapides, aurum & inutile,
Summi materiam mali,
Mittamus. scelerum si bene pœnitet:
Eradenda Cupidinis
Praui sunt elementa: & teneræ nimis
Mentes asperioribus
Formandæ studijs. nescit equo rudis
Hærere ingenus puer:
Venarique timet, ludere doctior,
Seu Græco iubeas trocho,

Seu malis uetita legibus alea.
Cum periura patris fides
Consortem socium fallat, & hospitem,
Indignoque pecuniam
Heredi properet, scilicet improbæ
Crescunt diuitiæ, tamen
Curtæ nescio quid semper abest rei.

COMMENTARII.

Intactis opulentior, hæc sententia de morte ineuitabili sæpe a poeta celebrata est. ut nos non semel admonuimus. quo modo autem, & qua felicitate tam sæpe idem transformauerit, ex locis, quos comportauimus, cognóscent adolescentes. quæ quidem diligentia ad similia inuenienda uiam potest aperire. significat neminem quantum uis magnis diuitijs mortem uitare posse. sententiam exornat speciebus ingentium diuitiarum, quas qui possidet, necesse est sit ditissimus.

Mare Ponticum, aliqui emendarunt Apullicum. Landinus, Punicum legit, quod continuetur cum Tyrrheno.

Dira necessitas, multi multa de necessitate, de fato, de parcis, quas necessitatis filias in throno sedentes, albis uestibus indutas, capite coronato ad Syrenum harmoniam canere prodiderunt, aliorum sit negotium. omitto etiam Chrysippi sententiam diuinam necessitatem esse deum existimantis, cui omnia subiecta sunt. nec quis eam uitare potest. iuxta illud Hesiodi. οὔτι πῃ ἐστὶ Διὸς νόον ἀλέασθαι. vbi per Iouis mentem fatum ipsum, idest, εἱμαρμένην, ex Stoicorum sententia intelligendum putant. hi sunt claui adamantini, qui reuelli, ac frangi nequaquam possunt. eleganter autem poeta, laqueos mortis dicens, uidetur allusisse ad illud Aeschyli, qui πέδας ἀδαμαντίνας, idest, compedes adamantinos dixit, mortis inextricabilis uim significans. de quibus laqueis sic poeta noster Ode septima libri quarti: Nec Lethea ualet Theseus abrumpere caro uincula Pirithoo. Pulchre autem sibi respondent laquei, & expedire. sumpta ab aucupibus translatione, qui auiculas laqueis decipiunt. laqueos autem puto esse necessitatem, idest, ἀνάγκην.

Si neque feruidis, idem uoluit dicere Ode iij. lib. iij. vbi leges, quæ contulimus. Quicunque mundo terminus obstitit, hunc tanget armis, uisere gestiens, qua parte debacchentur ignes &c. Non aliter hæc loca descripsit Ode xxij. lib. j. Pone me pigris &c.

Aurum & inutile, Idem uoluit proferre Ode tertia huius libri. Aurum irrepertum, & sic melius situm cum terra cælat, spernere fortior quam cogere humanos in usus.

Et teneræ, de educatione puerorum dicebamus Ode ij. huius libri.

Nescit equo, ideo male accipit Lydiam, quæ ab hoc, atque alijs studijs iuuentutis Sibarin auertebat.

AD BACCHVM. Ode XXV.

Se Bacchi instinctu, atque afflatu noua quædam, & inaudita de Augusto dicturum.

QVo me, Bacche, rapis tui
Plenum? quæ in nemora, & quos agor in specus
Velox mente noua? quibus
Antris, egregij Cæsaris audiar
Aeternum meditans decus
Stellis inserere, & concilio Iouis?
Dicam insigne, recens, adhuc
Indictum ore alio. non secus in iugis
Exsomnis stupet Euias,
Hebrum prospiciens, & niue candidam
Thracen, ac pede barbaro
Lustratam Rhodopen. vt mihi deuio
Rupes, & vacuum nemus
Mirari libet? o Naiadum potens,
Baccharumque valentium
Proceras manibus vertere fraxinos:
Nil paruum, aut humili modo,
Nil mortale loquar. dulce periculum est,
O Lenæe, sequi deum
Cingentem viridi tempora pampino.

COMMENTARII.

Quo me Bacche, pulcherrima est Ode, & ualde poetica: ut quiuis facile iudicare posit ex Bacchi, & Musarum inspiratione confectam, non ex humano ingenio perfectam. Apparet poetam cantaturum Cæsaris laudes eodem furore percitum, quo commotus fuisse uidetur, cum de laudibus Bacchi dicturus esset Ode decima libri secundi. ubi nonnihil de poetico furore dicebamus. quem alij ἔνθεσιν, alij θρίασιν, & ἐνθουσιασμὸν uocarunt. Is quidem tam magnos auctores habet Democritum, Platonem, & Aristotelem, ut a nemine refelli posit. In Phædro quidem duplicem furorem esse scripsit Plato, ubi inquit, μανίας δέ γε εἴδη δύο, ἥ μὲν ὑπὸ νοσημάτων ἀνθρωπίνων, ἥ δὲ

ſunt, optima poemata componunt. alij mente alienantur, hi ſunt μανικοί. Quæ genera quamuis inter ſe paria ſint, uidentur tamen diſcrepare, ſi perturbationem, commotionemq; reſpiciamus. nam cum utrunque genus uelit ſe immittere, ac transformare in perſonarum affectus, eoſq; exprimere, nihilominus, qui furore corripiuntur, magis commouentur, & facilius in auditorum animos illabuntur, & quod uolunt imprimunt in eorum animis: ideo hos εὐπλάστους appellat Ariſtoteles ob illam ſui in quiduis formandi facilitatem. qui enim uere iratus eſt, alios ad iram incitare, & qui flet, alios ad miſericordiam, ac fletum poteſt adducere. Quamobrem magis mouent ij, quam qui tranquillo animo perſonas, atque earum affectiones tractant. Ideo ſic Ariſt. in Poetica. πιθανώτατοι γὰρ ἀπὸ τῆς φύσεως οἱ ἐν τοῖς πάθεσίν εἰσι· καὶ κυμαίνει ὁ κυμαζόμενος, καὶ χαλεπαίνει ὀργιζόμενος ἀληθινώτατα. ideſt. maxime perſuadent, qui in perturbationibus ſunt. idcirco exagitatus exagitat, & perturbatus uerisſime petrurbat. Vnde ſumptus eſt locus Ciceronis ij. de Orat. ibi. Neque enim fieri poteſt, ut doleat is, qui audit &c. Hac alienatione raptus Virgilius, quem non mouet ad miſericordiam uel Troiæ incenſæ caſu, uel Didonis amoribus, ac morte commemoranda? id nihil eſt aliud, quam furere. Quod cum mihi uenit in mentem, facile hanc cauſam eſſe arbitror, quamobrem poetæ ſacri, ac diuini ſunt appellati. nam id præſtare ſupra hominem eſt. & humanas uires excedit. Ingenioſi uero omni motu carent. nihilominus ingenij ac mentis perſpicacitate, ac ui, quid quæq; res, perſona, tempus, affectus poſtulant, uident. & propterea idem in mouendo aſſequuntur, quod ij, qui perturbati dicunt. qui quidem furor in Oratore pariter requiritur. De quo lege Ciceronem in Bruto, ubi de Seruio Galba Oratore narrat. Hunc furorem mirifice agnoſcimus in VALERIO BARDELINO, magni nominis Iureconſulto, atque Oratore eloquentisſimo. qui ob excellentem dicendi facultatem, ſubtilitatemq; diſſerendi, omnium oculos, atque ora ad ſe audiendum conuertit, quique ingenij acumine in omnes affectus perſonarum, quas agit, ita ſe transformat, ut ſuam, non eorum, pro quibus agit, perſonam exprimere uideatur. Sed exortus eſt Lodouicus Caſteluitreus, qui omnino tollit, atque irridet furorem, putat Ariſtotelem ab opinione poetici furoris prorſus alienum fuiſſe, atque eo potisſimum loco nititur, quo præcipue philoſophus furorem ipſum conſtituit. de quo paullo poſt. & addit, ab eodem Platonem reprehendi, quamuis, inquit, non reprehendat. aitq; hanc de furore opinionem ab ignoratione uulgi ortum habuiſſe. & inani poetarum gloriæ id tribuit, qua capti libenter illam arripuerunt, atq; arreptam, ut dicit, aluerunt. Idcirco Platonem, cum de eo uel in Ione, uel in Phædro, uel in Apologia loquitur, ludere affirmat. &, ut ita ſenſiſſe probet Ariſtotelem, illum locum corrumpit, ſcilicet, διὸ εὐφυοῦς ἡ ποιητική ἐστιν, ἢ μανικοῦ. ideſt, ideo ingenioſi poetica eſt, uel furore commoti. ubi legendum putat οὐ μανικοῦ. ideſt, non eius, qui mente ſit abſtractus.

ſtractus. ubi cùm duo genera poetarum conſtituantur, illud, quod mentis alienationem conſtituit, tollit. eius uerba placuit interpretari ſic illum locum exponentis. Sed, ut mihi uidetur, animaduertendum eſt, mendoſum eſſe Ariſtotelis locum. nam pro ἢ μανικοῦ, reponendum eſt, οὐ μανικοῦ. nec mirum ex οὐ factum eſſe, ἢ, ab ijs, qui iam illam de poetico furore opinionem imbiberant. & ſtatim infert. uerum eſt, quod illa lectio, ἢ μανικοῦ, poſſet retineri, ſuperiori ſententia integra, ſi, ἢ, pro μᾶλλον ἢ, expoſuerimus. quemadmodum Homerus uſus eſt. βούλομαι ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι, ἢ ἀπολέσθαι. hoc eſt, poetica magis eſt eius, qui ingenio excellit, quam furore perciti. ſic Caſteluitreus. Ego uero non puto per doctos homines illi licere, ut uerbum tot ſæculis retentum, ſine ulla alicuius antiqui, atque optimi textus auctoritate mutare. quæ mutatio fortaſſe alicui imperito facile intrudi poterat. cum talia aliquando incidant. Sed mirum, tanti momenti locum a tot eruditiſsimis uiris, qui tam docte in Ariſtotelis poeticam ſcripſerunt, prætermiſſum. At uero non tantum non modo non prætermiſerunt, ſed, ueterem lectionem ſeruantes, duo ipſa genera poetarum conſtituerunt. Quod Plato etiam ipſe feciſſe uidetur in Apologia in eo loco, quem ſupra attulimus. ubi inquit, quæ poetæ faciunt, non ſapientia facere, ſed natura quadam, & minime afflatos. ἀλλὰ φύσει τινὶ, καὶ ἐνθουσιάζοντες. Quare, quid per ἐνθουσιάζοντας, & φύσιν τινα intelligendum ſit, neſcio, ſi de duplici furore intelligendum non eſt. Quamuis Vincentius Madius in hunc locum Ariſtotelis, de quo diſputamus, ſcripſerit, Ariſtotelem quidem duo poetarum genera, Platonem uero unum tantum ponere, nempe eius, qui a furore corripitur. quem falli proculdubio arbitramur. nam in eo loco, quid aliud per φύσιν intellexiſſe exiſtimabimus diuinum philoſophum, quam illud poetarum genus, qui præſtanti ingenio pollent? alioqui uox illa otioſa, & ſuperuacanea ſit neceſſe eſt. conuenit igitur inter ſummos philoſophos, ut ad Caſteluitreum redeam, legendum, ἢ μανικοῦ. Quod uero inquit, ἢ, uideri poſitum pro μᾶλλον ἢ, apud Hom. id profecto non fuerat dicturus, ſi meminiſſet, Porphyrium interpretari, ἢ, pro καὶ, his uerbis. θέλω, γάρ φησιν, ἐγὼ τὸν ὄχλον μᾶλλον σώζεσθαι, καὶ αὐτὸς ἀπολέσθαι. ὁ γὰρ σύνδεσμος, ἢ, ἀντὶ τοῦ, καὶ, παρείληπται τῷ ποιητῇ. ideſt, Ego exercitum malo ſeruari, & ipſe perire. Coniunctio enim ἢ, a poeta pro, &, ſumitur. Nemini igitur de duobus poetarum generibus dubitandum relinquitur. Sed aliud iſtius argumentum adnectamus ad furorem exterminandum. Is ad eam rem locum ex eadem poetica Ariſtotelis arripit, qui ſextus eſt ſecundum ſuam diuiſionem. ubi philoſophus tradit unam eſſe debere fabulam, Homerum laudans, quod diligentiſsimus huius præcepti fuerit obſeruator. idque uel arti, uel naturæ tribuit diuini poetæ. Locus eſt. ὁ δ' Ὅμηρος, ὥσπερ καὶ τὰ ἄλλα διαφέρει, καὶ τοῦτ' ἔοικε καλῶς ἰδεῖν, ἤτοι διὰ τέχνην, ἢ διὰ φύσιν. hoc eſt, Quemadmodum Homerus in cæteris præſtat, & hoc uidetur pulchre

uidiſſe,

uidisse, siue propter artem, siue propter naturam. Ille ex his uerbis colligit Aristotelem nullum prorsus in Homero poeticum furorem agnoscere. Cupio doceri, quis in ea re furor requiratur. Natura quidem, idest, ingenium, atque Ars satis fuere, a quibus adiutus Homerus, in eo munere tam egregio uersatus est, ut furore opus non fuerit. Quamuis dici potest, fabulæ constitutionem, quæ laude digna sit, furorem redolere debere. profecto modo nescio quo contingit, ut, dum se poeta immittit, ac penitus immergit in fabulam, atque in singulas eius partes, dum perlustrat affectus, ac personas explorat, seq; in illas transformat, aliqua furoris scintilla tangatur. in quas res cum se cogitatione coniecit, tanquam in scena agat, commouetur. Hoc profecto uere dici potest, Homerum, dum se per partes, atque interiora fabulæ membra inuolués insinuasset, sine alicuius furoris auxilio tam præclare facere non potuisse. Quod si dixerimus, fateri necesse erit, Homerum non sine furore fabulam constituisse, & propterea furorem dari. Quare quem non offendat illa conclusio? Homerus in fabula constituenda furore usus non est, nullus ergo furor est. Vt de arte aliquid dicam, quis in constitutione, quæ arte expolitur, furorem desideret? ad hoc præstandum ars præcepta subministrat, & docti homines monstrant. quod ille de Homero dicit, qué a Phemio eruditum narrat. Itaque, cum de arte mentio sit, quorsum de furore cogitare?

Quo me Bacche, a Baccho & Musis inspirari poetas narrant non eo modo, quo Ennium ad arma canenda uenisse tradunt, aut quo Alcęus lusit, aut Anacreon, cuius Musam uinosam appellat Ouidius, aut Alcman, uel quo Sophocles Aeschylum impulsum tragœdias suas scripsisse notauit, cum dixit, non ipsum, sed uinum suarum tragœdiarum auctorem extitisse. sed diuina Bacchi inspiratione.

Rapis, propriè rapi dicuntur poetæ extra se positi, sui obliti, in alienis sensibus uiuentes. hoc uerbo nihil ad uim furoris ostendendam aptius. ab interrogatione artificiosissime inchoatum est carmē. ut appareat uere commotus poeta. nam, qui in furore est, non sedate loquitur. neque ullum est genus orationis, quod magis declaret animi perturbationem, quam interrogatio.

Mente noua, propter alienationem.

Stellis inserere, immortalem facere. ideo Virg. quęrit:

Anguslo locum inter sidera.

An ne nouum tardis sidus te mensibus addas,

Qua locus Erigonen inter, Chelasq; sequentes

Panditur. &c. De ijs modis ad Od.iij.huius libri.

Non secus, se ita stupidum esse ait, ut Bacchantes fœminæ. Stupere autem est cum stupore quodam admirari. Ideo sequitur, Vt mihi deuio rupes, & uacuum nemus mirari licet. hoc autem furentibus solet accidere.

O Naiadum, egregia Bacchi Periphrasis.

Valentium, notanda uerborum compositio, a litteræ complosione ad asperitatem faciendam non iniucunda. Totum carmen ita uerborum, & sententiarum genere compositum est, ut furor in poeta possit agnosci. Deũ cingentem tempora uiridi Pampino, egregia Periphrasis Bacchi.

Se iam senem amoribus amplius aptum non esse. Ode XXVI.

VIxi puellis nuper idoneus,
Et militaui non sine gloria:
Nunc arma, defunctumque bello
Barbiton hic paries habebit:
Laeuum marinæ qui Veneris latus
Custodit. hic, hic ponite lucida
Funalia, & uectes, & arcus
Oppositis foribus minaces.
O, quæ beatam diua tenes Cyprum, &
Memphim carentem Sythonia niue,
Regina, sublimi flagello
Tange Chloen semel, arrogantem.

COMMENTARII.

Et militaui, iuxta illud, Militat omnis amnus, & habet sua castra Cupido. Arma, defunctumq; bello barbiton, pulchra est allegoria ex pluribus metaphoris.

Hic paries habebit, notus est ueterum mos, post impetratam ueniam ab Imperatore propter senectutem, arma ad templa deorum suspendendi.

Marinæ, Ideo Pelagiam Venerem, uocatam dicunt. Græcis ποντία, ἐναλία, & eadem de causa ἀφροδίτη, notum illud, Orta Salo, suscepta solo &c. quamuis alibi aliam etymologiam huius nominis attulerimus.

O quæ beatam, Periphrasis ex ijs, quæ insignes sunt. alibi sic circumscribit hanc deam: O Venus, regina Gnidi, Paphiq;.

Tange Chloen, tapinosin uocant Rhetores figuram, qua rem magnam humiliter exprimimus. sic mare gurgitem appellat Virg. alibi Hor. Hunc tangat armis, pro uexet. de quo uerbo alias.

AD

AD GALATHEAM NAVIGANTEM.
Ode XXVII.

Deterret eam præcipue ab exemplo Europæ.

IMPIOS parræ recinentis omen
Ducat, & prægnans canis, aut ab agro
Raua decurrens lupa Lanuuino,
Fœtaque uulpes.
Rumpat & serpens iter institutum,
Si per obliquum similis sagittæ
Terruit mannos. ego cui timebo
Prouidus auspex?
Ante quam stantes repetat paludes
Imbrium diuina auis imminentum:
Oscinem coruum prece suscitabo
Solis ab ortu.
Sis licet felix, ubicunque mauis,
Et memor nostri Galathea uiuas:
Teque nec læuus uetet ire picus,
Nec uaga cornix:
Sed uides, quanto trepidet tumultu
Pronus Orion. ego, quid sit ater
Hadriæ, noui, sinus: & quid albus
Peccet Iapyx.
Hostium vxores, puerique cæcos
Sentiant motus orientis Hædi, &
Aequoris nigri fremitum, & trementes
Verbere ripas.
Sic & Europe niueum doloso
Credidit tauro latus, & scatentem
Belluis pontum, mediasque fraudes
Palluit audax.
Nuper in pratis studiosa florum, &
Debitæ nymphis opifex coronæ,
Nocte sublustri, nihil astra præter
Vidit, & undas.
Quæ simul centum tetigit potentem
Oppidis Creten: pater o relictum
Filiæ nomen, pietasque, dixit
Victa furore.

Vnde? quo veni? leuis vna mors est
Virginum culpæ. vigilansne ploro
Turpe commissum? an uitijs carentem
Ludit imago
Vana: quæ porta fugiens eburna
Somnium ducit? meliusne fluctus
Ire per longos fuit: an recentes
Carpere flores?
Si quis infamem mihi nunc iuuencum
Dedat iratæ, lacerare ferro, &
Frangere enitar modo multum amati
Cornua tauri.
Impudens liqui patrios Penates:
Impudens Orcum moror. O, deorum
Si quis hæc audis: utinam intererrem
Nuda leones.
Ante quam turpis macies decentes
Occupet malas, teneræque succus
Defluat prædæ: speciosa quæro
Pascere tigres.
Vilis Europe, pater urget absens:
Quid mori cessas? potes hac ab orno
Pendulum, zona bene te secuta e-
Lidere collum,
Siue te rupes, & acuta letho
Saxa delectant: age, te procellæ
Crede ueloci: nisi herile mauis
Carpere pensum
Regius sanguis, dominæque tradi
Barbaræ pellex. aderat querenti
Perfidum ridens Venus, & remisso
Filius arcu.
Mox, ubi lusit satis, Abstineto
Dixit, irarum, calidæque rixæ,
Cum tibi inuisus laceranda reddet
Cornua taurus
Vxor inuicti Iouis esse nescis?
Mitte singultus: bene ferre magnam
Disce fortunam: tua sectus orbis
Nomina ducet.

COM-

COMMENTARII.

Impios, sensus, omnia fœda, & tetra portenta, atque omina sequantur impios. πονηρούς Græci dicerent. quæ frequens uox est in sacris litteris, Ad elegantiam sermonis, & carminis plurium animalium mali ominis enumeratione usus est. Lambinus præclare se gerit in hoc carmine interpretando, ut reliquis locum prope nullum reliquerit. Sed nihil est tam accuratum, cui aliquid appingi, atque addi non possit. pronum Orionem pro occidente pulchre dixit. poetice digressionem annectit de Europa. de quo genere alias dicebamus. scilicet lib. j. Od. iij. hæc autem non tam probandæ rei, quam ornandæ suscepta est. valde enim expolitur hæc narratio fabulæ commemoratione. in hac re summam habet delectationem Europæ se a tauro deceptam querentis oratio. quam cum miserabiliter flentem inducit moribus puellæ effingendis, oratio suauior facta est. sic enim statuit Cicero. Delectat enim inquit, quicquid est admirabile, maximeq; mouet ea, quę motum aliquem miscet oratio.

Sic & Europe, raptum Europæ elegantissimo carmine prosecutus est Theocritus. ex quo quidem totam Oden concinnauit Hor. vt constabit.

Doloso, hoc uno epitheto poeta expressit duos Theocriti uersus, quibus ostendit insidias, & fallaciam Iouis in Virgine decipienda.

δὴ γὰρ ἀλευόμενος τε χόλον ζηλήμονος Ἥρας
παρθενικῆς τ' ἐθέλων ἀπαλὸν νόον ἐξαπατῆσαι,
κρύψε θεὸν, καὶ τρέψε δέμας, καὶ γείνατο ταῦρος.

Idest, & uim uitans indignationem Zelotypę Iunonis, Virginisq; uolens teneram mentem decipere, occultauit deum, & mutauit corpus, & taurus est factus. eleganter autem poeta Europam niueum latus tauro credidisse dixit. quod sic Theocritus: ὣς φαμένη νώτοισιν ἐφίζανε μειδιόωσα. idest, sic locuta, tergo insedit ridens.

Nuper in pratis, sic Theocritus Nymphas, & Europam floribus intentas describit.

αἱ δ' ἐπεὶ οὖν λειμῶνας ἐσήλυθον ἀνθεμόεντας
ἄλλη ἐπ' ἀλλοίοισι τότε ἄνθεσι θυμὸν ἔτερπον.
τῶν μὲν νάρκισσον εὔπνοον, ἡ δ' ὑάκινθον,
ἡ δ' ἴον, ἡ δ' ἕρπυλλον ἀπαίνυτο, πολλὰ δ' ἔραζε
λειμώνων ἐαροτροφέων θαλέθεσκε πέτηλα.
Αἱ δ' αὖτε ξανθοῖο κρόκου θυόεσσαν ἔθειρην
δρέπτον ἐριδμαίνουσαι. idest, hæ uero postquam ad prata uenerant florentia, aliæ alijs animum floribus oblectabant, harum hæ narcissum suaue halantem, hæc uero hyacinthum, hæc uiolam, hæc autem serpillam carpebat. multaque ad terram pratorum uernantium cadebant folia; aliæ uero flaui

croci

croci odoram comam decerpebant certantes. hæc multa in quam paucisſima redegit Horatius contractione.

Quæ ſimul centum, in Cretam ductam Europam etiam Theocritus dixit.

Nihil aſtra, hoc ſic apud eundem poetam.

ἡ δ' ὅτε δὴ γαίης ἀπὸ πατρίδος ἦεν ἄνευθεν,
φαίνετο δ' οὔτε ἀκλῆτις, ἀλλίῤῥοος, οὔτ' ὄρος αἰπὺ,
ἀλλὰ ἀὴρ μὲν ὕπερθεν, ἔνερθε δὲ πόντος ἀπείρων.

Ideſt, at illa cum iam a terra patria eſſet ſeorſum, apparebat enim neque littus, quod mari alluitur, neque mons altus, ſed cœlum deſuper, infra mare immenſum.

Pater, o pater, cuius nomen tantum retineo, caritate, & pietate neglecta, amore uicta. In duobus autem uerbis Victa Furore latet excuſatio.

Vnde? quaſi alienata hæc dicit.

Vigilanſne ploro, adeo extra ſe poſita erat, ut plane ignoraret uera ne eſſent, quæ ſibi euenerant, an ſomnaret. ſane Theocritus initio Idylij Europæ a Venere ſomnum immiſſam narrat.

Ludit imago, quam imaginem uocat poeta Theocr. φάσμα appellat.

τίς μοὶ τοιάδε φάσματα ἐπουρανίων προΐηκε.

Ideſt, quis mihi hæc ſpectra cœleſtium immiſit.

Impudens, ſic Theocr.

οἴμοι ἐγὼ μέγα δὴ τὶ δυσάμμορος, ἥ ῥά τε δῶμα
πατρὸς ἀπολείπουσα. ideſt, hei mihi prorſus miſeræ quæ domum patris relinquens. Verbi autem eiuſdem duplicatio facit ad ſuauitatem ſic enim Cic. de orationis ſuauitate in Part. Relataq; ad idem uerbum, & geminata, atque duplicata &c. nec minus ad augendum eadem ualent. ad quod ſimul poeta reſpexit. itaque Cic. in eodem libro de hoc uerborum genere ſic. Augent etiam relata uerba, iterata, duplicata. queritur quod uiuat. id enim eſt morari orcum.

O deorum, δέησις, ſiue εὐχή. ideſt, precatio, magnam habens uim ad affectum. maciem occupare malas, belle dictum eſt.

Vilis Europe, pudicitia amiſſa ſe nullius eſſe pretij ſignificat, ſic Cat. in Epithalamio.

Vt flos in ſeptis ſecretus naſcitur hortis
Ignotus pecori, nulli contuſus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat ſol, educat imber,
Multi illum pueri, multæ optauere puellæ:
Sic Virgo dum intacta manet, dum cara ſuis: ſed
Cum caſtum amiſit polluto corpore florem,
Nec pueris iucunda manet, nec cara puellis,

Ideo autem uilem ſe uocat, quod taurum ſecuta erat. καὶ ἑσπομένη βοῒ τῷδε. ideſt, hunc taurum ſecuta. Theocr.

Quid

Quid mori cessas, figura quam Græci ἀποκαρτέρησιν uocant. Cum omnem ſpem abijcimus. ut illud Virgilij. ſic moriamur ait, ſic iuuat ire ſub umbras.

Potes hac ab orno, aptæ locutiones ſuſpendendi hæ ſunt. quas in poetis obſeruare potui. angere collum. aptare uincula collo, conijcere uincula collo. implic te collum laqueis. inſerere collum in laqueum. laqueo intendere uincula ſtupea. quamuis de equo Troiano dictum ſit. nodare collum laqueo. Sed quam recte appoſitum eſt Epitheton Pendulum, quo rem conſtituit ante oculos. quod præſtant epitheta. Itaque Cic. in Part. de Illuſtri oratione præcipiens, ſic: Illuſtris oratio eſt, ſi uerba grauitate delecta ponuntur, ac translata, & ſuperlata, & ad nomen adiuncta.

Vxor inuicti Iouis, hic poeta inducit Venerem, & Cupidinem ſolātes Europam, Theocritus uero Iouem ipſum latentem in tauro id agere fingit, ſic:

θάρσει παρθενική, μὴ δείδιθι πόντιον οἶδμα,
αὐτὸς τοὶ ζεύς εἰμὶ, καὶ ἔγγυθεν εἴδομαι εἶναι
ταῦρος, ἐπὶ δύναμαι φαινήμεναι ὅττ' ἐθέλοιμι.

Ideſt, bono animo eſto, ne time marinos fluctus, ipſe enim ſum Iuppiter, & prope uideor eſſe, taurus, quoniam poſſum apparere quicquid uolo. ſed poeta ad conſolandam puellam dicit, Tua ſectus orbis nomina ducet. quod ex eius nomine Europa orbis pars tertia ſit dicta, alludens ad illud Theocriti. qui initio Idylij ſcribit ipſi duas mulieres in ſomnis apparuiſſe, quarum una Aſia fuerat, altera Africa, de Europa contendentes utrius eſſe deberet. In fine autem Idylij Iuppiter puellam conſolatur, ſpe prolis futuræ, ex qua reges naſcituros pollicetur. Ex hac locorum comparatione ſiquis non uidet, quantum interſit Græcos poetas legiſſe, proculdubio cæcus eſt.

AD LYDEN. Ode XXVIII.

Diem Neptuno ſacrum hilariter exigendum eſſe.

FESTO quid potius die
Neptuni faciam? prome reconditum
Lyde ſtrenua Cæcubum:
Munitæque adhibe vim ſapientiæ.
Inclinare meridem
Sentis: ac, veluit ſtet volucris dies,
Parcis deripere horreo
Ceſſantem Bibuli conſulis amphoram.
Nos cantabimus inuicem
Neptunum, & uirides Nereidum comas.
Tu curua recines lyra

Latonam,

Latonam, & celeris spicula Cynthiæ:
Summo carmine, quæ Cnidon
Fulgentesque tenet Cycladas, & Paphon
Iunctis uisit oloribus.
Dicetur merita Nox quoque nænia.

COMMENTARII.

Festo quid, non est, ut mihi quidem uidetur, ὑστερονπρότερον ut putauit Lãbinus. Sed, cum poeta statueret aliquid Neptunalibus facere, nec statim sibi in mentem ueniret, quid potissimum susciperet faciendum, dubitat. postea, cum statim occurrisset, nihil potius quam diem illum hilariter agendũ, intulit: Prome reconditum Lyde strenua cæcubum. est autem ἀπόρησις: quæ fit, cum dubitamus initio dicendi, quid potissimum dicamus. hac figura sæpissime utuntur Oratores. non ignorandum, alias huius poetæ odas esse in hanc sententiam scriptas. quas si conferas, parum inter se differre intelliges. Huius dei ferias sex fuisse, ex M. Varrone prodidit Lilius, & Græcos octauum cuiuscunque mensis diem Neptuno sacrum esse uoluisse.

Prome reconditum, ita locutus est Ode uigesimaprima huius libri: Descende Coruino iubente promere languidiora uina. & Deprome quadrimũ Sabina, o Thaliarche, merum Dyota. Reconditum cæcubum appellat repositum ix. Epodo.

Munitæq;, idem innuit xxj. huius libri, ibi. Narratur & prisci Catonis sæpe mero caluisse uirtus.

Inclinare meridiem sentis, bella locutio Solis paulatim occidentis.

Volucris dies, temporis celeritatem alij auibus, alij uento, alij fulmini, alij sagittis, Anacreon rotæ celerrime sese uoluenti tribuit. Quæ celeritas belle exprimitur in quodam epigram. elegantissimo:

Lygda fugit tempus lasciue, lude, iocare,
Sunt dolor & lachrymę semper in insidijs.
Tantillum credas, quod tantum uiuimus. una est
Quam trahimus uiui non mora, sed morula.

Nos cantabimus, simile est illud Ode x. lib. j.

Hic in reducta ualle caniculę
Vitabis ęstus, & fide Teia
Disces laborantes in uno
Penelopen, uitreamq; Circen.

AD MAECENATEM. Ode XXIX.

Inuitat eum ad cœnam.

TYRRHENA *regum progenies, tibi*
Non ante uerso lene merum cado
Cum flore, Mæcenas, rosarum, &
Pressa tuis balanus capillis
Iandudum apud me est. eripe te moræ:
Ne semper vdum Tibur, & Aesulæ
Decliue contempleris aruum, &
Telegoni iuga patricidæ.
Fastidiosam desere copiam, &
Molem propinquam nubibus arduis:
Omitte mirari beatæ
Fumum, & opes, strepitumque Romæ.
Plerumque gratæ diuitibus vices,
Mundæque paruo sub Lare, pauperum
Cœnæ sine aulæis, & ostro
Sollicitam explicuere frontem.
Iam clarus occultum Andromedæ pater
Ostendit ignem. iam Procyon furit:
Et stella vesani leonis,
Sole dies referente siccos.
Iam pastor vmbras cum grege languido,
Riuumque fessus quærit, & horridi
Dumeta Siluani: caretque
Ripa vagis taciturna ventis.
Tu, ciuitatem quis deceat status,
Curas, & vrbi sollicitus times,
Quid Seres, & regnata Cyro
Bactra parent, Tanaisque discors.
Prudens futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit Deus:
Ridetque, si mortalis vltra
Fas trepidat: quod adest, memento
Componere æquus. cetera fluminis
Ritu feruntur, nunc medio alueo
Cum pace delabentis Etrus-
Cum in mare, nunc lapides adesos,

Stirpesq; raptas, & pecus, & domos
Voluentis vna, non sine montium
Clamore, vicinæque siluę,
Cum fera diluuies quietos
Irritat amnes: ille potens sui,
Lętusque deget: cui licet, in diem,
Dixisse, vixi: cras vel atra
Nube polum pater occupato,
Vel sole puro: non tamen irritum
Quodcunque retro est, efficiet: neque
Diffinget, infectumque reddet
Quod fugiens semel hora vexit.
Fortuna sæuo leta negocio, &
Ludum insolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alij benigna.
Laudo manentem. si celeres quatit
Pennas, resigno, quę dedit: & mea
Virtute me inuoluo: probamque
Pauperiem sine dote quero.
Non est meum, si mugiat Africis
Malus procellis, ad miseras preces
Decurrere: & votis pacisci,
Ne Cyprię, Tyrięque merces
Addant auaro diuitias mari.
Tunc me biremis pręsidio scaphę
Tutum per Aegeos tumultus
Aura feret, geminusque Pollux.

COMMENTARII.

Tyrrhena, inuitat Mæcenatem ad cœnam; pollicetur uinum uetustate nobilissimum. Idem facit Od. xx. lib. j. eundem inuitans, sic:
Vile potabis modicis Sabinum
Cantharis, Graca quod ego ipse testa
Conditum leui, datus in theatro
Cum tibi plausus. Idem seruat, Phyllidem ad epulas accersens:
Est mihi nonum superantis annum
Plenus Albani cadus, est in horto
Phylli nectendis apium coronis
Est hederæ uis, Quod, ut cœna suauior esset, addidit, quemadmodum

hoc in loco florem rosarum, & balanum adiungit. de quo sæpe, ut res tulit. Quod hic dicit cadum uerti, xxj. huius libri moueri dixit. & nos ad Oden xx. lib. j. notauimus:

Quocunque lectum nomine Massicum

Seruas moueri digna bono die, quibus significat iam tum cados antea intactos releuisse.

Strepitumq; Romæ, hoc sic describit poeta. Epist. secunda libri secundi ad Iulium Florum. uerum

Puræ sunt plateæ, nihil ut meditantibus obstet,

Quæ per ironiam sunt dicta ut ostendat nihil plateis esse tumultuosius. pergit autem sic:

Festinat calidus mulis, gerulisq; redemptor,
Torquet nunc lapidem, nunc ingens machina tignum,
Tristia robustis luctantur funera plaustris
Hac rabiosa fugit canis, hac lutulenta ruit sus,
I nunc, & uersus tecum meditare canoros.

Plerunq; gratæ, iuxta illud. μεταβολὴ πάντων γλυκὺ.

Iam clarus occultum, non poterat magis poetice exprimi æstus, & caloris aduentus. poetę quidem tempora ipsa, & temporum qualitates per signa cœlestia notare solent. Ad maius ornamentum hic addit, pastorem vmbras cum grege languido quærere cum his, quæ sequuntur. quod bellum, & iucundum est, & in primis pulcherrimum consequens. quod indicatur æstus, quo pastores umbras quærunt. vt Virg.

Nunc etiam pecudes umbras, & frigora captant.
Nunc uirides etiam occultant spineta lacertos.

Sole dies referente siccos, hic offenditur Scaliger Epitheto, Siccos, inquiens, sæpe monuisse epitheta, quæ in fine uersuum sunt, esse argumento coactæ locutionis, quasi sint carminum supplementa. fateor in malis poetis, qui quomodocunque ad complendum uersum epitheta, atque alia uerba in omni carminis parte inferciunt. boni, atque elegantes non nisi, vbi, & cum opus est, adhibent epitheta. quod hic contigit. nam ad signandam æstiui temporis qualitatem necesse fuit addere illam uocem, aut tale quippiam. fortasse uitiosum putat, quod in extremo carminis positum est? ridiculum esset. quod emendat Sole graues referente luces, nequaquam probatur. siquis enim ita loquatur, non magis æstiuam horam notabit, quam hiemis tempus. quod & ipsum est grauissimum. itaque Graue tam de alijs anni partibus, quam de æstate dici potest, quamobrem per luces graues quis æstatem tantum intelligeret? At Periphrasis est, dies sicci, qua æstus notatur. quæ hoc habere debet, ut de ea tantum re, cuius est Periphrasis, prædicetur. una siquidem Periphrasis non potest pluribus conuenire, aut de pluribus dici. cur igitur poetam maximi iudicij culpamus?

Iam Procyon furit. Hoc signo caloris atrocitatem ostendit, quemadmodum in his:

Te flagrantis atrox hora caniculæ
Nescit tangere. Et:
Hic in reducta ualle caniculæ
Vitabis æstus. & Virg.
Iam rapidus torrens sitientes Syrius Indos
Torrebat cælo.

Et regnata Cyro, per Seras, Bactra, & Tanain intelligit barbaras, & longinquas nationes inter se dissidentes. ut notet Mæcenatem nimis curiosum in ijs, quæ ad se nihil pertinerent. per has gentes poetæ intellexerunt, quicunque essent remotissimi. vt Virg.

Non Bactra, neque Indi, &c.

Cætera fluminis ritu, rem ante oculos ponit, adi Lambinum.

Clamoremq; Syluæ, talem strepitum torrentis amnis expressit Virg.

Aut rapidus montano flumine torrens
Sternit agros, sternit sata læta, boumq; labores,
Præcipitesq; trahit syluas, stupet inscius alto
Accipiens sonitum saxi de uertice pastor.

Transmutat, idem innuit ad Oden xxxv. lib. j.

Præsens uel imo tollere de gradu
Mortale genus, uel superbos
Vertere funeribus triumphos.

Non est meum, Mugire optimum translatum. hoc uerbum ad multa trãsfertur. ut, mugire adytis cortina reclusis, &, mugire uidebis sub pedibus terram. quod alibi repetiuit. Sub pedibus mugire solum. &, Tyrrhenusq; tubæ mugire per æthera clangor. de hoc alias.

Tam me per Aegæos tumultus, significat nolle nauigare. quid si per interrogationem ita legamus.

Tum me biremis præsidio scaphæ
Tutum per Aegæos tumultus
Aura ferat, geminusq; Pollux?

Quasi dicat, nequaquam me ita procellis committam. Simile illud Virgilianum:

Non illa quisquam me nocte per undas
Ire, neque a terra moneat conuellere funem, & illud:
Non mihi tum molles sub diuo corpore somnos,
Nec dorso nemorum libeat iacuisse per herbas.

Carminum suorum gloriam æternam fore. Ode XXX.

EXegi monimentum ære perennius
Regaliq; situ Pyramidum altius:
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, & fuga temporum.
Non omnis moriar: multaq; pars mei
Vitabit Libitinam. vsque ego postera
Crescam laude recens, dum Capitolium
Scandet cum tacita uirgine pontifex,
Dicar, qua uiolens obstrepit Aufidus:
Et qua pauper aquæ Daunus agrestium
Regnator populorum; ex humili potens
Princeps Aeolium carmen ad Italos
Deduxisse modos: sume superbiam
Quæsitam meritis: & mihi Delphica
Lauro cinge uolens Melpomene comam.

COMMENTARII.

Exegi, talis prorsus est Ode ultima secundi libri. studiosi conferant, nihil discrepare inter se intelligent, & statuent, eandem sententiam uarie tractari feliciter posse, ita ut alia uideatur. quomodo id assequi possimus, laborandum. Quantum ad hanc sententiam, quæ in Oden, de qua paullo ante, contulimus, si cui placet, legat. In ea fingit se factum Cycnum, qui omnes terras lustret. hic cum idem esset faciendum, ex ijs sumit materiam, quæ durabilia, & prope perpetua sunt, quorum perpetuitatem dicit sua carmina superatura, ut pyramidum, ut statuarum ex ære, & reliquorum omnium, quæ ad memoriam conficiuntur. Itaque idem scopus est in utroque carmine, in quem poeta intuetur. Scilicet, se immortalem fore. Hoc ne Musæ quidem ipsæ pulchrius exprimere potuissent, quam octo illis uersiculis est factum: Iam Dædaleo, cum his quæ sequuntur. Idem uoluit imitari in præsenti Ode, cum dixit, Dicar, qua uiolens obstrepit Anfidus, & qua pauper aquę Daunus agrestium regnator populorum. Quod uero dixerat Ode ultima lib. ij. Non ego pauperum sanguis parentum, non ego, quem uocas dilecte Mæcenas obibo, nec Stygia cohibebor unda, hic uariauit, inquiens: Non omnis moriar, multaq; pars mei uitabit Libitinam. idem dicit uerborum mutatione. Hæc considerent adolescentes in poetis imitandis.

CARMINVM

LIBER QVARTVS.

Se iam ea ætate esse, ut a rebus venereis alieno esse animo debeat. & tamen Ligurini uesano amore torreri. Ode I.

INTERMISSA Venus diu,
Rursus bella moues: parce, precor, precor.
Non sum qualis eram bonæ
Sub regno Cynaræ: desine dulcium
Mater sæua cupidinum,
Crica lustra decem flectere mollibus
Iam durum imperiis. abi,
Quo blandæ iuuenum te reuocant preces,
Tempestiuius in domo
Paulli, purpureis ales oloribus,
Comessabere Maximi,
Si torrere iecur quæris idoneum.
Nanque & nobilis, & decens,
Et pro sollicitis, non tacitus reis,
Et centum puer artium,
Late signa feret militiæ tuæ.
Et quandoque potentior
Largis muneribus riserit æmuli,
Albanos prope, te, lacus
Ponet marmoream sub trabe Cypria.
Illic plurima naribus
Duces tura: lyræq; & Berecynthiæ
Delectabere tibiæ
Mistis carminibus, non sine fistula.
Illic bis pueri die
Numen cum teneris virginibus tuum
Laudantes, pede candido
In morem Salium ter quatient humum.

Me

Me nec fœmina nec puer
Iam, nec spes animi credula mutui,
Nec certare iuuat mero:
Nec uincire nouis tempora floribus.
Sed cur, heu, Ligurine, cur
Manat rara meas lacryma per genas?
Cur facunda parum decoro
Inter uerba cadit lingua silentio?
Nocturnis te ego somnijs
Iam captum teneo: iam uolucrem sequor
Te per gramina Martij
Campi, te per aquas, dure, uolubiles.

COMMENTARII.

Intermissa, non uideo, in quo ualde sit in hoc carmine elaborandum. unusquisque, quæ splendidiora sunt, potest internoscere. Ego potissimum notarem nonnullas translationes. ut, bella moues, Regnum Cynaræ, flectere, torrere iecur, ferre signa militiæ, Periphrasin Veneris, idest mater sæua dulcium cupidinum. quæ ut non sint contraria, habent tamen instar contrariorum. illa uero, flectere mollibus iam durum imperijs, plane contraria sunt. quo genere quis nescit multum gratiæ afferri Orationi? locutiones illas non prætermitterem, ponere aliquem marmoreum, ducere thura naribus, quod dictum est, sicut ducere pocula, quatere humum, certare mero, præter cætera defenderem lectionem illam, quam Lambinus proculdubio corrupit, hoc est, purpureis oleribus. nam marmoreis ille reponit. quo iudicio ipse uiderit, quasi purpureus pro candido positum non sit: quem locum defendit Gulielmus Canterius, qui probare uoluit, ueteres purpurei nomine candidum significasse, & sic niuem aliquando appellatam: quamuis non probet exemplo. sed carmine ueteris poetæ confirmatur. Carmina purpurea candidiora niue.

AD ANTONIVM IVLVM. Ode II.

Pindarum ineuitabilem esse.

PINDARVM *quisquis studet æmulari,*
Iule, ceratis ope Dædalea
Nititur pennis, uitreo daturus
Nomina ponto.
Monte decurrens uelut amnis, imbres

Quem

Quem super notas aluere ripas,
Feruet, immensusq; ruit profundo
Pindarus ore,
Laurea donandus Apollinari,
Seu per audaces noua dithyrambos
Verba deuoluit, numerisque fertur
Lege solutis:
Seu deos, regesq; canit, deorum
Sanguinem: per quos cecidere iusta
Morte Centauri: cecidit tremendæ
Flamma Chimeræ:
Siue, quos Elea domum reducit
Palma cœlestes: pugilemue, equumue
Dicit: & centum potiore signis
Munere donat:
Flebili sponsæ iuuenemue raptum
Plorat: & uires, animumq;, moresq;
Que aureos educit in astra, nigro-
Que inuidet Orco.
Multa Dircæum leuat aura cycnum,
Tendit, Antoni, quoties in altos
Nubium tractus: ego apis Matinæ
More, modoque
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum, circa nemus, vuidique
Tiburis ripas, operosa paruus
Carmina fingo.
Concines maiore poeta plectro
Cæsarem, quandoque trahet feroces
Per sacrum cliuum, merita decorus
Fronde, Sicambros:
Quo nihil maius, meliusve terris
Fata donauere, bonique diui:
Nec dabunt: quamuis redeant in aurum
Tempora priscum.
Concines lætosque dies, & vrbis
Publicum ludum, super impetrato
Fortis Augusti reditu, forumque
Litibus orbum.
Tum meæ, siquid loquar audiendum,
Vocis accedet bona pars: &, o Sol

Pulcher,

Pulcher, o laudande, canam recepto
Cæsare felix.
Tuque dum procedis, Io thriumphe,
Non semel dicemus, Io triumphe,
Ciuitas omnis: dabimusque diuis
Tura benignis.
Te decem tauri, totidemque vaccæ,
Me tener soluet vitulus relicta
Matre, qui largis iuuenescit herbis
In mea vota,
Fronte curuatos imitatus ignes
Tertium Lunæ referentis ortum,
Qua notam duxit, niueus videri,
Cetera fuluus.

COMMENTARII.

Pindarum, uirtus, & sublimitas Pindari non poterat uerius ostendi, quã a poeta factum est. Sed, quamuis ea sit maiestate, scribit tamen Aelianus lib. xiij. quinquies in commissionibus, & certaminibus poetarum a Corynna superatum. sed, ne cui mirum, aut incredibile uideretur, addit ἀμαθέσι περιπεσὼν ἀκροαταῖς. idest, cum in imperitos auditores incidisset. De quo Idem auctor lib. xij. narrat, idem ipsi contigisse, quod Platoni. Cum enim esset infans expositus, ab apibus melle pro lacte nutritum scribit. notissimum est ab Alexandro capta urbe Thebarum tantum Pindaro tributum, ut eius domum, & familiam intactam uoluerit, quod antea Lacedæmonij fecerũt, cum Thebanis bellum gerentes.

Laurea Apollinari, alibi Delphicam laurum, alibi Delia folia appellat.

Seu per audaces, proculdubio audaces uocat dithyrambos, quod uerbis nouis, & complicatis, idest, compositis & potissimum tumidis, quod genus ampullas uocauit Horatius ad Pisones, uterentur, in quibus lasciuientes, audaciores essent, cuiusmodi sunt apud Aristophanem βροντησικέραυνοι, κομποφακολορήματα, παμφολυγοπαφλάγματα. & quale est in Epigr. θυροζυγοκαμψιμέτωπος. talia adducit Scaliger in suæ poetices lib. j. ex Epigrammate Hegesandri, de Dithyrambo tractans. ὀφρυανασπασίδαι, ῥινεγκατασυζογένειοι, quæ licentiosissima, & tumidissima, & exultantia, & Baccho plena uidentur. ut merito hac de causa ita dithyrambos appellarit poeta, talia idem auctor noster sesquipedalia uocauit. his addi possunt illa Pacuuij ex Quinctiliano, repandirostrum, incuruiceruicum pecus. talibus usus est Catullus in poematio Atis, & Cybeles, Vbi cerua siluicultrix, ubi aper nemoriuagus, &, Vbi capita Menades iaciunt hederigeræ. sed Græci huic licentiæ indul-

gebant. Latinis talis uerborum compositio minime probata est. ex duabus enim uocibus, si nouantur uerba, receptum est formare, hi ex pluribus non ferunt. Hæc quidem in oratione soluta frigiditatem habent, & ridicula sunt. liceat referre iucunditatis causa quam belle Philippus Beroaldus hoc genere ludens uocabulum ex pluribus uerbis compositum formarit. Nam, cum is Bononiæ publice doceret, & aliquando a nonnullis suis contubernalibus Polonis rogatus esset, quomodo Latine appellaretur illud edulũ, quod vulgo tortam dicunt, quodq; ipsis apposuerat, cũ Latinum uerbum deesset, repente homo lepidus, & acutus Herbicasiouium dixit appellari, quod ex herbis caseo, atque ouis conficeretur. quod belle, & festiue excogitatum cum plausu ac risu exceptum est. Sed aliquis quærat, cur audaces poeta dithyrambos uocet, cum Aristoteles in poetica sic scripserit. *τῶν δὲ ὀνομάτων τὰ μὲν διπλᾶ μάλιστα ἁρμόττει τοῖς διθυράμβοις*. idest, duplicia nomina, idest, composita præcipue dithyrambis conueniunt. quod laudi tribuit huic carminis generi. respondendum, quod poeta id respexit quod erat summæ audaciæ facere, quod cæteri facere non auderent. Pindarum quidem hoc genere usum uel hoc Horatij testimonio constat, quãuis nullum extet exemplum. Huius carminis originem ille Corynthijs tribuit Ode xiij. Olymp. ubi dithyrambum *βοηλάτην* appellat, idest, bouem trahentem. quoniam bos illius saltationis erat præmium, saltationis, inquam, quoniam saltantes in gyrum huiuscemodi Cantilenã Baccho canebant. perijt hoc genus poeseos, adeo, ut, ne uestigium quidem ipsius extet.

Lege solutis, propter nouandi rhythmi in eodem asmate licentiã, quodq; in eadem comprehensione non tenet unum genus carminis, neque mensuram; sed pro arbitrio mutat, neque uersibus uariandis modum ullum apponit. in hanc sententiam scripsit Robortellius homo Foroiuliensis, uir eruditissimus. nam *νόμους*, inquit, uocabant Græci præscriptas quasdam formulas canendi diuersa Cantilenarum genera, leges opinabatur a Latinis recte dici posse. & Horatium fortasse hoc significasse. Cum ait. Numeris fertur lege solutis. putauit etiam ille idcirco numeros lege solutos dictos, quod leges carminis non seruarent.

Fertur, manet in translatione amnis conciti. quem dixit rapidissime uolui. ferri enim dicitur de ijs, quæ nulla habent retinacula. vt Virg. fertur equis auriga. & illud de amne rapidissimo:

Non sic aggeribus ruptis cum spumeus amnis
Exijt, oppositasq; euicit gurgite moles,
Fertur in arua furens.

Seu deos, Pæanas intelligit in Apollinis, & aliorum deorum laudem compositos.

Regesq; canit, planum est, Herculem, Theseum, & Pyrithoum significari, a quibus Centauri sunt interfecti. iustam eorum mortem uocat propter

uim,

uim, quam intulerunt Eurytion quidem in Deianira Herculis uxore rapienda. alij uero Centauri ob impetum factum in Pirithoum Hippodamiam Adrasti filiam uxorem ducentem.

Chimera, sic Virg. flammisq; armata Chimera. Hanc confectam a Bellerophonte nemo ignorat. Historiam huius uictoriæ pluribus persequitur Pind. Ode xiij. Olymp. in qua ignem spirare hanc dixit. καὶ χίμαιραν πῦρ πνέοισαν. καὶ σολύμους ἔπεφνε. idest, & Chimeram ignem efflantem, & Solymos interfecit.

Siue quos Elea, in sequenti Ode sic. Illum non labor Isthmius clarabit pugilem, non equus impiger curru ducet Achaico victorem.

Cælestes, quod se dijs pene pares putabant. sacrorum ludorum uictores. quod etiam his uersibus est confirmatum. Palmaq; nobilis terrarum dominos euehit ad deos.

Et centum potiorem signis, hanc sententiam sæpissime Pindarus celebrat. hymnos suos in uictorum laudem factos omnes diuitias superare.

Inuidet orco, uide quam eleganter dictum est. pro immortalem fieri. qui enim a morte uindicantur immortales sunt. lege quæ contulimus in Oden ultimam libri tertij, quantum ad locutiones immortalitatis exprimendæ pertinet.

Cycnum, poetas Cycnis comparari alias diximus.

In albos, eleganter significat Pindarici carminis sublimitatem. Cum ita dicit, puto ad illud allusisse poetã, quod est apud Pindarum ipsum in quinta Nemeorum Ode. vbi laudaturus Aeacidas, gloriatur se omnes longe superaturum carminis sublimitate, qui secum certare auderent, pulcherrimis allegorijs ex saltationibus, atque ex Aquila, cui se comparat, sumptis, ostendens se non tantum terras, sed maria etiam transuolare. sic:

εἰ δ' ὄλβον, ἢ χερῶν βίαν,
ἢ σιδηρίταν ἐπαινῆσαι
πόλεμον δέδοκται, μακρὰ μοι
δ' αὐτόθεν ἅλμαθ' ὑποσκάπτοι
τις, ἔχω γονάτων ἐλαφρὰν ὁρμὰν
καὶ πέραν πόντοιο πάλλοντ'
αἰετοί.

idest, Si autem felicitatem Aeacidarum, aut manuum uires, aut ferreum bellum laudare uisum fuerit, effodiat mihi aliquis saltum, (hoc est signum bene longum) habeo enim genuum leuem impetum. & Aquilæ ultra maria feruntur.

Operosa, Operosa, & Paruus quodam modo sibi opponuntur, non sine gratia.

Fingo, id poetarum est proprium.

Apis matinæ, iucunda, & bella similitudo.

Concines, uide, quam apte ad Cæsaris laudem delabatur. grauiori stylo

res a Cæsare gestas dicit Antonium celebraturum.

Quandoque trahet, egregia Periphrasis triumphi. per meritam frondem lauream intelligit. Scaliger notat quandoque pro quandocunque positum: quasi nouum sit, neque ante intellectum. sic sæpe hac uoce usus est. ut, Et quandoque potentior largis muneribus riseris æmuli &c.

Quo nihil maius, suprema laus, qua nihil maius, recte poeta. nam Encomiastico nihil paruum, aut humile inesse conuenit. omnia sublimia, & quæ excitent admirationem in hoc genere spectanda.

Te decem tauri, de uarijs modis exprimēdi sacrificia, uide quę ad Od. xiij. lib. iij. annotauimus, ibi, Cras donaberis hædo.

AD MELPOMENEN. Ode III.

Se uitam, & famam ei debere.

QVEM tu Melpomene semel
  Nascentem placido lumine uideris:
Illum non labor Isthmius
  Clarabit pugilem: non equus impiger
Curru ducet Achaico
  Victorem: neque res bellica Delijs
Ornatum folijs ducem,
  Quod regum tumidas contuderit minas,
Ostendet Capitolio.
  Sed, quæ Tibur aquæ fertile perfluunt,
Et spissæ nemorum comæ,
  Fingent Aeolio carmine nobilem.
Romæ principis urbium
  Dignatur soboles inter amabiles
Vatum ponere me choros:
  Et iam dente minus mordeor inuido.
O testudinis aureæ
  Dulcem quæ strepitum Pieri temperas:
O mutis quoque piscibus
  Donatura cycni, si libeat, sonum,
Totum muneris hoc tui est,
  Quod monstror digito prætereuntium
Romanæ fidicen lyræ:
  Quod spiro, & placeo: si placeo tuum est.

COM-

COMMENTARII.

Quem tu Melpomene, in omnibus ſtudijs multum intereſt, quam quiſque naturam in lucem editus arripuerit. Illam, quæcunque eſt, ſequimur. ideo non eſt ipſi uis afferenda. Quem Muſæ feliciter naſcentem aſpexerint, is ſe ſtudijs poeticis dicabit, nec quicquam tanti præterea faciet. ſed uide, quam egregie hanc ſententiam expreſſerit poeta. ſcilicet is non erit miles, neque Imperator. Conuertit ſe ad quædam præclara militiæ ſtudia. quæ autem clariora ſunt, elegit. nempe pugillatum, & equitandi peritiam. Sic: Illum non labor Iſthmius clarabit pugilem, non equus impiger curru ducet Achaico uictorem. apertius autem exprimit militiam, cum ait, Res bellica. pulcherrimiſque uerbis Imperatorem ornat. inquiens, ornatum Delijs folijs ducem. Sic extendit orationem, atque illuſtrat, illam ab ariditate, atq; ieiunitate uindicans.

Clarabit pugilem, uerbum nouum. quod hic dicit, illum non labor Iſthmius &c. ſic in ſuperiori Ode: Siue quos Elea domum reducit palma cœleſtes pugilemue, equumue dicit. Ducem autem Capitolio oſtendi, eſt triumphare.

Sed quæ Tibur aquæ, ſignificat poetam illum futurum. amœnitatibus enim collium, fontium, ſiluarum, & huiuſmodi delectantur poetæ. quare Virg.

Rura mihi, & rigui placeant in uallibus amnes,
Flumina amem, ſiluasq; inglorius. &c.

Talia multa in poetis reperias.

Romæ principis urbium, perhonorifica Neronum Periphraſis. Ponere inter choros amabiles uatum, hoc eſt, in numero uatum, belle dictum. Romam principem urbium merito uocat. omnia enim plena ſunt eius laudibus. nec quicquam in rebus humanis fuit tam uiſendum.

Dente inuido, quoniam intelligebat eo perueniſſe, ut ſibi nemo poſſet inuidere. nemo enim ijs inuidet, quibus aut par, aut ſuperior eſſe non poſsit. mordere uerbum eſt aptum inuidiæ, recte autem hoc uerbum intulit, quoniam dentem dixerat. Idem: Inuidiaque maior urbes relinquam. Sed inuidiæ dentem atrum uocat, in maledicum ſcribens Epod. vj. An ſiquis atro dente me petiuerit.

Dulcem quæ ſtrepitum. niſi addidiſſet dulcem, aliquis poetam carpere potuiſſet. Idem ad Villicum: Nec meretrix tibicina cuius ad ſtrepitum ſalias terræ grauis.

Donatura Cycni, ſuauiſsime canere Cycnum, iam receptiſsimum eſt, poetis omnibus approbantibus. Quamuis Plin. lib. x. cap. xiij. fabuloſum putet, tunc ſuauius canere, cum fatum inſtare ſentit, vt Ouid.

Dulcia defecta modulatur carmina lingua
Cantator Cycnus funeris ipse sui. Et:
Sic, ubi fata uocat udis abiectus in herbis
Ad uada Mæandri concinit albus olor.

Sed Virg. etiam non instante fato suauissime canere testis est. Sept. Aen.

Ceu quondam niuei liquida inter nubila Cycni,
Cum sese è pastu referunt, & longa canoros
Dant per colla modos.

Totum muneris, suam gloriam musæ acceptam refert.

Romanæ fidicen Lyræ, in carmine sæculari dixit:

Doctor argutæ fidicen Thaliæ Phœbe,

DRVSI LAVDES. Ode IIII.

QVALEM *ministrum fulminis alitem,*
Cui rex deorum regnum in aues uagas
Permisit expertus fidelem
Iuppiter in Ganymede flauo,
Olim iuuentas, & patrius vigor
Nido laborum propulit inscium:
Vernique iam nimbis remotis,
Insolitos docuere nisus
Venti pauentem: mox in ouilia
Demisit hostem uiuidus impetus:
Nunc in reluctantes dracones
Egit amor dapis, atque pugnæ:
Qualemue lætis caprea pascuis
Intenta, fuluæ matris ab ubere
Iam lacte depulsum leonem,
Dente nouo peritura uidit:
Videre Rhæti bella sub Alpibus
Drusum gerentem, & Vindelici: quibus
Mos vnde deductus per omne
Tempus Amazonia securi
Dextras obarmet, quærere distuli:
Nec scire fas est omnia: Sed diu,
Lateque uictrices cateruæ
Consilijs iuuenis reuictæ
Sensere, quid mens rite, quid indoles
Nutrita faustis sub penetralibus

Posset,

Posset, quid Augusti paternus
In pueros animus Neronis.
Fortes creantur fortibus: & bonis
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.
Doctrina sed vim promouet insitam:
Rectique cultus pectora roborant:
Vtcunque defecere mores,
Dedecorant bene nata culpæ.
Quid debeas, o Roma, Neronibus
Testis Metaurum flumen, & Asdrubal
Deuictus, & pulcher fugatis
Ille dies Latio tenebris:
Qui primus alma risit adorea,
Dirus per urbes Afer, ut Italas,
Ceu flamma per tedas, vel Eurus
Per Siculas equitauit undas.
Post hoc secundis usque laboribus
Romana pubes creuit: & impios
Vastata Pœnorum tumultu
Fana deos habuere rectos:
Dixitq; tandem perfidus Annibal,
Cerui luporum præda rapacium
Sectamur ultro, quos opimus
Fallere, & effugere est triumphus.
Gens, quæ cremato fortis ab Ilio
Iactata Tuscis æquoribus sacra,
Natosque, maturosque patres
Pertulit Ausonias ad urbes,
Duris ut ilex tonsa bipennibus
Nigræ feraci frondis in Algido,
Per damna, per cædes ab ipso
Ducit opes, animumque ferro.
Non Hydra secto corpore firmior
Vinci dolentem creuit in Herculem:
Monstrumue summisere Colchi
Maius, Echioniaeue Thebæ.
Merses profundo, pulchrior euenit.
Luctere: multa proruet integrum
Cum laude uictorem: geretque

Prælia

Prælia coniugibus loquenda.
Carthagini iam non ego nuncios
Mittam superbos: occidit, occidit
Spes omnis, & fortuna nostri
Nominis, Hasdrubale interempto.
Nil Claudiæ non perficient manus:
Quas & benigno numine Iupiter
Defendit, & curæ sagaces
Expediunt per acuta belli.

COMMENTARII.

Qualem ministrum, proposuit sibi poeta uirum illustrem laudandum. mirifice autem uersatur in laudis præceptis seruandis, rebusq; splendore uerborum, & sententiarum ornandis. quod in primis spectandum in hoc genere, ex his autem, quoad fieri poterit, nihil prætermissum ostẽdemus. primum dicam ex Aristotele laudem esse orationem uirtutis magnitudinem ostendentem. nam inquit, ἐστὶ δ᾽ ἔπαινος λόγος ἐμφανίζων μέγεθος ἀρετῆς. uel ut alius definiuit, ἐγκώμιον δὲ λόγος ἐμφανίζον πράξεις καλάς. sed, quamuis ἐγκώμιον, & ἔπαινος idem esse uideantur, philosophus tamen hæc differre putauit, cum scripsit, ἔπαινον uirtutis esse expositionem, ἐγκώμιον factorũ. omitto facta esse alia laudationum genera, ut, εὐδαιμονισμὸς, quæ erat laus dijs immortalibus, & μακαρισμὸς beatis, hoc est diuitibus hominibus tributa. præsens autem laus utrunque, scilicet, & uirtutem, & res gestas complectitur, quæ uirtutis sunt indicia. Sed capita, unde laus hæc ducitur, sunt.

Virtus bellica, quæ tractatur duobus similibus ab Aquila, & Leone assumptis.

Res gestæ, ubi inquit: Videre Rhæti bella sub Alpibus Drusum gerentẽ.

Natura, cum dixit, Sensere quid mens rite, quid indoles.

Educatio, ibi: Nutrita faustis sub penetralibus.

Genus, ibi: Fortes creantur fortibus. Cum inquit, qualem ministrum fulminis, ostendit, quanta fortitudine, ac uirtute in hostem irruerit Drusus. Hic obseruabimus nulla pulchriora similia eligi a poeta potuisse. ex quo genere sæpissime ad amplificandum, atq; illustrandum, tum ornandum poetæ copiam petunt. quod spectauit Horatius in hoc loco. amplificat enim comparans Drusum Aquilæ, ac Leoni omnium animalium generosissimis. illustrat, atque ornat figuris excellentibus, & proprijs, & translatis, cuiusmodi sunt, (vt confertim ponam) Periphrases, ministrum fulminis alitem. rex deorum, amor dapis, permittere regnum in aues, propellere nido, docere nisus insolitos. demittere in ouilia, in reluctantes Dracones, Leonem depulsum ab ubere fuluæ matris. Aquilam uero idcirco tantum laudat, ut

illi

illi merito comparandus Drusus uideatur. Ministrum fulminis appellat; quam Virgilius Iouis armigerum, & fuluum alitem Iouis dixit. Plin. lib. ij. nat. Hist. cap. lv. ideo Iouis armigerum Aquilam dictam, quod sola ex uolucribus fulmine non percutiatur. regnum non temere dixit Aquilæ permissum, quoniam omnes poetæ reginam uolucrum appellant. Mart. Dic mihi quem portas uolucrum regina? Pindarus οἰωνῶν βασιλῆα, xiij. Olymp. item in secunda, θεῖον ὄρνιχα, & in Pyth. Ode secunda deum sibi Aquilam assumi posse dicit. θεὸς ὃ καὶ πτερόεντα αἰετὸν κίχε. notabimus, quod, cum poeta dixit ueluti Aquilam, aut Leonem Drusum irruisse, in hostes usum esse circunstantia modi. nam in Encomiastico considerantur circunstantiæ.

Mox in Ouilia, talem induxit Pind. Aquilam in Nemeis. Ode iij. ἐστὶ δ' αἰετὸς ὠκὺς ἐν ποταν(οῖ)ς, ὃς ἔλαβεν αἶψα τηλόθεν μεταμαιόμενος δαφοινὸν ἄγραν ποσίν. idest, est autem Aquila uelox in uolatilibus, quæ protinus rapit inuestigans cruentam prædam pedibus. ad quos uersus spectauit poeta, & excellenti imitatione arrepta in plura sententiam Pindari diduxit. quod consilium ad imitationem pertinet. Cum pauca in plura dilatamus. In hac autem imitatione præclarius se gessit Horatius. nam ille cruentam tantum prædam Aquilam quærere, & corripere dixit, Horatius autem pluribus explicat, in Ouilia, in Dracones irruere ipsam dicens. Idem fere scribit Plin. lib. x. nat. Hist. cap. iiij. Aquilis, inquit, non tantum cum minoribus quadrupedibus, sed etiam cum ceruis esse prœlia. & subdit. acriorem esse illi, scilicet, Aquilæ cum Dracone pugnam. Quam sic Virg. Aen. xj. descripsit:

Vtque uolans alte raptum cum fulua Draconem
Fert Aquila, implicuitq; pedes, atque vnguibus hæsit,
Saucius, at Serpens sinuosa uolumina uersat,
Arrectisq; horret squammis, & sibilat ore,
Arduus insurgens, illa haud minus urget adunco
Luctantem rostro, simul æthera uerberat alis.

Videre Rhæti, hactenus a bellica uirtute laudatus est Drusus. nunc a rebus gestis commendatur. quæ uirtutem hominis declarant. auctore Aristotele in j. Rhet. vbi sic scribit. διὸ ἐγκωμιάζομεν πράξαντας, τὰ δ' ἔργα σημεῖα τῆς ἀρετῆς εἰσί. Laudamus, inquit, qui aliquid gesserunt, nam facta uirtutis indicia sunt. ita eundem laudat Od. xiiij. huius libri:

Quem legis expertes Latinæ
Vindelici didicere nuper
Quid marte posses, milite nam tuo
Drusus Genaunos implacidum genus,
Breunosq; ueloces, & arces
Alpibus impositas tremendis
Deiecit acer plus uice simplici.

Sensere, ad naturam, educationem, & genus laudandum accedit. quæ

ἔτι οὐκ ὑπολείπει αὐτὸν ὁ λόγος. ideſt, in demonſtratiuis opus eſt orationi Epiſodia inſerere in laudando. dicebat Gorgias, quod oratio ipſum non deficiebat.

Gens, honorifica Romanorum Periphraſis, cum laude, quod a tali genere orti eſſent. ſic inuictos eos oſtendit. laus a maiorum uirtute ſumpta, ideo dicebat fortes creantur fortibus. quod uero inuicti eſſent Romani, ſimilium aſſumptione declarat. quibus nihil nec pulchrius, nec aptius. uidendum, ut eleganter rem ornet, ilicem tonſam bipennibus. Algidum pro omnibus montibus. poſitum, & ipſum feracem nigræ frondis, quam poetice dixerit.

Merſes profundo, notabitis compoſitionem pulcherrimam parium. ſingula perpendite, nihil ornatius. nihil uerborum, & ſententiarum pondere, compoſitionis dignitate ob periodorum proceritatem, quæ huius generis propria eſt, grauius. Sed non omittamus Scaligeri reprehenſionem, qui in Odes initio poetam notauit, quod Aquilæ pullum uerno tempore non aptum ad uolandum, uolantem, & in beſtias irruentem fecerit. quod & leue eſt, & nihil refert, cum a ſimilitudine non receſſerit. nimis ex abdito, & longinquo petita calumnia. numerati fere dies ſunt, & propemodum horæ, ac momenta adoleſcentis pulli. quod non uidebatur tam ſubtili indagatione, ut mihi uidetur, indigere, tam etſi ad tam adultam ætatem non perueniſſet pullus, ut cum Draconibus tam ferociter poſſet congredi. Satis poetæ fuit uiuacem quandam, & promptam alacritatem ad pugnam oſtendiſſe. Sed quid, ſi illa etiam ætate robuſtos eſſe colligitur, ex cap. xxxij. libri noni Ariſtotelis de Hiſtoria animalium? profecto ille ſic ſcribit. Alunt pullos ſuos, donec poteſtas uolandi fiat, tunc nido expellunt, poſt, regione, quam ipſi incolunt, exterminant. quo tempore niſi per ſe poſſent ſibi uictum parare, natura non tuliſſet ita genitos negligi. Vnde perſpicuum eſt ualde iuuenculos, ac teneros adhuc plurimum uirium, ac roboris habere. cui ſententiæ ſubſcribit Plin. lib. x. cap. ij. inquiens. Adultos quoque perſequitur parens, & longe fugat æmulos prædæ.

AD AVGVSTVM. Ode V.

Vt tandem in vrbem redeat.

DIVIS *orte bonis, optime Romulæ*
Cuſtos gentis, abes iam nimium diu:
Maturum reditum pollicitus patrum
Sancto concilio, redi.

Lucem redde tuæ dux bone patriæ.
Instar veris enim vultus vbi tuus
Affulsit populo, gratior it dies,
Et soles melius nitent,
Vt mater iuuenem quem Notus inuido
Flatu Carpathij trans maris æquora
Cunctantem spatio longius annuo
Dulci distinet a domo:
Votis, ominibusque, & precibus vocat
Curuo nec faciem littore demouet:
Sic desiderijs icta fidelibus
Quærit patria Cæsarem:
Tutus bos etenim rura perambulat:
Nutrit rura Ceres, almaque Faustitas:
Pacatum volitant per mare nauitæ:
Culpari metuit fides:
Nullis polluitur casta domus stupris:
Mos, & lex maculosum edomuit nefas:
Laudantur simili prole puerperæ:
Culpam pœna premit comes,
Quis Partham paueat? quis gelidum Scythen?
Quis, Germania quos horrida parturit
Fætus incolumi Cæsare? quis feræ
Bellum curet Iberiæ?
Condit quisque diem collibus in suis:
Et vitem viduas ducit ad arbores:
Hinc ad vina redit lætus, & alteris
Te mensis adhibet deum.
Te multa prece, te prosequitur mero
Defuso pateris: & Laribus tuum
Miscet numen, vti Græcia Castoris,
Et magni memor Herculis.
Longas o vtinam, dux bone, ferias
Præstes Hesperiæ, dicimus integro
Sicci mane die dicimus vuidi,
Cum sol oceano subest.

COMMENTARII.

Diuis orte bonis, carmen grauissimum est, & dignum Augusto. imperatorijs enim laudibus insigne est, a dijs, uel quod a Venere genus duxisse nar-

rant, uel quod poetæ sæpe deorum filios reges appellant, originem duxisse dicit. Eiusmodi est carmen, ut facile præbere materiam possit, & locos ad illustres homines laudandos. habet quandam præclaram aureæ ætatis imaginem, ita, ut nesciam, an ab ullo alio uel Latinorum, uel Græcorum poetarum spatiosius, ac luculentius fuerit tractata. aliam Oden in hanc sententiã scripsit ad ipsum Augustum lib. iij. Ode xiiij. ex Hispania uictorem reuersum. quam cum præsenti conferant adolescentes. Scaliger scribit in sua poetica hoc carminis genus ἐπιβατήριον appellari. quod post longam peregrinationem certa die ciuibus cõuocatis canebatur. ita autem canit poeta, quasi iam præsens esset Augustus. in quo genere quo modo sit uersandũ, idem Scaliger egregia præcepta monstrauit.

Lucem redde, quomodo aliquis potuisset elegantius urbis mœstitiam ex Principis absentis desiderio exprimere? Sic Augustum splendorem, ac lumen patriæ esse significat.

Instar ueris, quippe quo nihil iucundius.

Populo gratior it dies, ego hanc sententiam ponerem in commentis poeticis. sunt enim huiusmodi hæc, ut ab optimo poetarum ingenio excogitata, tota in rebus fingendis uersentur.

Vt mater, mira similitudo. sicut nihil magis optat mater, quam filium diu absentem uidere, ita patria quærit Cæsarem. notabitis pro omnibus uentis positum esse notum figura familiari poetæ. Sic Carpathium mare pro omni mari. & quam belle appellet flatum noti inuidum, sensum, atque animum rei sensu carenti tribuens. de quo genere Quinctilianus lib. ix. cap. vj. sic alibi Hor. uocat auidum mare, & Virg. indignatum magnis feruoribus æquor.

Tutus bos, pulchra, & poetica in primis, & sumpta a meritis ratio. multorum enim commodorum auctor erat Augustus. significat agriculturam uigere, quod belli temporibus non licet.

Nutrit rura Ceres, hanc fœcunditatem, & copiam frugum sic Virg. expressit:

Nec requies, quin aut pomis exuberet annus,
Aut fœtu pecorum, aut Cerealis mergite culmi,
Prouentu; oneret sulcos, atque horrea uincat.

Pacatum, mare tutum Augusto regnante fuisse significat.

Nullis polluitur, castitatem, & pudorem fœminarum tribuit optimo Principi. Idem eidem tribuit Ode xiiij. lib. iij.

Vnico gaudens mulier marito
Prodeat iustis operata sacris.

Contra queritur Ode v. libri tertij:

Fœcunda culpæ sæcula, nuptias
Primum inquinauere, & genus, & domos, multa addens.

Quis

Quis Parthum, memineribus huius artificij, quo tam sæpe utitur. Cum enim aliquid per totum, aut per Genus proferri potest, ad partes, & ad species se confert ornans & dilatans orationem. noluit dicere nullarum Gentium bellum pertimescendum.

Condit, a uoluptate laudat, quæ est optati boni fruitio. quid enim in hac uita suauius?

Et uitem, hic Epod. secunda:

Ergo aut adulta uitium propagine
Altas maritat populos. Et:
Inutilesq; falce ramos amputans
Feliciores inserit. Hoc etiam est superioris felicitatis consequens.

Hinc ad uina, a diuinis honoribus laus.

Longas, in fine huius carminum generis bene precari conuenit. uitam diuturnam his uerbis optat Augusto contingere. sic illo lib. j.

Serus in cœlum redeas, diuq;
Lætus inter sis populo Quirini,
Neue te nostris uitijs iniquum
Ocyor aura tollat.

IN APOLLINEM ET DIANAM.

Carmen sæculare. Ode VI.

DIVE, *quem proles Niobæa magnæ*
Vindicem linguæ, Tityosq; raptor
Sensit, & Troiæ prope uictor altæ
Phthius Achilles
Cęteris maior tibi miles impar:
Filius quamuis Thetidos marinæ
Dardanas turres quateret tremenda
Cuspide pugnax.
Ille, mordaci uelut icta ferro
Pinus, aut impulsa cupressus Euro,
Procidit late: posuitque collum in
Puluere Teucro.
Ille non inclusus equo Mineruæ
Sacra mentito, male feriatos
Troas, & lætam Priami choreis
Falleret aulam:
Sed palam captis grauis heu nefas, heu.

Nescios

Nescios fari pueros Achiuis
Vreret flammis etiam latentes
Matris in aluo:
Ni tuis uictus, Venerisque gratæ
Vocibus diuum pater annuisset
Rebus Aeneæ potiore ductos
Alite muros.
Doctor argutæ fidicen Thaliæ
Phœbe, qui Xantho lauis amne crines:
Dauniæ defende decus camœnæ
Leuis Agyieu.
Spiritum Phœbus mihi Phœbus artem
Carminis, nomenque dedit poetæ.
Virginum primæ, puerique claris
Patribus orti,
Deliæ tutela deæ, fugaces
Lyncas, & ceruos cohibentis arcu,
Lesbium seruate pedem, meique
Pollicis ictum,
Rite Latonæ puerum canentes,
Rite crescentem face noctilucam,
Prosperam frugum, celeremque pronos
Voluere menses.
Nuptam iam dices, ego Dijs amicum,
Seculo festas referente luces,
Reddidit carmen docilis modorum
Vatis Horati.

COMMENTARII.

Diuis, celebrat Apollinem, & Dianam laudibus insignibus. laudare deos antiquissimus est mos quare omnium vetustissimã existimandum est fuisse ὑμνογραφίαν: in hoc studio Homerus, Orpheus, Callimachus præcipue excelluere. pium hoc & omnibus debitum officium. Laudatur a rebus gestis Apollo. Niobes historia vulgatissima est. sunt qui non omnes Niobes filios ab Apolline, & Dirna occisos tradunt, Pausanias tamen in Corynthiacis Homerum secutus, omnes interemptos scripsit. Sed hic Horatius a calumniatore notatur. Is, inquit, sibi non probare linguam Niobes magnam appellatam a poeta, existimauit per magnam linguam, magnitudinem linguæ, idest, magniloquentiam significare voluisse poetam. Sanius qui interpretati sunt linguam magnam superbam, se ostentantem, & nimiũ arrogan-

arrogantem. quod uel illis Hyginij uerbis confirmatur. qui sic de Niobe scribit. Amphion in coniugium Nioben Tantali, & Dioneæ filiam accepit. Ex qua procreauit liberos septem, totidemq; filias, quem partum Niobe Latonæ anteposuit, superbiusque locuta est in Apollinem, & Dianam.

Tityosq; raptor, ideo Orpheus, & Callimachus Apollinem τιτυοκτόνον appellauerunt. obseruãdum poetam uitasse uocis exilitatem cum Tityos, non Tityus dixit.

Sensit, sic in Drusi laudibus. sed diu, lateq; uictrices cateruæ consilijs iuuenis reuictæ sensere, quid mens &c.

Phthius, tantopere extollit robur, & fortitudinem Achillis, ut illustrior appareat Apollinis uictoria Achillem prosternentis. at non ab Apolline occisum constat, sed a Paride. quare Virg.

Phœbe graues Troiæ semper miserate labores
Dardana qui Paridis dirrexti tela, manusq;
Corpus in Aeacidæ. Sed, quoniam huius dei auspicijs, & arte sagittandi, cui præest Apollo, consumptus est, icirco id Apollini tribuit. quod ex Virgilij exemplo elicitur.

Ille mordaci, fortissimi uiri casus, quo apparet quantæ uirtutis fuerit talem uirum interfecisse. hunc casum proculdubio sumpsit a Virgilio de Entelli casu:

Ipse grauis, grauiterq; ad terram pondere uasto
Concidit, ut quondam caua concidit aut Erymantho
Aut Ida in magna radicibus eruta pinus.

Posuitq; collum, pulcher modus in bello morientis.

Alite, sic Epod. xvj. secunda ratem occupare quid moramur alite.

Fidicen Thaliæ, sic dixit, Romanæ fidicen lyræ.

Qui Xantho, pulchrum attributum Apollinis. & plenum gratiæ. sic: Qui rore puro Castaliæ lauit crines solutos: qui Lyciæ tenet dumeta, ubi elegãter alia, quibus delectabatur hic deus, ipsi tribuit. hæc sunt non prætereunda poetas legentibus, & poetice scribere uolentibus.

Spiritum, acceptum refert suam artem Phœbo. sic Ode iij. huius libri. ad Melpomenem: Totum muneris hoc tui est &c.

Fugaces lyncas, Dianam uenatione delectari omnes poetæ, tum Callimachus his uersibus celebrat.

Ἄρτεμιν, οὐκ γὰρ ἐλαφρὸν ἀειδόντεσι λαθέσθαι,
ὑμνέομεν, τῇ τόξα, λαγωβολίαι τε μέλονται,
καὶ χορὸς ἀμφιλαφὴς, καὶ ἐν οὔρεσι ἑψιάασθαι.

Idest, Dianam, non enim leue est cantantibus obliuisci, canamus, cui arcus, & leporum uenationes curæ sunt, & chorus frequens, & in montibus uersari; & paullo post.

δὸς

δὸς δέ μοι ἐνδρομίδας τε, καὶ ὁππότε μηκέτι λύγκας,
μήτ' ἐλάφους βάλλοιμι, τοὺς κύνας ἠυκομέοιεν,
δὸς δέ μοι οὔρεα πάντα. idest, da mihi, scilicet ancillas, quæ mihi cothurnos, & quando amplius lyncas, neque coruos iaculabor, ueloces canes bene pectant. da mihi omnes montes. Hic animaduertetis Horatium sumpsisse ex Callimacho, cum dixit, Deliæ tutela deæ fugaces lyncas & ceruos cohibentis arcu. elegit enim easdem feras quas Diana elegerat in Callimachi uersibus. & quod Græcus poeta dixit *βάλλειν* Horatius cohibere dixit, quamuis hoc uerbum cohibentis non satisfaciat Scaligero. Sed quia dubitare uidetur, prætermitto.

AD TORQVATVM. Ode VII.

Veris aduentu, & æqua moriendi conditione proposita, inuitat ad hilaritatem.

DIFFVGERE nives: redeunt iam gramina campis,
Arboribusque comæ.
Mutat terra uices, & decrescentia, ripas
Flumina prætereunt.
Gratia cum Nymphis, geminisque sororibus audet
Ducere nuda choros:
Immortalia ne speres monte annus, &, almum
Quæ rapit hora diem.
Frigora mitescunt zephyris, uer porterit æstas
Interitura, simul
Pomifer autumnus fruges effuderit: & mox
Bruma recurrit iners.
Damna tamen celeres reparant calestia Lunæ:
Nos ubi decidimus,
Quo pius Aeneas, quo Tullus diues, & Ancus,
Puluis & umbra sumus.
Quis scit, an adijciant hodiernæ crastina summæ
Tempora Dij superi?
Cuncta manus audias fugient heredis, amico
Quæ dederis animo.
Cum semel occideris, & de te splendida Minos
Fecerit arbitria
Non Torquate, genus, non te facundia, non te
Restituet pietas.
Infernis neque enim tenebris Diana pudicum

Oo *Liberat*

Liberat Hippolytum:
Nec lethæa ualet Theseus abrumpere caro
Vincula Pirithoo.

COMMENTARII.

Diffugere niues, nihil fieri poteſt tam ſimile quam hoc carmen, atque Ode quarta libri primi. Eadem eſt prorſus ſententia, ſimilibus uarie transformata, ſic, ut iam non idem, ſed aliud eſſe uideatur. tota res eſt in ſimilium rerum inuentione, quod ſiquis apte facere poteſt, nihil eum in omni ſententia transformanda latere poterit. Conferamus hæc ſimilia. hic diffugere niues dixit, illic, nec prata canis albicant pruinis. quis idem eſſe neget? redeunt iam gramina campis, arboribusq; comæ, quid differt ab illo? nunc decet aut uiridi nitidum caput impedire myrto, aut flore terræ, quem ferunt ſolutæ? mutat terra uices, nonne conuenit cum eo? ſoluitur aeris hiems grata uice ueris, & fauoni. Iam illud, Gratia cum Nymphis, geminisq; ſororibus audet ducere nuda choros, confer cum iſto. Iam cytherea choros ducit Venus imminente luna, iunctæq; nymphis gratiæ decentes alterno terram quatiunt pede, eſt ne tantillum diſcriminis? Immortalia ne ſperes monet annus &c. quo ſignificatur non perpetuo nos uicturos, nonne idem cum eo? pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas. Quid illud? Quis ſcit an adijciant hodiernæ craſtina ſummæ tempora dij ſuperi. non ne conuenit cum illo? uitæ ſumma breuis ſpem nos uetat inchoare longam. Quis illud prætereat? Cum ſemel occideris, & de te ſplendida Minos fecerit arbitria, ideſt, cum mortuus fueris, uidete quam idem, & quam apte, & eleganter illic dicat. Iam te premet nox, fabulæq; manes, & domus exilis Plutonia. non poterat utrobique magis poetice mors exprimi. Odæ tantum uarie concluduntur. illic dicit mortuos omni uoluptate priuari, hic non poſſe ullo pacto in uitam amplius reuocari. Cui ſententiæ reſpondet illud j.lib.Ode xxiiij. Quod ſi threicio blandius Orpheo, auditam moderere arboribus fidem, non uanæ redeat ſanguis imagini, Quam uirga ſemel horridus Nigro compulerit Mercurius gregi.

AD MARCIVM CENSORINVM. Ode VIII.

DONAREM *pateras, grataque commodus*
Cenſorine, meis æra ſodalibus:
Donarem tripodas, præmia fortium
Graiorum: neque tu peſſima munerum
Ferres: diuite me ſcilicet artium,
Quas aut Parrhaſius protulit, aut Scopas,

Hic

Hic saxo, liquidis ille coloribus
Sollers nunc hominem ponere, nunc deum.
Sed non hæc mihi uis: non tibi talium
Res est, aut animus deliciarum egens.
Gaudes carminibus: carmina possumus
Donare: & pretium dicere muneris.
Non incisa notis marmora publicis,
Per quæ spiritus, & uita redit bonis
Post mortem ducibus: non celeres fugæ,
Reiectæque retrorsum Annibalis minæ,
Non incendia Carthaginis impiæ,
Eius qui domita nomen ab Africa
Lucratus redijt, clarius indicant
Laudes, quam Calabræ Pierides: neque,
Si chartæ sileant, quod bene feceris,
Mercedem tuleris. quid foret Iliæ,
Mauortisque puer: si taciturnitas
Obstaret meritis inuida Romuli?
Ereptum Stygijs fluctibus Aeacum
Virtus, & fauor, & lingua potentium
Vatum, diuitibus consecrat insulis.
Dignum laude virum Musa uetat mori:
Cælo Musa beat. sic Iouis interest
Optatis epulis impiger Hercules.
Clarum Tyndaridæ sidus ab infimis
Quassas eripiunt æquoribus rateis,
Ornatus uiridi tempore pampino
Liber uota bonos ducit ad exitus.

COMMENTARII.

Donarem pateras, magnam esse in carminibus poetarum uim, uel ex hac Ode, vel ex ultima tertij libri, licet colligere. utraque eodem spectat. quas si conferas inutile non sit ad imitationem. Cum autem reliqua ab alijs sint occupata, laborem mihi demptum non moleste fero. meum ipse ab initio susceptum institutum persequar. Quare pauca appingam.

Non incisa notis, nulla artificis opera tantum proficiunt ad immortalitatem tuendam quam poetarum monumenta. Hoc confirmatur exemplis, Quid feret Iliæ &c.

Ereptum stygijs, splendidissimus immortalitatis exprimendæ modus, collige alios, quos in Oden tertiam iij. lib. notauimus, ibi:

Hac arte Pollux. quod tam sępe celebrauimus.

Aera sodalibus, æra pro æreis signis, materia pro forma more suo. illud etiam, siquis non repudiet, notari poterat: nam cum dicere uoluisset se multas res preciosas amicis donaturum, referens se ad species earum, dixit pateras, æra, tripodas. qui locus ut tam sæpe diximus utilissimus est imitanti, & scribenti. Sed de tripode lege Lilium vij. Syntag. & de eius inuentione interpretem in Aristophanis Pluto. Super eo uersu in initio fabulæ.

Ὃς θεσπιωδεῖ τρίποδος ἐκ χρυσιλάτου.

AD LOLLIVM. Ode IX.

NE forte credas interitura, quæ
Longe sonantem natus ad Aufidum,
Non ante uulgatas per arteis
Verba loquor socianda chordis:
Non si priores Mæonius tenet
Sedes Homerus: Pindaricæ latent,
Ceæque, & Alcei minaces,
Stesichorique graues camœnæ.
Nec, si quod olim lusit Anacreon,
Deleuit ætas. spirat adhuc amor:
Viuuntque commissi calores
Aeoliæ fidibus puellæ.
Non sola comptos arsit adulteri
Crines, & aurum vestibus illitum
Mirata, regalesque cultus,
Et comites, Helene Lacena,
Primusue Teucer tela Cydonio
Direxit arcu: non semel Ilios
Vexata: non pugnauit ingens
Idomeneus Sthenelusue solus
Dicenda Musis prælia: non ferox
Hector, vel acer Deiphobus graues
Excepit ictus pro pudicis
Coniugibus, puerisque primus.
Vixere fortes ante Agamemnona
Multi, sed omnes illacrymabiles
Vrgentur, ignotique longa
Nocte: carent quia vate sacro.
Paulum sepultæ distat inertię
Celata uirtus. non ego te meis

Chartis inornatum silebo,
Totue tuos patiar labores
Impune Lolli carpere liuidas
Obliuiones . est animus tibi
Rerumque prudens , & secundis
Temporibus , dubijsque rectus,
Vindex auarę fraudis , & abstinens
Ducentis ad se euncta pecunię,
Consulque non unius anni,
Sed , quoties bonus , atque fidus
Iudex honestum prętulit vtili : &
Reiecit alto dona nocentium
Vultu : & per obstantes cateruas
Explicuit sua victor arma .
Non , possidentem multa , uocaueris
Recte beatum : rectius occupat
Nomen beati , qui deorum
Muneribus sapienter vti,
Duramq; callet pauperiem pati:
Peiusq; letho flagitium timet:
Non ille pro caris amicis,
Aut patria timidus perire .

COMMENTARII.

Ne forte credas, plenum grauitatis carmen siue sententias, siue uerba spectes. principio nihil grauius, longioribus, & sonantioribus uerbis sententia composita est. Sed singulas partes consideremus. Initio quærendum argumentum, quod κεφάλαιον vocant; & totam rem complectitur. hoc autem non est simplex. Nam primum scripta sua non interitura, deinde sine poetarum auxilio famam extendi non posse ostendit. postremo se Lollij uirtutem suis carminibus immortalem facturum pollicetur. Prima sententia erat confirmanda, ut ita esse sibi homines persuaderent, scilicet non interitura sua carmina. idcirco eam probat Epicheremate, hoc pacto. Non quicunque poetæ priores sedes tenuere, posteros a scribendo deterruere. Homerus quidem primas tenuit, non idcirco Pindarum, Simonidem, Alceum, Stesicorum, Anacreontem, Sapphonem deterruit.

Igitur neque ego deterreri debeo. In hac argumentatione non est cur quisquam ad dialecticorum normam ordinē propositionum reuocet. cum aliter oratores, ac poetas ipsos, aliter dialecticos argumentationibus usos non ignoret. de quo alibi. Hic a complexione inuerso ordine orditur, mox

assumit

assumit maiori propositione in auditorum animis relicta. nemo autem miretur epicheremata in poetis inueniri, cum ea cum ipsis, & cum oratoribus communia sint. In primis quattuor uersiculis ualde mihi satisfaciunt aliqua uerba plurium syllabarum. Aufidum sonantem ob uocalium sonum pulcherrime dictum est. hac uoce Virgilius nonnullos amnes ornauit, ut cum dixit, transque sonantem Ascanium, unde Horatius fortasse sumpsisse potuit. & saxosumq; sonãs Hypanis. & cũctatur & amnis rauca sonãs.

Non si priores, secunda pars argumentationis. quamuis Homerus primas sedes occuparit, non propterea aliquorum, qui post illum scripsere, labores ac monimenta interierunt. Hanc propositionem tractat enumeratione multorum poetarum illustrium, qui post Homerum clarissimi extiterunt. & locutionis uarietate, atque immutatione exornat. Nam cum dicendum esset eorum scripta uiuere, ea non latere, ætate non deleta esse, spirare adhuc amorem, calores uiuere dixit. pulcherrimis metaphoris splendidam faciens orationem. Quod ait, tenere priores, sic etiam locuti sunt oratores. dicunt enim ferre primas, obtinere, tenere, sic deferre, concedere, dare primas. sed hi neque partes, neque sedes addiderunt. Calores commissi fidibus elegantissimum est. Aeoliæ puellæ, Periphrasis non minus habet gratiæ. Hactenus his orationis delicijs sua carmina duratura probauit. Cetera persequitur. hoc autem secundum fuit, quod sibi proposuerat, scilicet neminem, immortalem sine alicuius excellentis ingenij ope esse posse. uidendum quo iudicio unum prope uerbum in multa diduxerit. Cum enim dicendum esset, multas fœminas bellorum causam fuisse, multos sagittandi peritos, multos fortissimos uiros maxima bella gessisse, uitans fastidiosam eiusdem uerbi repetitionem, se ad indiuidua, singulariaque conuertit.

Non solum comptos, enumerat quæ amorem alliciunt.

Arcu cydonio, species generis loco.

Sed omnes illachrymabiles, sed quoniam eos nemo lachrymis est prosecutus, suis carminibus eos deplorans, longa nocte, idest, perpetuis tenebris, nulla post se benefactorum memoria relicta, obruuntur. urgentur uerbum est graue, quo de Encelado usus est Virg. quod superius:

Fama est Enceladi semiustum fulmine corpus
Vrgeri mole hac.

Et quod Horatij sententiæ proximum est:

Olli dura quies oculis, & ferreus urget somnus.

Paullum, γνώμη.

Non ego te meis, tertia pars. Non patiar, inquit, tuum nomen in obscuro iacere. Id quam ornatissime explicat. dicimus etiam sic. non finam te indictum, tacitum, quemadmodum Virgilius:

Quis te magne cato tacitum, aut te Cosse relinquat? Et:

Nec

Nec tu carminibus nostris indictus abibis Oebale.

Reliqua pertinent ad Lollij laudem, quæ alijs dimitto. Confer istam Oden cum superiori, idem argumentum agnosces.

AD LIGVRINVM. Ode X.

Vt, dum per ætatem licet, fruatur formæ suæ bono. fore enim alioqui, ut ipsum pœniteat, cum florem illum ætatis amiserit.

O Crudelis adhuc, & Veneris muneribus potens:
Insperata tuę cum veniet pluma superbię:
Et, quę nunc humeris inuolitant, deciderint comę:
Nunc & qui color est Punicę flore prior rosę,
Mutatus Ligurinum in faciem uerterit hispidam,
Dices, heu (quoties te speculo uideris alterum)
Quę mens est hodie, cur eadem non puero fuit?
Vel cur his animis incolumes non redeunt genę?

COMMENTARII.

Et quę nunc humeris, idest, postquam a pueris excesseris. id cognoscebatur cum comas tondebant pueri. diuersis autem de causis comas deponebant, vel vt ea re adultior ætas a puerili dignosceretur, quod in uestium genere Romæ obseruatum est. prætexta enim teneriorem ætatem, toga uirilem signabat. uel ad luctum indicandum. ut est de Achille in Patrocli funere apud Homerum. mos quidem comæ nutriendæ græcorum fuit. quam ad certum tempus tondebant, & dæmonibus dicabant. sed comam etiam fluminibus dicare solitum fuit. Ideo est apud Homerum, Pelleum, si Achilles uictor a Troiano bello redijsset, eius comam Sperchio uouisse. Narrat Plutarchus in Theseo a capillorum positione Theseum appellatum, quam θέαν vocatam dicit. apud quem plura lege in hanc sententiam. Comas inuolitare humeris, colorem priorem flore rosæ purpureæ, uertere in faciem hispidam modi sunt perelegantes.

AD PHYLLIDEN. Ode XI.

Inuitat eam ad Epulas.

EST mihi nonum superantis annum
Plenus Albani cadus: est in horto

Phylli

Phylli, nectendis apium coronis,
Est ederę vis
Multa, qua crines religata fulges:
Ridet argento domus: ara castis
Vincta verbenis auet immolato
Spargier agno:
Cuncta festinat manus: huc, & illuc
Cursitant mistę pueris puellę:
Sordidum flammę trepidant rotantes
Vertice fumum.
Vt tamen noris, quibus aduoceris
Gaudijs: Idus tibi sunt agendę,
Qui dies mensem Veneris marinę
Findit Aprilem
Iure solemnis mihi, sanctiorque
Pæne natali proprio, quod ex hac
Luce Męcenas meus affluentes
Ordinat annos.
Telephum, quem tu petis, occupauit
Non tuę sortis iuuenem puella
Diues, & lasciua: tenetque grata
Compede uinctum.
Terret ambustus Phaeton auaras
Spes: & exemplum graue prębet ales
Pegasus, terrenum equitem grauatus
Bellerophontem:
Semper ut te digna sequare: & vltra,
Quam licet, sperare nefas putando,
Disparem uites. age, iam meorum
Finis amorum,
(Non enim posthac alia calebo
Fęmina) condisce modos, amanda
Voce quos reddas, minuentr atrę
Carmine curę.

COMMENTARII.

Est mihi nouum, Natalem Mæcenatis celebraturus, more suo Phyllidem ad canendum inuitat. in omnibus enim lætitijs id ferunt, ut aliqua puella suis conuiuijs intersit. vt in Numidæ reditu, de quo alibi:

Nec

Nec multi Damalis meri
Bassum threicia uincat amystide, Et:
Dic & argutæ properet Neæræ
Myrrheum nodo cohibere crinem, Et:
Quis deuium scortum eliciet domo
Lyden? eburna dic age cum lyra

Maturet. tria autem repetit, quæ in varijs lætitijs adhibere solitus est, uinum, epulas, coronas, omisit unguenta.

Nonum superantis annum, uinum uetus semper celebrat. sic ibi:
Vile potabis modicis Sabinum
Cantaris, græca quod ego ipse testa
Conditum leui, datus in theatro
Cum tibi plausus, Et:
Et cadum Marsi memorem duelli, Et:
O nata mecum consule Mallio. &c.

Spargier agno, refer te ad uarios modos sacrificandi, quos collegimus libro primo Ode xiij.

Cursitant, talis conuiuij lætitia est apud Virg. j. Aen.
Fit strepitus tectis, uocemq; per ampla uolutant.

Atria. Sed nemo requirat conuiuium honorificentius quam illud Catulli in nuptijs Tethidis, & Pelei. quod Horatius, Ridet argento domus, Catullus sic elegantissime, in quem locum Hor. proculdubio respexit:
Ipsius at sedes quocunque opulenta recessit
Regia, fulgenti splendent auro, atque argento.
Candet ebur folijs, collucent pocula mensis,
Tota domus gaudet regali splendida luxu.

Telephum, ne neget Phyllis uenire Telephi causa, ipsum in ipsius Phyllidis inuidiam adducit.

Terret, pulcherrimis exemplis monet, ne de Telephi amore cogitet. de Pegaso, & Phaetonte, quoniam notissimum est, supersedebo. in cæteris alij strenue laborarunt.

AD VIRGILIVM. Ode XII.

Describit veris aduentum. tum ipsum inuitat ad epulas, ea conditione, ut secum pro symbolo nardi onychem ferat.

IAM veris comites, quæ mare temperant,
Impellunt animæ lintea Thraciæ:
Iam nec prata rigent, nec fluuij strepunt
Hyberna niue turgidi.

Nidum ponit, Ityn flebiliter gemens,
Infelix auis, & Cecropiæ domus
Aeternum opprobrium, quod male barbaras
Regum est ulta libidines.
Dicunt in tenero gramine, pinguium
Custodes ouium, carmina fistula:
Delectantque deum, cui pecus, & nigri
Colles Arcadiæ placent.
Adduxere sitim tempora Virgili:
Sed, pressum Calibus ducere Liberum
Si gestis, iuuenum nobilium cliens,
Nardo uina merebere.
Nardi paruus onyx eliciet cadum,
Qui nunc Sulpicijs accubat horreis,
Spes donare nouas largus amaraque
Curarum eluere efficax.
Ad quæ si properas gaudia, cum tua
Velox merce ueni. non ego te meis
Immunem meditor tinguere poculis,
Plena diues ut in domo.
Verum pone moras, & studium lucri:
Nigrorumq; memor, dum licet, ignium
Misce stultitiam consilijs breuem.
Dulce est desipere in loco.

COMMENTARII.

Iam ueris, confer hanc Oden cum quarta libri primi, & cum septima libri quarti, nihil fere discrepare uidebis. lege quæ in utranque scripsimus. in hac obseruare licet uerba lectissima, quibus tanquam luminibus splendet. Primum Zephyros ueris comites eleganter dictos, quemadmodum Virgilius dixerat, & consanguineus læti sopor. sic Zephyros temperare mare, auras impellere lintea, quo uerbo in rebus maritimis Virgilius sæpe vsus est. vt Zephyris primum impellentibus vndas, & impellere remos, marmora remis impellere, adde quod Horatius auras impellere lintea dixit, Virgilius uero notos uela tendere, & intendere, ut, uela secundi intendunt Zephyri. Accubare dolium recte dictum pro eo quod vulgo dolia sedere dicunt, eluere curas, & quod elegantius est amara curarum. tinguere poculis excellens est modus. ponere moras, nigri ignes, pro funere, & rogo, nihil splendidius. quæ studiosi non dimittent. quid illa? prata rigere, fluuios strepere, & turgidos esse hiberna niue. aues ponere nidum, dicere carmina fistula.

la. deus cui colles Arcadiæ placent, bella Periphrasis. ducere liberum pressum calibus, quod alibi fecerat, cæcubum, & prælo domitam caleno tu bibes uuam, sic ducere pocula, ducere nectaris succos, & ducere pocula liberi pro haurire, & bibere. hæc talia sunt, ut merito digna uideantur, quæ ad Virgilium mitterentur. neque enim ver ipsum tot coloribus, tot florum varietatibus puto efflorescere.

Nidum ponit, significat volucres verno tempore canere; sic Theocritus in ὀδοιπ. ταὶ δ' ἐπὶ δένδρεσ ὄρνιχες λαλαγεῦντι. quod etiam quidam elegans auctor in Epigram. in veris descriptione sumpsit.

πάντα δ' ὀρνίθων γενεὴ λιγύφωνος ἀείδει
Ἀλκυόνες περὶ κῦμα, χελιδόνες ἀμφὶ μέλαθρα,
κύκνος ἐπ' ὄχθαισι ποταμοῦ, καὶ ὑπ' ἄλσος ἀηδών.

Dicunt in tenero gramine, sic in eodem epigrammate leges, *καὶ σύριγγι νομεὺς ἐν ὄρεσι λιγαίνει*. & paullo post:

συρίζει δὲ νομεὺς καὶ τέρπεται εὔποκα μῆλα. Hinc videre licet quemadmodum optimi poetæ eandem uiam ingressi, rationemq; secuti, in omnibus consentiant, quasi uno ore fuerint locuti.

IN LYCEN. Ode XIII.

Insultans ei, quod iam anus fiat, & libidine flagrans contemnatur a iuuenibus.

AVDIVERE, Lyce, dij mea uota. dij
Audiuere, Lyce: fis anus: & tamen
Vis formosa uideri:
Ludisque, & bibis impudens:
Et cantu tremulo pota Cupidinem
Lentum solicitas. ille uirentis, &
Doctæ psallere Chiæ
Pulchris excubat in genis.
Importunus enim transuolat aridas
Quercus: & refugit, te quia luridi
Dentes, te quia rugæ
Turpant, & capitis niues.
Nec Coæ referunt iam tibi purpuræ,
Nec clari lapides tempora, quæ semel
Notis condita fastis
Inclusit uolucris dies.
Quo fugit Venus? heu: quo ue color decens?
Quo motus? quid habes illius, illius,

Quæ spirabat amores:
Quæ me surpuerat mihi,
Felix post Cynaram, notaque, & artium
Gratarum facies? sed Cynare breuis
Annos fata dederunt,
Seruatura diu parem
Cornicis uetulæ temporibus Licen.
Possent ut iuuenes uisere feruidi
Multo non sine risu,
Dilapsam in cineres facem.

COMMENTARII.

Audiuere, eiusdem sententiæ est Ode xv. libri tertij. & xxv. libri primi. quas conferre profuerit, ut discamus, quid in hanc sententiam scripturi, possimus excipere. irridet Lycen, quæ cum vetula esset, nihilominus adhuc in re venerea persisteret, & amoribus præter ætatem indulgeret. lege Oden quintamdecimam libri tertij. multa, quæ ad hunc locum pertinent, inuenies, quare minus in hoc carmine laborandum. non omittam tamen per allegoriam aridarum quercuum senectutem intelligi.

Nec Coæ, iuxta illud Ausonij Galli.

Dicebam tibi Galla, senescimus. effugit ætas;
Nec reuocare potes qui periere dies.

Sed uidendum cur poeta appellet Coam purpuram, cum nusquam legatur de purpura Coa. siquidem apud Coos purpuræ non tingebantur; sed tantum in magno erant precio uestes coloris candidissimi, quas bombycinas uocant. fortasse poeta significare uoluit uestes Coas tanti esse, ut cum purpura certarent. vel candidissimas eas ostendere uoluisse, cum purpureus color de candido etiam sit dictus, putandum est. quemadmodum scripsimus in Ode prima libri quarti. ad illum locum. Tempestiuius in domo Paulli purpureis ales oloribus. Adde quod Propertius bombycem etiam arabiã celebrat, elegia iij. libri secundi. Non si qua Arabio lucet bombyce puella. Plin. xj. Nat. Hist. Assyriam uocat. Hæc, quæ poeta numerat sunt ornamenta, quibus puellæ ornatæ se pulchriores putant. Ideo hæc tanto studio conquirunt. sic idem Prop.

Quid iuuat ornato procedere uitta capillo?
Et tenues Coa ueste mouere sinus?
Aut quid Orontbea crines perfundere myrrha,
Teq; peregrinis uendere muneribus?

AD AVGVSTVM. Ode XIIII.

A Senatu P. Q. Romani dignos sibi hono res reddi non posse.

Quae cura patrum, quaeue Quiritium,
Plenis honorum muneribus tuas
Auguste, uirtutes in aeuum
Per titulos, memoresque fastos
Aeternet? o, qua sol habitabiles
Illustrat oras maxime principum,
Quem legis expertes Latinae
Vindelici didicere nuper,
Quid Marte posses. milite nam tuo
Drusus Genaunos, implacidum genus,
Breneosque ueloces, & arces
Alpibus impositas tremendis,
Deiecit acer, plus uice simplici
Maior Neronum. mox graue praelium
Commisit immanesque Rhaetos
Auspicijs pepulit secundis,
Spectandus in certamine Martio,
Deuota morti pectora liberae
Quantis fatigaret ruinis
Indomitas prope qualis undas
Exercet Auster Pleiadum choro
Scindente nubes: impiger hostium
Vexare turmas: & frementem
Mittere equum medios per ignes.
Sic tauriformis uoluitur Aufidus:
Qui regna Dauni perfluit Appuli,
Cum saeuit: horrendamque cultis
Diluuiem meditatur agris:
Vt barbarorum Claudius agmina
Ferrata uasto diruit impetu:
Primosque, & extermos metendo
Strauit humum sine clade uictor,
Te copias, te consilium, & tuos
Praebente diuos. nam tibi, quo die
Portus Alexandrea supplex,

Et uacuam patefecit aulam,
Fortuna lustro prospera tertio
Belli secundos reddidit exitus:
Laudemq; , & optatum peractis
Imperijs decus arrogauit;
Te Cantaber non ante domabilis,
Medusq; , & Indus te profugus Scythes
Miratur , o tutela præsens
Italiæ , dominæq; Romæ:
Te , fontium qui celat originem,
Nilusque , & Ister , te rapidus Tigris,
Te belluosus , qui remotis
Obstrepit Oceanus Britannis,
Te non pauentis funera Galliæ,
Duræque tellus audit Iberiæ.
Te cæde gaudentes Sicambri,
Compositis uenerantur armis.

COMMENTARII.

O quam sol habitabiles, quid maius, aut illustrius ad laudem , ornatius ad pulchritudinem orationis ? Ode valde similis est quartæ huius libri . est enim de ijsdem fere rebus .

Immanesq; Rhetos, in hanc sententiam Suetonius in Augusto . domuit autem,inquit,partim ductu,partim auspicijs suis Cantabriam,Aquitaniam, Pannoniam , Dalmatiam cum Illyrico omni , Item Rhetiam &c. quem locum alibi citauimus,scilicet Ode xj. lib.ij.

Sic tauriformis, lege Cælium lib.ix.cap.xlvij. de varijs fluminum simulacris. & Miscell. Hieronymi Magij lib. iiij. cap.ij. attende quo turbine uerborum tractet duas illas comparationes.Indomitus prope qualis undas . & : sic tauriformis uoluitur Aufidus .

Prope qualis undas, optimæ similitudines ad rem aperiendam,atque augendam. hic notabimus uerbum diruit,& metendo,& strauit translationes, quæ singularem ducis uirtutem declarant .

Te cantaber, uide, quæ attulimus in Oden ultimam secundi libri ad illum locum . Iam Dædaleo Ocyor Icaro .

AVGVSTI LAVDES. Ode XV.

PHOEBVS *uolentem prælia me loqui,*
Victas & urbes , increpuit lyra:

Ne parua Tyrrhenum per æquor
Vela darem. tua, Cæsar, ætas
Fruges & agris retulit uberes,
Et signa nostro restituit Ioui,
Direpta Parthorum superbis
Postibus: & uacuum duellis
Ianum Quirini clausit: & ordinem
Rectum euaganti frena licentiæ
Iniecit emouitque culpas:
Et ueteres reuocauit artes:
Per quas Latinum nomen, & Italæ
Creuere uires: famaque, & imperi
Porrecta maiestas ad ortum
Solis ab Hesperio cubili.
Custode rerum Cæsare non furor
Ciuilis, aut uis eximet otium:
Non ira, quę procudit enses,
Et miseras inimicat urbes.
Non, qui profundum Danubium bibunt,
Edicta rumpent Iulia: non Getę,
Non Seres, infidiue Persę,
Non Tanain prope flumen orti.
Nosque & profestis lucibus, & sacris
Inter iocosi munera Liberi
Cum prole, matronisque nostris,
Rite deos prius apprecati,
Virtute functos more patrum duces,
Lydis remisto carmine tibijs,
Troiamque, & Anchisen, & almę
Progeniem Veneris canemus.

COMMENTARII.

Phœbus, peculiaris est poetarum, atque etiam oratorum excusatio, ut modestiæ causa initio dicendi significent se aut minus esse idoneos ad aliquem illustrem uirum celebrandum, ut Tib. de Messala.

Te Messala canam, quanquam mea cognita uirtus
Terret, ut infirmę ualeant subsistere uires.

Et Hor. ad Aug. prima epistola libri secundi:

Si quantum cuperem tantum possem.

Aut fingunt se a Musis, aut ab Apolline prohiberi. vt Hor.

Quo Musa pergis? desine pervicax
Referre sermones deorum, Et:
Magna modis tenuare paruis. Sed alibi etiam de hoc diximus.

Tua Cæsar ætas, hæc sunt propria, ac uera illustrium uirorum ornamenta, & immortalitate digna. quæ in similium uirorum laudem, tamquam loci, sunt animaduertendi, ac notandi. Laudare a rerum omnium copia, a rebus præclare gestis, uel ab otio, & populorum tranquillitate, quorum omnium sint auctores. ab optimis institutis, ab excellentium artium studijs, a liberalitate, & ab omnibus alijs uirtutibus, & bonis. Quamobrem, & ueteres, & posteriores ad illud sæpe se retulerunt, ut ea omnia bona, quibus mortales aureo sæculo fruebantur, florere aliquo dominante prædicarent. Hæc sola amplissimam copiam præbere possunt principes uiros laudantibus.

Ianum Quirini, de ijs Hor. in epistola de qua paullo superius, ad Augustum scribens de ijs factis sic narrat, & quidem heroice.

Non sermones ego mallem
Reptantes per humum, quam res componere gestas,
Terrarumq; situs, & flumina dicere, & arces,
Montibus impositas, & barbara regna, tuisq;
Auspicijs totum confecta duella per orbem,
Claustraq; custodem pacis cohibentia Ianum,
Et formidatam Parthis te Principe Romam.

Ego uero hæc (quantum ad splendorem uerborum attinet,) notanda putarem. increpare lyra, dare uela per æquor, quod sæpissime vsurpatum a Virgilio uidemus. restituere, & diripere signa, claudere Ianum: pro pacis auctorem esse. inijcere frena licentiæ euagāti, in quibus duobus sunt pulcherrimæ metaphoræ, reuocare artes ueteres, Maiestatem Imperij porrectam ad ortum solis ab hesperio cubili. quod magnifice dictum est.

Non qui profundum, lege quæ notauimus Ode ultima libri secundi, ibi:
Iam Dædaleo Ocyor Icaro.

Scaliger putat esse uitium in uerbo remisto. nam inquit. ostendit carmen remistum, quod antea non fuerit mistum. Cum passim uideamus in optimis poetis, & oratoribus simplicem uocem pro composita, & compositam pro simplici usurpari. Ita usus est Horatius hoc ipso uerbo in poetica si ueris falsa remiscet, exempla non desunt.

Q. HORA-

Q. HORATII FLACCI EPODON LIBER.

Ad Mæcenatem in bellum Actiacum proficiscentem.

IBIS *Liburnis inter alta nauium,*
Amice propugnacula,
Paratus omne Cæsaris periculum
Subire, Mæcenas, tuo:
Quid nos? quibus te uita sit superstite
Iucunda: si contra, grauis?
Vtrumne iussi persequemur otium
Non dulce, ni tecum simul?
An hunc laborem mente laturi, decet
Qua ferre non molles uiros?
Feremus. & te uel per Alpium iuga,
Inhospitalem & Caucasum,
Vel occidentis usque ad ultimum sinum,
Forti sequemur pectore.
Roges, tuum labore quid iuuem meo,
Imbellis, ac firmus parum.
Comes minore sum futurus in metu:
Qui maior absentes habet.
Vt assidens implumibus pullis auis
Serpentium allapsus timet
Magis relictis: non, ut adsit, auxili
Latura plus præsentibus.
Libenter hoc & omne militabitur
Bellum in tuæ spem gratiæ:
Non ut iuuencis illigata pluribus
Aratra nitantur meis:
Pecusue Calabris ante sidus feruidum
Lucana mutet pascua:
Nec, ut superni uilla candens Tusculi
Circæa tangat mœnia.

Satis, superque mè benignitas tua
Ditauit. haud parauero,
Quod aut, auarus ut Chremes, terra premam:
Discinctus aut perdam ut nepos.

COMMENTARII.

Ibis Liburnis, carmen, quod in peregre proficiscentes scribimus, nonnulli προπεμπτικὸν appellari dixerunt. de nauibus Liburnis ade Bayfium. significat se nolle a Mæcenate diuelli. Idem ostendebat in Ode decimaseptima libri secundi, sic:

Me nec chimeræ spiritus igneæ
Diuellet vnquam.

Et te per alpium iuga, eandem sententiam tractat Ode iiij. lib. iij.

Vtcunq; mecum vos eritis, libens
Insanientem nauita Bosphorum
Tentabo, & arentes arenas
Littoris Assyrij uiator.

Quid nos, Scaligerum offendit uersiculus, Quid nos, quibus te uita sit superstite iucunda. putat sic longe concinnius, Quid nos? quibus iucunda te superstite sit uita. Ego doctorum iudicium, atq; aures requiro. sed leue admodum leue est. Idem notat male uersatum poetam in comparatione, & contrariam esse putat. uerum Porphyrionem lege, Lambinus quidem tacite sua interpretatione reprehendit.

Non ut iuuencis, non ut diues fiam. Id valde poeticum est. multis enim speciebus earum rerum, quæ in diuitijs numerantur, assumptis, idem agit, quod uel uno, aut duobus ad summum uerbis exprimi poterat. idem fecit Ode xxxj. lib. j. lege illum locum. Non opimæ Sardiniæ segetes feraces.

Aratra nitantur meis, quidam putant legendum, mea.

VITAE RVSTICAE LAVDES. Ode II.

BEATVS *ille, qui procul negocijs,*
Vt prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni fænore:
Neque excitatur classico miles truci:
Nec horret iratum mare:
Forumque uitat, & superba ciuium
Potentiorum limina.
Ergo aut adulta uitium propagine

Altas

Altas maritata populos:
Aut in reducta ualle mugientium
Prospectat errantes greges:
Inutilesq; falce ramos amputans,
Fœliciores inserit:
Aut pressa puris mella condit amphoris:
Aut tondet infermas oues:
Vel cum decorum mitibus pomis caput
Autumnus aruis extulit,
Vt gaudet insitiua decerpens pyra,
Certantem & uuam purpuræ:
Quo muneretur te Priape, te pater
Siluane tutor finium.
Libet iacere modo sub antiqua ilice,
Modo in tenaci gramine.
Labuntur altis interim ripis aquæ:
Queruntur in filuis aues:
Fontesque lymphis obstrepunt manantibus,
Somnos quod inuitet leues:
Aut cum tonantis annus hibernus Iouis
Imbres, niuesque comparat:
Aut trudit acres hinc & hinc multa cane
Apros in obstantes plagas:
Aut amite leui rara tendit retia,
Turdis edacibus dolos:
Pauidumque leporem, & aduenam laqueo gruem
Iucunda captat præmia.
Quis non malarum, quas amor curas habet,
Hæc inter obliuiscitur?
Quod si pudica mulier in partem iuuet
Domum, atque dulces liberos:
Sabina qualis, aut perusta solibus
Pernicis vxor Appuli:
Sacrum uetustis extruat lignis focum
Lassi sub aduentum uiri:
Claudensque textis cratibus lætum pecus,
Distenta siccet ubera:
Et horna dulci uina promens dolio,
Dapes inemptas apparet:
Non me Lucrina iuuerint conchylia,
Magisue rhombus, aut sacri:

Si quos Eois intonata fluctibus
Hyems ad hoc uertat mare:
Non Afra auis descendat in uentrem meum,
Non attagen Ionicus
Iucundior, quam lecta de pinguissimis
Oliua ramis arborum:
Aut herba lapathi prata amantis, & graui
Maluæ salubres corpori:
Vel agna festis cæsa Terminalibus:
Vel hædus ereptus lupo.
Has inter epulas, ut iuuat pastas oues
Videre properantes domum?
Videre fessos uomerem inuersum boues
Collo trahentes languido:
Positosque uernas, ditis examen domus,
Circum renidentes Lareis?
Hæc ubi locutus fænerator Alphius,
Iam iam futurus rusticus,
Omnem relegit idibus pecuniam:
Quærit Kalendis ponere.

COMMENTARII.

Beatus ille, meum consilium semper eo spectauit, in toto hoc opere, ut poetæ artificia, quantum mea tenuitas ferret, aperirem, ut aditus esset nostris adolescentibus ad imitationem. quod deinceps persequar. ostendã quibus rationibus, quibusque auxilijs adiutus poeta tam feliciter totum Virgilij locum de uitæ rusticæ laudibus sumptum sic fuerit imitatus, ut suum ipsius non ab alio deductum uideatur. Cõportabo huc, quæ in primo libro de poetica imitatione superioribus annis conscripsimus, ut ea studiosis pro exemplo esse posint. Has autem vel præceptiones, uel obseruationes non tam ad poetas quam ad oratores imitandos pertinere unusquisque facile iudicabit. ibi ita scriptum est. Cum igitur imitamur, aut materiam uniuersam, aut minutiores sententias, aut uerba contemplamur. in quibus cum egregie fuerimus uersati, cum nihil fere præterea sit reliquum in imitando, quod spectemus, præclare hoc munere perfuncti putabimur, sed ut id commode assequi posimus, ratio, ac uia quærenda est. Quamobrem pro uiribus dabimus operam, ut ea, quæ sequenda in hac re arbitramur, explicemus. Cum igitur uniuersam materiam exprimendam suscipimus, in aliud simulacrum, atque imaginem ea transformanda est. hoc autem rebus uarie disponendis, dilatandis, contrahendis, mutandis, præterea contrarijs, similibus,

bus, atque huiusmodi consequemur. quare tanquam fundamenta sumemus dispositionem, dilatationem, contractionem, mutationem, contraria, similia. Dispositionem dicimus aptam rerum & sententiarum distributionem ab ea, unde sumimus, alienam. Dilatationem eius quod anguste, & contracte dictum ab alio inuenerimus explicationem. Contractionem, qua id quod late fuerit diffusum in angustum redigimus. Mutationem eius rei, quæ sententiam quodam modo inuertit, aliamq; faciem affert, transformationem appellamus. Contrarium modum dicimus rei dissimili ratione uariandæ. Simile uiam sententiæ idem ualentibus uerbis exprimendæ. Vt uero hoc planius ostendam, Horatij exemplo, quo nihil aptius excogitari potuisset, patefaciam. indicabo quod consilium in aliena sententia secutus, quamq; artificiose, & callide totum a Virgilio argumentum ab initio ad extremum in illius uestigijs insistens, istorum locorum obseruatione arripuerit: Ode autem est secunda Epod. in qua ne minima quidem in re a Virgilij loco de uitæ rusticæ laudibus recedit. Notabimus in primis eandem esse Horatij, & Virgilij dispositionem. Virg. sic:

O fortunatos nimium sua si bona norint
Agricolas, Horatius:
Beatus ille qui procul negotijs
Vt prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis
Solutus omni fœnore.

Quod Virgilius initio illius digresionis posuit, nempe Agricolarum felicitatem, scilicet, O fortunatos nimium sua si bona norint Agricolas, idem etiam in Odes suæ principio Horatius collocauit. Virgilius, significaturus solutum esse omni cupiditate, omni ambitione, omni metu & periculo agricolam, sic fecerat:

Quibus ipsa procul discordibus armis
Fundit humo facilem uictum iustissima tellus, & *inferius,*
Illum non populi fasces, non purpura regum
Flexit, & infidos agitans discordia fratres.
Aut coniurato decedens Dacus ab Istro,
Non res Romanæ, perituraq; regna. Quibus adiunge:
Nec ferrea iura
Insanumq; forum, aut populi tabularia uidit.
Solicitant alij remis freta cæca, ruuntq;
In ferrum, penetrant aulas, & limina regum.

Quas sententias sic reddidit Hor.

Non excitatur classico miles truci.
Nec horret iratum mare,
Forumq; uitat, & superba ciuium

Potentiorum

Phylli, nectendis apium coronis,
Est ederę vis
Multa, qua crines religata fulges:
Ridet argento domus: ara castis
Vincta verbenis auet immolato
Spargier agno:
Cuncta festinat manus: huc, & illuc
Cursitant mistę pueris puellę:
Sordidum flammę trepidant rotantes
Vertice fumum.
Vt tamen noris, quibus aduoceris
Gaudijs: Idus tibi sunt agendę,
Qui dies mensem Veneris marinę
Findit Aprilem
Iure solennis mihi, sanctiorque
Pæne natali proprio, quod ex hac
Luce Mecenas meus affluentes
Ordinat annos.
Telephum, quem tu petis, occupauit
Non tuę sortis iuuenem puella
Diues, & lasciua: tenetque grata
Compede uinctum.
Terret ambustus Phaeton auaras
Spes: & exemplum graue prębet ales
Pegasus, terrenum equitem grauatus
Bellerophontem:
Semper ut te digna sequare: & vltra,
Quam licet, sperare nefas putando,
Disparem uites. age, iam meorum
Finis amorum,
(Non enim posthac alia calebo
Fęmina) condisce modos, amanda
Voce quos reddas, minuentr atrę
Carmine curę.

COMMENTARII.

Est mihi nouum, Natalem Mæcenatis celebraturus, more suo Phyllidem ad canendum inuitat. in omnibus enim lætitijs id ferunt, ut aliqua puella suis conuiuijs intersit. vt in Numidæ reditu, de quo alibi:

Nec

Nec multi Damalis meri
Bassum threicia uincat amystide, Et:
Dic & argutæ properet Neæræ.
Myrrheum nodo cohibere crinem, Et:
Quis deuium scortum eliciet domo
Lyden? eburna dic age cum lyra.

Maturet. tria autem repetit, quæ in varijs lætitijs adhibere solitus est, uinum, epulas, coronas, omisit unguenta.

Nonum superantis annum, uinum uetus semper celebrat. sic ibi:

Vile potabis modicis Sabinum.
Cantaris, græca quod ego ipse testa
Conditum leui, datus in theatro
Cum tibi plausus, Et:
Et cadum Marsi memorem duelli, Et:
O nata mecum consule Mallio. &c.

Spargier agno, refer te ad uarios modos sacrificandi, quos collegimus libro primo Ode xiij.

Cursitant, talis conuiuij lætitia est apud Virg. j. Aen.

Fit strepitus tectis, uocemq; per ampla uolutant.

Atria. Sed nemo requirat conuiuium honorificentius quam illud Catulli in nuptijs Tethidis, & Pelei. quod Horatius, Ridet argento domus, Catullus sic elegantissime, in quem locum Hor. proculdubio respexit:

Ipsius at sedes quocunque opulenta recessit
Regia, fulgenti splendent auro, atque argento.
Candet ebur solijs, collucent pocula mensis,
Tota domus gaudet regali splendida luxu.

Telephum, ne neget Phyllis uenire Telephi causa, ipsum in ipsius Phyllidis inuidiam adducit.

Terret, pulcherrimis exemplis monet, ne de Telephi amore cogitet. de Pegaso, & Phaetonte, quoniam notissimum est, supersedebo. in cæteris alij strenue laborarunt.

AD VIRGILIVM. Ode XII.

Describit veris aduentum, tum ipsum inuitat ad epulas, ea conditione, ut secum pro symbolo nardi onychem ferat.

IAM *veris comites, quæ mare temperant,*
Impellunt animæ lintea Thraciæ:
Iam nec prata rigent, nec fluuij strepunt
Hyberna niue turgidi.

Nidum ponit, Ityn flebiliter gemens,
Infelix auis, & Cecropiæ domus
Aeternum opprobrium, quod male barbaras
Regum est ulta libidines.
Dicunt in tenero gramine, pinguium
Custodes ouium, carmina fistula:
Delectantque deum, cui pecus, & nigri
Colles Arcadiæ placent.
Adduxere sitim tempora Virgili:
Sed, pressum Calibus ducere Liberum
Si gestis, iuuenum nobilium cliens,
Nardo uina merebere.
Nardi paruus onyx eliciet cadum,
Qui nunc Sulpicijs accubat horreis,
Spes donare nouas largus amaraque
Curarum eluere efficax.
Ad quæ si properas gaudia, cum tua
Velox merce ueni. non ego te meis
Immunem meditor tinguere poculis,
Plena diues ut in domo.
Verum pone moras, & studium lucri:
Nigrorumq; memor, dum licet, ignium
Misce stultitiam consilijs breuem.
Dulce est desipere in loco.

COMMENTARII.

Iam ueris, confer hanc Oden cum quarta libri primi, & cum septima libri quarti, nihil fere discrepare uidebis. lege quæ in utranque scripsimus. in hac obseruare licet uerba lectissima, quibus tanquam luminibus splendet. Primum Zephyros ueris comites eleganter dictos, quemadmodum Virgilius dixerat, & consanguineus læti sopor. sic Zephyros temperare mare, auras impellere lintea, quo uerbo in rebus maritimis Virgilius sæpe vsus est. vt Zephyris primum impellentibus vndas, & impellere remos, marmora remis impellere, adde quod Horatius auras impellere lintea dixit, Virgilius uero notos uela tendere, & intendere, ut, uela secundi intendunt Zephyri. Accubare dolium recte dictum pro eo quod vulgo dolia sedere dicunt, eluere curas, & quod elegantius est amara curarum. tinguere poculis excellens est modus, ponere moras, nigri ignes, pro funere, & rogo, nihil splendidius. quæ studiosi non dimittent. quid illa? prata rigere, fluuios strepere, & turgidos esse hiberna niue. aues ponere nidum, dicere carmina fistula.

la. deus cui colles Arcadiæ placent, bella Periphrasis. ducere liberum pressum calibus, quod alibi fecerat, cæcubum, & prœlo domitam caleno tu bibes uuam, sic ducere pocula, ducere nectaris succos, & ducere pocula liberi pro haurire, & bibere. hæc talia sunt, ut merito digna uideantur, quæ ad Virgilium mitterentur. neque enim ver ipsum tot coloribus, tot florum varietatibus puto efflorescere.

Nidum ponit, significat volucres verno tempore canere; sic Theocritus in ὀδοιπ. ταὶ δ᾽ ἐπὶ δένδρῳ ὄρνιχες λαληγεῦντι. quod etiam quidam elegans auctor in Epigram. in veris descriptione sumpsit.

πάντα δ᾽ ὀρνίθων γενεὴ λιγύφωνος ἀείδει
Ἀλκύονες περὶ κῦμα, χελιδόνες ἀμφὶ μέλαθρα,
κύκνος ἐπ᾽ ὄχθαισι ποταμοῦ, καὶ ὑπ᾽ ἄλσος ἀηδών.

Dicunt in tenero gramine, sic in eodem epigrammate leges, καὶ σύριγγι νομεὺς ἐν ὄρεσι λιγαίνων. & paullo post:

συρίζει δὲ νομεὺς καὶ τέρπεται εὔποκα μῆλα. Hinc videre licet quemadmodum optimi poetæ eandem uiam ingressi, rationemq; secuti, in omnibus consentiant, quasi uno ore fuerint locuti.

IN LYCEN. Ode XIII.

Insultans ei, quod iam anus fiat, & libidine flagrans contemnatur a iuuenibus.

AVDIVERE, Lyce, dij mea uota. dij
Audiuere, Lyce: fis anus: & tamen
Vis formosa uideri:
Ludisque, & bibis impudens:
Et cantu tremulo pota Cupidinem
Lentum solicitas. ille uirentis, &
Doctæ psallere Chiæ
Pulchris excubat in genis.
Importunus enim transuolat aridas
Quercus: & refugit, te quia luridi
Dentes, te quia rugæ
Turpant, & capitis niues.
Nec Coæ referunt iam tibi purpuræ,
Nec clari lapides tempora, quæ semel
Notis condita fastis
Inclusit uolucris dies.
Quo fugit Venus? heu: quo ue color decens?
Quo motus? quid habes illius, illius,

Quæ spirabat amores:
Quæ me surpuerat mihi,
Fœlix post Cynaram, notaque, & artium
Gratarum facies? sed Cynare breuis
Annos fata dederunt,
Seruatura diu parem
Cornicis uetulæ temporibus Licen.
Possent ut iuuenes uisere feruidi
Multo non sine risu,
Dilapsam in cineres facem.

COMMENTARII.

Audiuere, eiusdem sententiæ est Ode xv. libri tertij. & xxv. libri primi: quas conferre profuerit, ut discamus, quid in hanc sententiam scripturi, possimus excipere. irridet Lycen, quæ cum vetula esset, nihilominus adhuc in re venerea persisteret, & amoribus præter ætatem indulgeret. lege Oden quintamdecimam libri tertij. multa, quæ ad hunc locum pertinent, inuenies, quare minus in hoc carmine laborandum. non omittam tamen per allegoriam aridarum quercuum senectutem intelligi.

Nec Coæ, iuxta illud Ausonij Galli.

Dicebam tibi Galla, senescimus. effugit ætas,
Nec reuocare potes qui periere dies.

Sed uidendum cur poeta appellet Coam purpuram, cum nusquam legatur de purpura Coa. siquidem apud Coos purpuræ non tingebantur; sed tantum in magno erant precio uestes coloris candidissimi, quas bombycinas uocant. fortasse poeta significare uoluit uestes Coas tanti esse, ut cum purpura certarent. vel candidissimas eas ostendere uoluisse, cum purpureus color de candido etiam sit dictus, putandum est. quemadmodum scripsimus in Ode prima libri quarti. ad illum locum. Tempestiuius in domo Paulli purpureis ales oloribus. Adde quod Propertius bombycem etiam arabiã celebrat, elegia iij. libri secundi. Non siqua Arabio lucet bombyce puella. Plin. xj. Nat. Hist. Assyriam uocat. Hæc, quæ poeta numerat sunt ornamenta, quibus puellæ ornatæ se pulchriores putant. Ideo hæc tanto studio conquirunt. sic idem Prop.

Quid iuuat ornato procedere uitta capillo?
Et tenues Coa ueste mouere sinus?
Aut quid Orontheа crines perfundere myrrha,
Teq; peregrinis uendere muneribus?

AD AVGVSTVM. Ode XIIII.

A Senatu P. Q. Romani dignos sibi hono res reddi non posse.

Qvae cura patrum, quaeue Quiritium,
Plenis honorum muneribus tuas
Auguste, uirtutes in æuum
Per titulos, memoresque fastos
Aeternet? o, qua sol habitabiles
Illustrat oras maxime principum,
Quem legis expertes Latinæ
Vindelici didicere nuper,
Quid Marte posses. milite nam tuo
Drusus Genaunos, implacidum genus,
Breneosque ueloces, & arces
Alpibus impositas tremendis,
Deiecit acer, plus uice simplici
Maior Neronum. mox graue prælium
Commisit immanesque Rhætos
Auspicijs pepulit secundis,
Spectandus in certamine Martio,
Deuota morti pectora liberæ
Quantis fatigaret ruinis
Indomitas prope qualis undas
Exercet Auster Pleiadum choro
Scindente nubeis: impiger hostium
Vexare turmas: & frementem
Mittere equum medios per ignes.
Sic tauriformis uoluitur Aufidus:
Qui regna Dauni perfluit Appuli,
Cum sæuit: horrendamque cultis
Diluuiem meditatur agris:
Vt barbarorum Claudius agmina
Ferrata uasto diruit impetu:
Primosque, & extremos metendo
Strauit humum sine clade uictor,
Te copias, te consilium, & tuos
Præbente diuos. nam tibi, quo die
Portus Alexandrea supplex,

Ne parua Tyrrhenum per æquor
Vela darem. tua, Cæsar, ætas
Fruges & agris retulit uberes,
Et signa nostro restituit Ioui,
Direpta Parthorum superbis
Postibus: & uacuum duellis
Ianum Quirini clausit: & ordinem
Rectum euaganti frena licentiæ
Iniecit emouitque culpas:
Et ueteres reuocauit artes:
Per quas Latinum nomen, & Italæ
Creuere uires: famaque, & imperi
Porrecta maiestas ad ortum
Solis ab Hesperio cubili.
Custode rerum Cæsare non furor
Ciuilis, aut uis eximet otium:
Non ira, quę procudit enses,
Et miseras inimicat urbes.
Non, qui profundum Danubium bibunt,
Edicta rumpent Iulia: non Getę,
Non Seres, infidiue Persę,
Non Tanain prope flumen orti.
Nosque & profestis lucibus, & sacris
Inter iocosi munera Liberi
Cum prole, matronisque nostris,
Rite deos prius apprecati,
Virtute functos more patrum duces,
Lydis remisto carmine tibijs,
Troiamque, & Anchisen, & almę
Progeniem Veneris canemus.

COMMENTARII.

Phœbus, peculiaris est poetarum, atque etiam oratorum excusatio, ut modestiæ causa initio dicendi significent se aut minus esse idoneos ad aliquem illustrem uirum celebrandum, ut Tib. de Messala,

Te Messala canam, quanquam mea cognita uirtus
Terret, ut infirmę ualeant subsistere uires.

Et Hor. ad Aug. prima epistola libri secundi:

Si quantum cuperem tantum possem.

Aut fingunt se a Musis, aut ab Apolline prohiberi. vt Hor.

Quo Musa pergis? desine pervicax
Referre sermones deorum, Et:
Magna modis tenuare paruis. Sed alibi etiam de hoc diximus.

Tua Cæsar ætas, hæc sunt propria, ac uera illustrium uirorum ornamenta, & immortalitate digna. quæ in similium uirorum laudem, tamquam loci, sunt animaduertendi, ac notandi. Laudare a rerum omnium copia, a rebus præclare gestis, uel ab otio, & populorum tranquillitate, quorum omnium sint auctores. ab optimis institutis, ab excellentium artium studijs, a liberalitate, & ab omnibus alijs uirtutibus, & bonis. Quamobrem, & ueteres, & posteriores ad illud sæpe se retulerunt, ut ea omnia bona, quibus mortales aureo sæculo fruebantur, florere aliquo dominante prædicarent. Hæc sola amplissimam copiam præbere possunt principes uiros laudantibus.

Ianum Quirini, de ijs Hor. in epistola de qua paullo superius, ad Augustum scribens de ijs factis sic narrat, & quidem heroice.

Non sermones ego mallem
Reptantes per humum, quam res componere gestas,
Terrarumq; situs, & flumina dicere, & arces
Montibus impositas, & barbara regna, tuisq;
Auspicijs totum confecta duella per orbem,
Claustraq; custodem pacis cohibentia Ianum,
Et formidatam Parthis te Principe Romam.

Ego uero hæc (quantum ad splendorem uerborum attinet,) notanda putarem. increpare lyra, dare uela per æquor, quod sæpissime vsurpatum a Virgilio uidemus. restituere, & diripere signa, claudere Ianum: pro pacis auctorem esse. inijcere frena licentiæ euagāti, in quibus duobus sunt pulcherrimæ metaphoræ, reuocare artes ueteres, Maiestatem Imperij porrectam ad ortum solis ab hesperio cubili. quod magnifice dictum est.

Non qui profundum, lege quæ notauimus Ode ultima libri secundi, ibi:
Iam Dædaleo Ocyor Icaro.

Scaliger putat esse uitium in uerbo remisto. nam inquit. ostendit carmen remistum, quod antea non fuerit mistum. Cum passim uideamus in optimis poetis, & oratoribus simplicem uocem pro composita, & compositam pro simplici usurpari. Ita usus est Horatius hoc ipso uerbo in poetica si ueris falsa remiscet, exempla non desunt.

Q. HORA-

Q. HORATII FLACCI

EPODON LIBER.

Ad Mæcenatem in bellum Actiacum proficiscentem.

IBIS *Liburnis inter alta nauium,*
Amice propugnacula,
Paratus omne Cæsaris periculum
Subire, Mæcenas, tuo:
Quid nos? quibus te uita sit superstite
Iucunda: si contra, grauis?
Vtrumne iussi persequemur otium
Non dulce, ni tecum simul?
An hunc laborem mente laturi, decet
Qua ferre non molles uiros?
Feremus. & te uel per Alpium iuga,
Inhospitalem & Caucasum,
Vel occidentis usque ad ultimum sinum,
Forti sequemur pectore.
Roges, tuum labore quid iuuem meo,
Imbellis, ac firmus parum.
Comes minore sum futurus in metu:
Qui maior absentes habet.
Vt assidens implumibus pullis auis
Serpentium allapsus timet s
Magis relictis: non, ut adsit, auxili
Latura plus præsentibus.
Libenter hoc & omne militabitur
Bellum in tuæ spem gratiæ:
Non ut iuuencis illigata pluribus
Aratra nitantur meis:
Pecusue Calabris ante sidus feruidum
Lucana mutet pascua:
Nec, ut superni uilla candens Tusculi
Circæa tangat mœnia.

Satis, ſuperque me benignitas tua
Ditauit. ha id parauero,
Quod aut, auarus ut Chremes, terra premam:
Diſcinctus aut perdam ut nepos.

COMMENTARII.

Ibis Liburnis, carmen, quod in peregre proficiſcentes ſcribimus, nonnulli προπεμπτικὸν appellari dixerunt. de nauibus Liburnis ade Bayffium. ſignificat ſe nolle a Mæcenate diuelli. Idem oſtendebat in Ode decimaſeptima libri ſecundi, ſic:

Me nec chimeræ ſpiritus igneæ
Diuellet vnquam.

Et te per alpium iuga, eandem ſententiam tractat Ode iiij. lib. iij.

Vtcunq; mecum vos eritis, libens
Inſanientem nauita Boſphorum
Tentabo, & arentes arenas
Littoris Aſſyrij uiator.

Quid nos, Scaligerum offendit uerſiculus, Quid nos, quibus te uita ſit ſuperſtite iucunda. putat ſic longe concinnius, Quid nos? quibus iucunda te ſuperſtite ſit uita. Ego doctorum iudicium, atq; aures requiro. ſed leue admodum leue eſt. Idem notat male uerſatum poetam in comparatione, & contrariam eſſe putat. verum Porphyrionem lege, Lambinus quidem tacite ſua interpretatione reprehendit.

Non ut iuuencis, non ut diues fiam. Id valde poeticum eſt. multis enim ſpeciebus earum rerum, quæ in diuitijs numerantur, aſſumptis, idem agit, quod uel uno, aut duobus ad ſummum uerbis exprimi poterat. idem fecit Ode xxxj. lib. j. lege illum locum. Non opimæ Sardiniæ ſegetes feraces.

Aratra nitantur meis, quidam putant legendum, mea.

VITAE RVSTICAE LAVDES. Ode II.

BEATVS *ille, qui procul negocijs,*
Vt priſca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet ſuis,
Solutus omni fœnore:
Neque excitatur claſſico miles truci:
Nec horret iratum mare:
Forumque uitat, & ſuperba ciuium
Potentiorum limina.
Ergo aut adulta uitium propagine

Altas

Altas maritata populos:
Aut in reducta ualle mugientium
Prospectat errantes greges:
Inutilesq; falce ramos amputans,
Fœliciores inserit:
Aut pressa puris mella condit amphoris:
Aut tondet infermas oues:
Vel cum decorum mitibus pomis caput
Autumnus aruis extulit,
Vt gaudet insitiua decerpens pyra,
Certantem & uuam purpuræ:
Quo muneretur te Priape, te pater
Siluane tutor finium.
Libet iacere modo sub antiqua ilice,
Modo in tenaci gramine.
Labuntur altis interim ripis aquæ:
Queruntur in siluis aues:
Fontesque lymphis obstrepunt manantibus,
Somnos quod inuitet leues:
Aut cum tonantis annus hibernus Iouis
Imbres, niuesque comparat:
Aut trudit acres hinc & hinc multa cane
Apros in obstantes plagas:
Aut amite leui rara tendit retia,
Turdis edacibus dolos:
Pauidumque leporem, & aduenam laqueo gruem
Iucunda captat præmia.
Quis non malarum, quas amor curas habet,
Hæc inter obliuiscitur?
Quod si pudica mulier in partem iuuet
Domum, atque dulces liberos:
Sabina qualis, aut perusta solibus
Pernicis uxor Appuli:
Sacrum uetustis extruat lignis focum
Lassi sub aduentum uiri:
Claudensque textis cratibus lætum pecus,
Distenta siccet ubera:
Et horna dulci uina promens dolio,
Dapes inemptas apparet:
Non me Lucrina iuuerint conchylia,
Magisue rhombus, aut sacri:

Si quos Eois intonata fluctibus
Hyems ad hoc uertat mare:
Non Afra auis descendat in uentrem meum,
Non attagen Ionicus
Iucundior, quam lecta de pinguissimis
Oliua ramis arborum:
Aut herba lapathi prata amantis, & graui
Maluæ salubres corpori:
Vel agna festis cæsa Terminalibus:
Vel hædus ereptus lupo.
Has inter epulas, ut iuuat pastas oues
Videre properantes domum?
Videre fessos uomerem inuersum boues
Collo trahentes languido:
Positosque uernas, ditis examen domus,
Circum renidentes Lareis?
Hæc ubi locutus fænerator Alphius,
Iam iam futurus rusticus,
Omnem relegit idibus pecuniam:
Quærit Kalendis ponere.

COMMENTARII.

Beatus ille, meum consilium semper eo spectauit, in toto hoc opere, ut poetæ artificia, quantum mea tenuitas ferret, aperirem, ut aditus esset nostris adolescentibus ad imitationem. quod deinceps persequar, ostendã quibus rationibus, quibusque auxilijs adiutus poeta tam feliciter totum Virgilij locum de uitæ rusticæ laudibus sumptum sic fuerit imitatus, ut suum ipsius non ab alio deductum uideatur. Cõportabo huc, quæ in primo libro de poetica imitatione superioribus annis conscripsimus, ut ea studiosis pro exemplo esse possint. Has autem vel præceptiones, uel obseruationes non tam ad poetas quam ad oratores imitandos pertinere unusquisque facile iudicabit. ibi ita scriptum est. Cum igitur imitamur, aut materiam uniuersam, aut minutiores sententias, aut uerba contemplamur. in quibus cum egregie fuerimus uersati, cum nihil fere præterea sit reliquum in imitando, quod spectemus, præclare hoc munere perfuncti putabimur, sed ut id commode assequi possimus, ratio, ac uia quærenda est. Quamobrem pro uiribus dabimus operam, ut ea, quæ sequenda in hac re arbitramur, explicemus. Cum igitur uniuersam materiam exprimendam suscipimus, in aliud simulacrum, atque imaginem ea transformanda est. hoc autem rebus uarie disponendis, dilatandis, contrahendis, mutandis, præterea contrarijs, simili-

bus,

bus, atque huiusmodi consequemur. quare tanquam fundamenta sumemus dispositionem, dilatationem, contractionem, mutationem, contraria, similia. Dispositionem dicimus aptam rerum & sententiarum distributionem ab ea, unde sumimus, alienam. Dilatationem eius quod anguste, & contracte dictum ab alio inuenerimus explicationem. Contractionem, qua id quod late fuerit diffusum in angustum redigimus. Mutationem eius rei, quæ sententiam quodam modo inuertit, aliamq; faciem affert, transformationem appellamus. Contrarium modum dicimus rei dissimili ratione uariandæ. Simile uiam sententiæ idem ualentibus uerbis exprimendæ. Vt uero hoc planius ostendam, Horatij exemplo, quo nihil aptius excogitari potuisset, patefaciam. indicabo quod consilium in aliena sententia secutus, quamq; artificiose, & callide totum a Virgilio argumentum ab initio ad extremum in illius uestigijs insistens, istorum locorum obseruatione arripuerit: Ode autem est secunda Epod. in qua ne minima quidem in re a Virgilij loco de uitæ rusticæ laudibus recedit. Notabimus in primis eandem esse Horatij, & Virgilij dispositionem. Virg. sic:

O fortunatos nimium sua si bona norint
Agricolas, Horatius:
Beatus ille qui procul negotijs
Vt prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis
Solutus omni fœnore:

Quod Virgilius initio illius digreßionis posuit, nempe Agricolarum felicitatem, scilicet, O fortunatos nimium sua si bona norint Agricolas, idem etiam in Odes suæ principio Horatius collocauit. Virgilius, significaturus solutum esse omni cupiditate, omni ambitione, omni metu & periculo agricolam, sic fecerat:

Quibus ipsa procul discordibus armis
Fundit humo facilem uictum iustissima tellus, & inferius,
Illum non populi fasces, non purpura regum
Flexit, & infidos agitans discordia fratres.
Aut coniurato decedens Dacus ab Istro,
Non res Romanæ, perituraq; regna. Quibus adiunge:
Nec ferrea iura
Insanumq; forum, aut populi tabularia uidit.
Solicitant alij remis freta cæca, ruuntq;
In ferrum, penetrant aulas, & limina regum.

Quas sententias sic reddidit Hor.

Non excitatur classico miles truci.
Nec horret iratum mare,
Forumq; uitat, & superba ciuium

Potentiorum

Potentiorum limina.

Quę imitatio ex aliorum similium assumptione mirifica est. Idem sequitur.

Ergo aut adulta uitium propagine
Altas maritat populos,
Aut in reducta ualle mugientium
Prospectat errantes greges,
Inutilesq; falce ramos amputans,
Feliciores inserit.
Aut pressa puris mella condit amphoris,
Aut tondet infirmas oues.

Locus est amplior quam ille locus Virgilianus, & felicior eo, unde sumptus est. Scilicet, Agricola incuruo terram molitus aratro, ubi unius tantum artificij est mentio, Horatius plura assumpsit, dilatatione usus per enumerationem, factumq; est, ut ex uno tanquam lumine multa accenderit. Is postea sic:

Vel cum decorum mitibus pomis caput
Autumnus aruis extulit,
Vt gaudet insitiua decerpens pyra,
Certantem & uuam purpura. Cum ita Virg.
Et varios ponit fœtus Autumnus, & alte
Mitis in apricis coquitur vindemia saxis.

Quod Virg. genere, contraxerat, hic ad species rem deducens, fusius explicauit. de quo genere imitandi alias. pergit poeta:

Quo muneretur te priape, te pater
Syluane tutor finium. Quod prius ita Virgilius dixerat:
Fortunatus & ille deos, qui nouit agrestes
Panaq;, Siluanumq; senem, nymphasq; sorores.

Hoc uero eiusdem poetæ, quam non modo apte conuerterit, sed etiam illustrarit uidete. Virg.

Speluncæ, uiuiq; lacus, & frigida tempe,
Mugitusq; boum, mollesq; sub arbore somni. sic Hor.
Libet iacere modo sub antiqua ilice
Modo in tenaci gramine.
Labuntur altis interim ripis aquæ,
Queruntur in siluis aues.
Fontesq; lymphis obstrepunt manantibus.
Somnos quod inuitet leues.

Quid uero de illa altera sententia statuentis. Virg.

Venit hiems, teritur Sicyonia bacca trapetis, Hor. sic sumpsit:
Aut cum tonantis annus hybernus Iouis
Imbres, niuesq; comparat.

Agite,

Agite, conferte hunc Horatij locum de ijs, quæ rustici hieme exercent, cum sequenti Virgilij loco:

Sed tamen & quernas glandes tum stringere tempus,
Et lauri baccas, oleamq;, cruentaq; myrta,
Tum gruibus pedicas, & retia ponere ceruis,
Auritosq; sequi lepores, tum figere dammas,
Stupea torquentem balearis verbera fundæ,
Cum nix alta iacet, glaciem cum flumina trudunt. Hor.
Aut trudit acres hinc, & hinc multa cane
Apros in obstantes plagas.
Aut amite leui rara tendit retia
Turdis edacibus dolos.
Pauidumq; leporem, & aduenam laqueo gruem,
Iucunda captat præmia.

Ex similibus est imitatio. At attendite quam feliciter dilatauit hanc breuem Virgilij sententiam varijs rebus assumendis.

Interea pendent dulces circum ubera nati,
Casta pudicitiam seruat domus.
Quid si pudica mulier in partem iuuet
Domum, atque dulces liberos,
Sabina qualis, aut adusta solibus
Pernicis uxor Appuli,
Sacrum uetustis extruat lignis focum,
Lassi sub aduentum uiri?
Claudensq; textis cratibus lætum pecus
Distenta siccet ubera.
Et horna dulci vina promens dolio,
Dapes inemptas apparet.

Adde quod ne secundum quidem uersiculum carminis, scilicet ut prisca gens mortalium, Virgilij luce carere uoluit. Quod in Virgilio fusius est. nam sic ille:

Hanc olim ueteres uitam coluere Sabini
Hunc Remus, & frater. mox addit
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.

Tandem quod Virgilius fecerat, dapibus mēsas oneraret inemptis. Hor. ita sumpsit inquiens, dapes inemptas apparet. Hoc exemplo nihil dilucidius. nec quenquam adeo rudem, atque ineptum puto, qui ueterum hanc fuisse uiam in imitando non fateatur.

Noluit præterire Scaliger, quin maculam inspergeret omnium carminū elegantissimo, ait ille in hoc uersu. Vel agna festis cæsa terminalibus. concinnius, atque elegantius futurum fuisse, si sic factum fuisset. Et cæsa festis agna

agna terminalibus. Ego quidem fateor non agnoscere, quæ maior sit in ista emendatione concinnitas, aut elegantia. Contra existimo, omnem gratiam ademptam duabus particulis, ex quarum geminatione iucunditas exiltit, interruptis. quis nescit istas particulas ita sibi inuicem respondere, ut mirificam gratiam habeant? ut illa apud Virgilium:

Hic uel ad Elei metas, & maxima campi
Sudabit spacia, & spumas aget ore cruentas
Belgica vel molli melius feret esseda collo. vel
Illa uel intactæ segetis per summa uolaret
Gramina, nec cursu teneras læsisset aristas.
Vel mare per medium fluctum suspensa tumenti
Ferret iter.

deme alteram ex particulis, & repone, &, postea de concinnitate iudicato. præterea quis illud probet, initio potius carminis positam esse uocem. Cæsa? siquidem suauior est in illo initio sonus, a, literæ, quam, e, Addit in ultimis duobus uersiculis disiunctiuem esse odiosam, ubi uidetur desiderare particulam coniunctiuam, at scimus illam sæpissime subintelligi. Obijcit præterea ambitum orationis nimis longum ab eo uersu; Quod si pudica, usque ad illum, Vel hædus ereptus lupo: nec hoc quidem doctissimum uirum, adeo in poetis uersatum, debuit offendere. Etenim cum multa ut sæpe accidit, uno ambitu, & circonscriptione comprehendenda sunt, eadem circunductione ea complecti non modo uitiosum, uerum maximam etiam habet laudem. quam uirtutem Græci συναθροισμὸν, Latini frequentationem uocarunt. quod cum contingit, per interualla, & membra periodum absoluimus. id autē a poeta factum mediocriter eruditus intelliget. Hoc sæpe a Virgilio factum scimus in laudibus Italiæ. studiosi legant locum. Hanc narrationem totam hoc compositionis genere compositam; fatebuntur. quare cum bona doctissimi hominis uenia iniuste damnatur poeta.

AD MAECENATEM. Ode III.

Allium detestatur.

PARENTIS olim si quis impia manu
Senile guttur fregerit:
Edit cicutis allium nocentius.
O dura messorum ilia,
Quid hoc ueneni sæuit in præcordijs?
Num uiperinus his cruor
Incoctus herbis me fefellit: an malas
Canidia tractauit dapes?

Vt

Vt Argonautas præter omnes candidum
Medea mirata est ducem:
Ignota tauris illigaturum iuga,
Perunxit hoc Iasonem:
Hoc delibutis ulta donis pellicem,
Serpente fugit alite.
Nec tantus unquam siderum insedit uapor
Siticulosæ Apulliæ:
Nec munus humeris efficacis Herculis
Inarsit æstuosius.
At, si quid unquam tale concupiueris
Iocose Mæcenas, precor,
Manum puella suauio opponat tuo:
Extrema & in sponda cubet.

COMMENTARII.

Parentis olim, allium detestatur. quemadmodum in laude, sic in vituperatione amplificationibus uti necesse est. aliter res nec augeri, nec, vt conuenit, imminui potest. hi uero optime omnium amplificationibus uti possunt, qui bene & laudare, & uituperare didicerunt. profecto nihil tam est accommodatum ad extollendam, aut extenuandam rem, quam utrunq; horum facere posse. Simplex sententia est. Nihil esse allio perniciosius, aut nocentius. id summo artificio ostendit, sententiam breuissimam extendēs. Hoc assecutus est, se ad ea referens, quibus in rebus humanis nihil fœdius potest reperiri. quid enim ueneno, aut sanguine uiperæ, quid his epulis pestilentius, quas Canidia tam furialis uenefica tractasset? quid illa unctione, qua infecta palla, quā Medea ad Glaucam Iasonis uxorem misit, & ipsa, & domus conflagrauit, crudelius? aut Nessi sanguine tetrius? nihilominus allium longe detestabilius. idcirco non ipsius Nessi sanguine delibutam, sed allio ipso illitam uestem a Deianyra missam, cuius contactu Hercules in furorem actus perierit, contendit poeta. his nihil aptius, nihil ingeniosius. Hunc locum attende quam apte imitatus fuerit Molsa nostræ ætatis poeta elegantissimus. de morbi Gallici, quo laborabat, sæuitia:

Seuit atrox morbi rabies, tenerisq; medullis
Hæret, & exhaustis ossibus ossa uorat.
Haud alia Alciden confectum ætate superbum
Oeteo memorant occubuisse iugo.

Cuius loci sententiam, si cui imitari contigerit, uelitq; ea uitare, quæ antea Horatius suo Marte inuenit, fortasse, ad Hydræ sanguinem, ad Eumenidū, Cerberiq; cruentas, ac rabidas spumas conuertere se poterit, & ad talia, quę

Cum bis ter ulnarum toga,
Vt ora uertat huc, & huc euntium
Liberrima indignatio?
Sectus flagellis hic triumuiralibus
Praeconis ad fastidium,
Arat Falerni mille fundi iugera:
Et Appiam mannis terit:
Sedilibusque magnus in primis eques
Othone contempto sedet.
Quid attinet tot ora nauium graui
Rostrata duci pondere
Contra latrones, atque seruilem manum,
Hoc hoc tribuno militum?

COMMENTARII.

Lupis, carmen habet nemesin.i. indignationem. quod plenum acerbitatis,& fellis est.quare uel sub Asperitatem, uel sub Vehementiam, quæ parũ inter se discrepant,redigendum. utraque figura acerbe irascitur,& mordet, nemini parcens. quid potuit mordacius dici quam illud, ibericis peruste funibus latus,& crura dura compede,& sectus flagellis triumuiralibus. ab hac acerbitate non discedit usque ad finem. uerba nõ aliena ab hac figura sunt, ibericis,peruste,crura,dura,ora,uertat, & quædam alia interposita asperitatem imitantia. de quo genere in superioribus libris.

Ibericis peruste, serui exquisita, & ptopria descriptio. quam repetit inferius, sectus flagellis hic triumuiralibus.

Licet superbus, a causa.

Vides ne, causa indignationis,quemadmodum illud. Arat fallerni mille fundi iugera. &c. indignatur quod homo nequissimus ad tantum fortunarum, atque honoris peruenerit, quæ res homines ad indignationem mouet. quod Aristoteles secundo de arte dicendi animaduertit. ibi. ἐστὶ τὸ νεμεσᾶν λυπεῖσθαι ἐπὶ τῷ φαινομένῳ ἀναξίως εὐπραγεῖν. idest, indignatio est dolor ex secundis rebus eius, qui illis indignus est. fit enim ut duabus ex caussis, uel lætemur, uel tristitia afficiamur ex ijs, quæ hominibus uel bona, uel mala eueniunt, dignitate scilicet,atque indignitate. Nam siquid boni digno contigerit, lætamur, moleste ferimus si perniciosum. contra, siquid boni indigno acciderit, dolemus. siquid mali,quoniam ita meritus est,gaudemus. atque hæc duo præcipue sunt, quibus mouemur. Et sunt tanquam affectuum omnium fontes, ex quibus orrum ducunt. qui loci frequentissimi sunt apud Ciceronem, & alios Oratores uel ad inuidiam faciendam uel ad misericordiam mouendam.

Arat falerni, res habet indignitatem. significat hominem abiectissimũ ditissimum esse, & intoleranter se iactãtem modo quidem elegantissimo, quod mirifice facit ad inuidiam, atque odium auctore etiam Cicerone secundo de Orat. vbi sic scribit. Inuident autem homines maxime paribus, aut inferioribus, cum se relictos sentiunt, illos autem delent euolasse. sed etiam superioribus inuidetur, sæpe uehementer, & eo magis, si intolerantius se iactant, & æquabilitatem communis iuris, præstantia dignitatis, aut fortunæ suæ transeunt. Sed Scaligero respondendũ super primo versiculo, sic obijcienti poetæ. si sors, & fors unum est, quare sortito hic naturam dicit? fortuitum autem non naturam, sed aut casum, aut casus similem euentũ, Siquidem Aristoteles a casu fortunam distinguit. Hoc problema soluit Lãbinus, quasi huic calumniæ respondere uoluisset. Ita enim scribit in hunc locum. Sortito non est fortuito. Sed hoc sentit Horatius, cum primum nata sunt animalia, suum cuiq; animali a natura proprium quendam, &, ut ita dicam, peculiarem affectum, uerbi gratia, alicuius rei persecutionem, aut fugam, amorem uel odium esse attributum. Quanta igitur inter lupos & agnos discordia est natura, tantæ mihi tecum inimicitiæ intercedunt. In quam Lambini sententiam sic Hor. xvj. lib. j. Ode sic. Fertur Prometheus addere principi limo coactus materiam undiq; desectam, & insani Leonis uim stomacho apposuisse nostro. In eadem Epodo idem Scaliger super illo uersiculo, Othone contempto sedet, sic dicit. Quomodo contemnebat Othonis legem, quæ permittebat habenti quadraginta millia sedere in quattuordecim? Cui ita uideri potest Lambinus ipse satisfecisse, inquiens. quattuordecim quidem ordines ad spectandos ludos tributos equitibus, sed duos primos exceptos esse tribunis. idcirco Menam dicit lege Roscia contempta in primis sedibus sedere, qui esset indignus tribunatu. Neque prætereundum illud eiusdem Scaligeri super illis uersibus. Quid attinet &c. dicentis nescire an ora dicamus nauium recte, quia & rostrum. nam sane rostrum triremibus est, os non est. dissimulat translationem, quæ, & si duriuscula est, & eius generis, quas passim uidemus in poetis, nihil tamen mirum, nec propterea repudiandæ. quare hoc uitium omnibus poetis obijciendum. non enim semper ex propinquo, & secundum analogiam transferunt, alioqui inprimis Pindarus esset irridendus.

IN CANIDIAM VENEFICAM. Ode V.

AT *o, deorum quicquid in cælo regis*
Terras, & humanum genus:
Quid iste fert tumultus? aut quid omnium
Vultus in unum me truces?
Per liberos te, si uocata partubus

Lucina

Lucina ueris affuit:
Per hoc inane purpuræ decus, precor:
Per improbaturum hæc Iouem,
Quid, ut nouerca me intueris? aut uti
Petita ferro bellua?
Vt hæc trementi questus ore constitit
Insignibus raptis puer,
Impube corpus, quale posset impia
Mollire Thracum pectora:
Canidia breuibus implicata uiperis
Crines, & incomptum caput,
Iubet sepulcris caprificos erutas,
Iubet cupressus funebres,
Et uncta turpis oua ranæ sanguine,
Plumamque nocturnæ strigis,
Herbasque quas Iolchos, atque Iberia
Mittit uenenorum ferax:
Et ossa ab ore rapta ieiunæ canis,
Flammis aduri Colchicis.
At expedita Sagana per totam domum
Spargens Auernales aquas,
Horret capillis, ut marinus, asperis,
Echinus, aut currens aper.
Abacta nulla Veia conscientia,
Ligonibus duris humum
Exhauriebat ingemens laboribus,
Quo posset infossus puer
Longo die bis, terue mutatæ dapis
Inemori spectaculo:
Cum promineret ore, quantum extant aqua
Suspensa mento corpora:
Exerta uti medulla, & aridum iecur,
Amoris esset poculum:
Interminato cum semel fixæ cibo
Intabuissent pupulæ.
Non defuisse masculæ libidinis
Ariminensem Foliam,
Et otiosa credidit Neapolis,
Et omne uicinum opidum:
Quæ sidera excantata uoce Thessala,
Lunamque cælo deripit.

Hic

Hic irresectum saeua dente liuido
Canidia rodens pollicem,
Quid dixit? aut quid tacuit o rebus meis
Non infidelis arbitrae
Nox, & Diana, quae silentium regis,
Arcana cum fiunt sacra:
Nunc nunc adeste: nunc in hostiles domos
Iram, atque numen uertite.
Formidolosae dum latent siluis ferae
Dulci sopore languidae:
Senem, quod omnes rideant, adulterum
Latrent Suburrane canes,
Nardo perunctum quale nec perfectius
Meae laborarunt manus.
Quid accidit? cur dira barbarae minus
Venena Medeae ualent,
Quibus superbam fugit ulta pellicem
Magni Creontis filiam,
Cum palla, tabo munus imbutum, noua
Incendio nuptam abstulit?
Atqui nec herba, nec latens in asperis
Radix fefellit me locis.
Indormit vnctis omnium cubilibus
Obliuione pellicum.
Ah, ah, solutus ambulat veneficae
Scientioris carmine.
Non usitatis, Vare potionibus,
(O multa fleturum caput,)
Ad me recurres: nec uocata mens tua
Marsis redibit uocibus.
Maius parabo: maius infundam tibi
Fastidienti poculum:
Priusque caelum sidet inferius mari
Tellure porrecta super:
Quam non amore sic meo flagres, uti
Bitumen atris ignibus.
Sub haec puer, iam non, ut ante, mollibus
Lenire uerbis impias:
Sed dubius unde rumperet silentium,
Misit Thyesteas preces,
Venena, magnum fas, nefasq; non ualent

Conuertere

Conuertere humanam uicem.
Diris agam uos : dira detestatio
Nulla expiatur uictima.
Quin , ubi perire iussus expirauero :
Nocturnus occurram furor :
Petamq; uultus umbra curuis unguibus :
Quæ uis deorum est Manium :
Et inquietis assidens præcordijs ,
Pauore somnos a feram .
Vos turba uicatim hinc , & hinc saxis peten
Contundet obscenas anus .
Post insepulta membra different lupi ,
Et Esquilinæ alites .
Neque hoc parentes , heu , mihi superstites ,
Effugerit spectaculum .

COMMENTARII.

Sequuntur Epodi in Canidiam, in Maledicum, in Anum libidinosam , in Meuium , item in Canidiam . quæ quoniam in idem genus cadunt Atrocitatis, & maledicentiæ, eas prætermittere uisum est . qui enim unius artificiũ tenuerit reliquarum etiam uiam rationemq; cognoscet . Idcirco in singulis non morabimur, minima quæq; consectantes , Lambinus atque alij in reliquis egregie satisfecerunt . Neque nonnullis respondebo , quæ Scaliger notauit non satis digna , pro quibus tantopere sit elaborandum . mihi sane ita leuia uisa sunt, ut, si ea studiosius persequi uelim , fastidium, nauseamq; mouere, & leuissimis quibusq; persequendis leuior ipse uideri possim . Ipsum Scaligerum imitabor, qui fastidio affectus in tot poetæ uitijs colligendis tãdem in eum locum, non saxa nudis surdiora nautis &c. inquit . Sed sit satis, ne omnia excutiam, quorum sane tædet . ad quod tædium uitandum, idem mihi in ipsius calumnijs reprehendendis, licere uolui . Accedit quod, quasi bellum indixerim uiro doctissimo , quem , cum ab ijs discesserim , plurimi facio, Si in reliquias obstinatius irruissem, obtrectatores fortasse pertinaciæ (quod mihi obijci nolim) tribuere potuissent . Illas igitur Epodos & quæ in ipsas notata sunt , cum non tanti sint, consultò præteribo ; tantum dicam earum sententias esse acerbissimas, uerba amarissima, compositionem sæpe data opera insuauem & asperam, Figura ita postulante, figuras maxime congruentes generi. adde χρώματα , quibus nihil aptius his formis, in quibus sunt Apostrophæ, interrogationes, indignationes, personis tributi sermones, minæ, ut apparet toto illo carmine in Maledicum, detestationes, ut in Meuiũ , quibus totum illud carmen plenum est . in his argumentis quidem nihil di-

ſcrepare docti intelligent, ab ijs, quæ Hermogenes præcepit. ſed ego opus non eſſe omnia huc afferre putaui, quæ ab illo auctore, atque ab alijs ſunt animaduerſa ſubtiliter. Contentus ea tantum attigiſſe, quibus deguſtatis, ſi formas Eloquentiæ mediocriter tenuerint ſtudioſi, cætera per ſe eruere, & cognoſcere poterunt.

IN MALEDICVM. Ode VI.

QVID immerentes hoſpites uexas canis,
Ignauus aduerſum lupos?
Quin huc inanes, ſi potes, uertis minas:
Et me remorſurum petis?
Nam qualis aut Moloſſus, aut fuluus Lacon,
Amica uis paſtoribus,
Agam per altas aure ſublata niues,
Quæcunque præcedet fera.
Tu, cum timenda uoce compleſti nemus:
Proiectum odoraris cibum.
Caue, caue. nanque in malos aſperrimus
Parata tollo cornua:
Qualis Lycambæ ſpretus infido gener,
Aut acer hoſtis Bupalo.
An ſi quis atro dente me petiuerit,
Inultus vt flebo puer?

In Bellum ciuile geſtum contra Brutum & Caſsium. Ode VII.

QVO, quo ſceleſti ruitis? aut cur dexteris
Aptantur enſes conditi?
Parumne campis, atque Neptuno ſuper
Fuſum eſt Latini ſanguinis?
Non ut ſuperbas inuidæ Carthaginis
Romanus arces ureret:
Intactus aut Britannus ut deſcenderet
Sacra catenatus uia:
Sed ut, ſecundum uota Parthorum, ſua
Vrbs hæc periret dextera.
Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus
Vnquam, niſi in diſpar feris.
Furorne cæcus, an rapit uis acrior?
An culpa? reſponſum date.

Tacent:

Tacent : & ora pallor albus inficit :
Mentesque perculsæ stupent.
Sic est . acerba fata Romanos agunt,
Scelusque fraternæ necis,
Vt immerentis fluxit in terram Remi
Sacer nepotibus cruor.

COMMENTARII.

Quo, quo, acerba increpatio. Incipit ab interrogatione, quæ mirifice affectus indicat. Idcirco huic formæ increpandi hanc peculiarem figuram tribuunt. Hæc autem increpatio nullam habet lenitatem. breuioribus mēbris composita est. Cuiusmodi sunt, Quo, quò scelesti ruitis, cur dexteris aptantur enses conditi, &, furor ne cæcus, an rapit uis acrior, an culpa, responsum date, tacent &c. sic totum compositum est carmen. vt maiorem rei uim adderet, a duplicatione exorsus est.

Ruitis, furiosorum est, & temere præcipitantium, ut illa apud Virg.
Perq; hostes, & tela ruit.
Cum paullo superius dixisset, hunc oro sine me furere ante furorem. & de Aenea.
Quo ruit? &, quo ruitis? quoue ista repens discordia surgit?
Aptantur enses, sic Virg.
Circundat loricam humeris, simul aptat habendo
Ensemq;, clypeumq;. Idem alias sic dixerat:
Lateriq; argiuum accommodat ensem, Et:
Atque ensem collo suspendit eburnum. Et:
Lateriq; accinxerat ensem.
Neque hic lupis mos, exemplum a contrario.
Acerba fata, hinc colligite maiorum scelera sæpenumero in posteros redundare. sicut etiam dicebat Ode sexta lib. iij.
Delicta maiorum immeritus lues Romane.

IN ANVM LIBIDINOSAM. Ode VIII.

ROGARE *longo putidam te sæculo,*
Vires quid eneruet meas?
Cum sit tibi dens ater : & rugis uetus
Frontem senectus exaret :
Hietque turpis inter aridas nates
Podex, uelut crudæ bouis?
Sed incitat me pectus, & mammæ putres,

Equina quales ubera:
Venterq; mollis, & femur tumentibus
Exile suris additum.
Esto beata: funus, atque imagines
Ducant triumphales tuum:
Nec sit marita, quæ rotundioribus
Onusta bacis ambulet.
Quid? quod libelli Stoici inter sericos
Iacere puluillos amant?
Illiterati num minus nerui rigent?
Minus ue languet fascinum?
Quod ut superbo prouoces ab inguine,
Ore allaborandum est tibi?

AD MAECENATEM. Ode IX.

QVANDO *repostum Cæcubum ad festas dapes,*
Victore lætus Cæsare,
Tecum sub alta (sic Ioui gratum) domo
Beate Mæcenas, bibam,
Sonante mistum tibijs carmen lyra,
Hac Dorium, illis Barbarum?
Vt nuper, actus cum freto Neptunius
Dux fugit ustis nauibus,
Minatus urbi uincla quæ detraxerat
Seruis amicus perfidis:
Romanus (eheu posteri negabitis,)
Emancipatus feminæ,
Fert uallum, & arma miles: & spadonibus
Seruire rugosis potest:
Interque signa turpe militaria
Sol aspicit conopeum.
Ad hunc frementes uerterunt bis mille equos
Galli canentes Cæsarem:
Hostiliumque nauium in portu latent
Puppes sinistrorsum citæ.
Io triumphe, tu moraris aureos
Currus, & intactas boues.
Io triumphe, nec Iugurthino parem
Bello reportasti ducem,
Neque Africano: cui super Carthaginem

Virtus sepulchrum condidit.
Terra, marique uictus hostis, Punico
Lugubre mutauit sagum:
Aut ille centum nobilem Cretam urbibus
Ventis iturus non suis,
Exercitatas aut petit Syrteis Noto:
Aut fertur incerto mari.
Capaciores affer huc, puer, scyphos,
Et Chia uina, aut Lesbia:
Vel, quod fluentem nauseam coerceat,
Metire nobis Cæcubum.
Curam, metumque Cæsaris rerum iuuat
Dulci Lyæo soluere:

COMMENTARII.

Quando repostum, expresio futuræ lætitiæ. quid in huiusmodi sententijs seruarit poeta, sæpe iam diximus, ut repetendum non sit. Conuiuia enim, potationes, cantus, lusus omnes *ἀναθήματα* sunt lætitiæ. nec sine ijs cumulata esse potest. solet addere odores, unguenta, coronas, flores, interuentum meretricularum. quod hic omisit, cum de re grauiori esset agendum. Cum placuit cum Mæcenate ludere, non abstinuit.

Exercitatas, translatio. sic Virg.
Atque exercita cursu flumina. Idem magis proprie:
Nate Iliacis exercite fatis.

Meminerimus huius sententiæ esse trigesimam septimam libri primi. Quare aliquis quærere posset cur tanto interuallo in hunc locum reiecta hæc Epodos fuerit. Illud non prætermittam, quod, quos hoc loco spadones appellat, in illa contaminatum gregem turpium uirorum uocat. Adiungere etiam illud liceat, hoc loco de Cleopatræ fuga agi. Cum inquit, hostiliúq; nauium portu latent puppes sinistrorsum citæ. quam sententiam pluribus in ea Ode persecutus est. ibi. Sed minuit furorem uix una sospes nauis ab ignibus &c.

IN MEVIVM. Ode X.

Naufragium ei precatur.

MALA *soluta nauis exit alite,*
Ferens olentem Meuium.
Vt horridis utrunque uerberes latus,

Auster memento, fluctibus.
Niger rudentes Eurus inuerso mari,
Fractosq; remos differat.
Insurgat Aquilo, quantus altis montibus
Frangit trementes ilices.
Nec sidus atra nocte amicum appareat:
Qua tristis Orion cadit.
Quietiore nec feratur æquore,
Quam Graia uictorum manus:
Cum Pallas vsto vertit iram ab Ilio
In impiam Aiacis ratem.
O, quantus instat nauitis sudor tuis,
Tibiq; pallor luteus,
Et illa non uirilis eiulatio,
Preces & auersum ad Iouem:
Ionius udo cum remugiens sinus,
Noto carinam ruperit.
Opima quod si præda curuo littore
Porrecta mergos iuueris;
Libidinosus immolabitur caper,
Et agna tempestatibus.

AD PECTIVM. Ode XI.

Se amore Licisci captum non posse ad uersus faciendos animum adijcere.

PECTI, *nihil me, sicut antea, iuuat*
Scribere uersiculos, amore perculsum graui.
Amore, qui me, præter omnes, expetit,
Mollibus in pueris, aut in puellis urere.
Hic tertius december, ex quo destiti
Inachia furere, siluis honorem decutit.
Heu me, per urbem (nam pudet tanti mali)
Fabula quanta fui? conuiuiorum & pœnitet:
In queis amantem & languor, & silentium
Arguit, & latere petitus imo spiritus:
Contraq; lucrum nil ualere candidum
Pauperis ingenium querebar applorans tibi,
Simul calentis inuerecundus deus
Feruidiore mero arcana promorat loco.

Quod si meis inæstuet præcordijs
Libera bilis, ut hæc ingrata uentis diuidat
Fomenta, uulnus nil malum leuantia:
Desinet imparibus certare summotus pudor.
Vbi hæc seuerus te palam laudaueram:
Iussus abire domum, ferebar incerto pede
Ad non amicos, heu, mihi postes, & heu,
Limina dura quibus lumbos, & infregit latus.
Nunc gloriantis quamlibet mulierculam
Vincere mollitia, amor Lycisci me tenet:
Vnde expedire non amicorum queant
Libera consilia, nec contumeliæ graues:
Sed alius ardor, aut puellæ candidæ,
Aut teretis pueri longam renodantis comam.

COMMENTARII.

Pecti, amore se impediri queritur. quamobrem a scribendis carminibus retardetur. Idem facit paullo post ad Mæcenatem Ode quartadecima. Contra sibi contingere affirmat Propertius in prima Elegia secundi libri, ad eundem Mæcenatem. sic:

Quæritis unde mihi toties scribantur amores,
Vnde nouus veniat mollis in ora liber,
Non hæc Calliope, non hæc mihi cantat Apollo,
Ingenium nobis ipsa puella facit.

Amore, repetitio.

Hic tertius December, per Decembrem annum intelligit, quemadmodum per Autumnos in hoc versiculo, Quatuor Autumnos Pleias orta facit. Virg. per Aristas ipsos annos notauit, Post aliquot mea regna uidens mirabor Aristas. figura nota, transumptionem Latini, μετάληψιν Græci appellant. In Epistola etiam ultima primi libri Her. per Decembres annos suos significauit. ibi:

Forte meum si quis te percontabitur æuum,
Me quater undenos sciat impleuisse Decembres.

Vbi quadraginta ac quattuor annos natum se ostendit. Idem prima Ode libri quarti confirmat, unde obiter colligitur quartum illum librum annis quattuor ante illam Epistolam conscriptum.

Decussit, idem expresserat Virg. ex quo hunc locum sumpsit Horatius:

Et iam olim seras posuit cum uinea frondes
Frigidus, & siluis Aquilo decussit honorem. Item ibi:
Quam multa in siluis Autumni frigore primo

Lapsa cadunt folia, & alibi terram consterni frondibus concusso vertice quercus a uentis dixit. quod Hor. secutus aliquando ita fecit.

Cras folijs nemus
Multis, & alga littus inutili,
Demissa tempestas ab euro,
Sternet. Idem ibi: *Et folijs uiduantur orni*. id uariauit Virg. *de citrio semper uirenti*, de quo dixit. *folia haud ullis labentia uentis*.

Vt hæc ingrata uentis diuidat., idest, ut ex animo meo penitus deleat, quemadmodum ea, quæ uenti correpta disipant. lege quæ adnotauimus Od.xxvj.lib.j.initio carminis.

Limina dura, non quod ipsa dura, idest crudelia sint, sed quia puella cuius erant limina, immitis esset. frequens in poetis figura. qua sensus inanimatæ rei datur.

In anum fœdam, ac fœtidam, quæ se ab eo subigi cupiebat. Ode XII.

QVID tibi uis mulier nigris dignissima barris?
Munera cur mihi quid ve tabellas
Mittis nec firmo iuueni, neque naris obesæ?
Nanque sagacius unus odoror,
Polypus, an grauis hirsutis cubet hircus in alis:
Quam canis acer, ubi lateat sus.
Quis sudor uietis, & quam malus undique membris
Crescit odor, cum pene soluto
Indomitam properat rabiem sedare: nec illi
Iam manet humida creta colorque
Stercore fucatus crocodili: iamque subando
Tenta, cubilia, tectaque rumpit:
Vel, mea cum sæuis agitat fastidia uerbis:
Inachia langues minus, ac me.
Inachiam ter nocte potes, mihi semper ad unum
Mollis opus. pereat male, quæ te
Lesbia quærenti taurum, monstrauit inertem:
Cum mihi Cous adesset Amyntas,
Cuius in indomito constantior inguine neruus,
Quam noua collibus arbor inhæret:
Muricibus Tyrijs iteratæ uellera lanæ,
Cui properabantur? tibi nempe.
Ne foret æquales inter conuiua magis quem
Diligeret mulier sua, quam te.

O ego non felix, quam tu fugis, ut pauet acres
Agna lupos, capreæque leones.

A D A M I C O S. Ode XIII.

Hiemem uoluptatibus traducendum.

HORRIDA *tempestas cælum contraxit: & imbres,*
Niuesque deducunt Iouem. nunc mare, nunc silua
Thericio Aquilone sonant. rapiamus amici
Occasionem de die: dumque uirent genua,
Et decet, obducta soluatur fronte senectus.
Tu uina Torquato moue consule pressa meo.
Cætera mitte loqui. deus hæc fortasse benigna
Reducet in sedem uice: nunc & Achæmenia
Perfundi nardo iuuat: & fide Cyllenea
Leuare diris pectora solicitudinibus:
Nobilis ut grandi cecinit Centaurus alumno,
Inuicte mortalis, dea nate puer Thetide,
Te manet Assaraci tellus: quam frigida parui
Findunt Scamandri flumina, lubricus & Simois.
Vnde tibi reditum certo subtegmine Parcæ
Rupere: nec mater domum cærula te reuehet.
Illic omne malum uino, cantuq; leuato,
Deformis ægrimoniæ dulcibus alloquijs.

C O M M E N T A R I I.

Horrida, quemadmodum ab accidentibus Veris ætas describitur, ita hiems. in quibus describendis semper contraria sumemus quemadmodum fecit poeta Ode nona libri primi. sic:

Vides ut alta stet niue candidum Soracte &c.

Moue, alibi sic locutus est. & alibi cadum uerti dixit ad Mæcenatem scribens. lib. iij. Od. xxix.

Tyrrhena regum progenies tibi
Non ante uerso lene merum cado &c.

Lege Lambinum. super eo versiculo.

Nunc, breuiter numerat quæ potissimum in lætitijs fiebant.

Perfundi nardo, pro ungi eleganter est dictum. sic Ode v. lib. j.

Quis multa gracilis te puer in rosa perfusus liquidis urget odoribus.

Leuare, sic superius paullo dixerat. fomenta uulnus leuantia.

Findunt,

Findunt, de fluminibus, optima translatio. dum enim labuntur, diuidunt agros. ita aues aera dicuntur findere. ut Ouid. de Perseo; sic de nauibus æquor sulcantibus.

Illic omne malum; tale illud Odes septimæ lib. j.

Sic tu sapiens finire memento
Tristitiam, uitæq; labores molli Plance mero.

Sed uino curas pellere sæpe iam dixit.

AD MAECENATEM. Ode XIIII.

Phrynes amorem in causa esse, ne promissos iambos absoluat.

MOLLIS *inertia cur tantam diffuderit imis*
Obliuionem sensibus,
Pocula letheos ut si ducentia somnos
Arente fauce traxerim,
Candide Mecenas occidis sæpe rogando.
Deus, deus nam me uetat,
Inceptos olim, promissum carmen, iambos
Ad umbilicum adducere.
Non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo
Anacreonta Teium:
Qui persæpe caua testudine fleuit amorem,
Non elaboratum ad pedem,
Vreris ipse miser. quod si non pulchrior ignis
Accendit obsessam Ilion,
Gaude sorte tua. me libertina nequé uno
Contenta Phryne macerat.

COMMENTARII.

Ducentia somnos, morti enim similis est somnus, & propterea imago mortis dicitur. talem somnum ferreum appellat Virgilius:

Olli dura quies oculis, & ferreus urget
Somnus. in æternam clauduntur lumina noctem.

Trahere somnos etiam dixit Ouid. Virg. Letheum. Letheo perfusa papauera somno.

Deus deus, culpam confert in amorem. duplicatio.

Non aliter, amoris sui magnitudinem cum amore Anacreontis comparat.

Caua testudine, Periphrasis.

Non elaboratum, Porphirion hic exponit. hoc ideo, quia vt supra ostendimus, lyrici poetæ prout libet, cuiusq; uersus sibi fingunt. ita etiam scripsit in secundam quarti libri super eo versiculo, numerisq; fertur lege solutis. Ideo, quia plerunque ad uoluptatem suam lyricus poeta metrum sibi fingit, tamen ut quem sibi initio Odę stătuit, ordinem necesse habeat ad finem vsque custodire. Sed de hoc lege quæ diximus super eodem uersiculo. mihi tamen Anacreontis carmina non eiusmodi esse uidentur. in quibus illa licentia metri appareat. unius prope generis illa sunt, quæ leguntur. Lambinus putat hoc ad facilitatem, simplicitatemq; Anacreontis, quam assequi nemo possit, referendum. Ego uero, quamuis nihil elaborati in eo poeta sit, sed omnia fusa, & tanquam a puro quodam ac limpido fonte manare uideantur, nihilominus malim ad consuetudinem illam lyricorum, quam ad illam puritatem referri hæc poetæ uerba. fieri enim potuit, ut talia illę poeta conscripserit, quæ ad nos peruenire nō potuerint. non probatur Landini interpretatio sic scribentis in hunc locum. ad pedem non elaboratum, ergo inconditum, quia amore prohibitus, elimare non poterat.

Quod si non pulchrior ignis, Lilius Geraldus in Hist. deorum de Terentia intelligit, quam Mæcenas, & Augustus amarint.

AD NEAERAM. Ode XV.

NOx erat, & cælo fulgebat luna sereno
Inter minora sidera:
Cum tu magnorum numen læsura deorum
In verba iurabas mea,
Arctius atque edera procera astringitur ilex
Lentis adhærens brachijs:
Dum pecori lupus, & nautis infestus Orion
Turbaret hibernum mare:
Intonsosq; agitaret Apollinis aura capillos,
Fore hunc amorem mutuum.
O dolitura mea multum uirtute Neæra:
Nam, si quid in Flacco uiri est,
Non feret assiduas potiori te dare noctes:
Et quæret iratus parem.
Nec semel offensæ cedet constantia formæ,
Si certus intrarit dolor.
At tu, quicunque es felicior, atque meo nunc
Superbus incedis malo:
Sis pecore, & multa diues tellure licebit:
Tibiq; Pactolus fluat:

Tt Nec

Nec te Pythagora fallant arcana renati:
Formaque vincas Nirea;
Eheu, translatos alio mœrebis amores:
Ast ego vicissim risero.

COMMENTARII.

Nox erat, tempus describitur. circunstantiam temporis ponit, ut res uerior appareat. id enim efficiunt circunstantiæ, ut quæ per eas efferuntur, uerisimilia uideantur.

Arctius, nihil poterat ad illos amplexus arctissimos inueniri aptius. arctius quidem astringi, lentis adhęrens brachijs. uerba sunt ualde rem exprimentia.

Dum pecori Lupus, multa similia reperient nostri adolescentuli per se apud uarios poetas.

Nec semel offensæ, locus obscuriusculus. ut Lambino uidetur, illum lege.

At tu quicunque es, metum riuali inijcit, fore ut pœniteat. & a Neæra contemnatur.

Superbus, paullo superius in Menam dixit, licet superbus ambules pecunia.

Ast ego uicissim risero, nam ingens uoluptas est, quæ ex spe ulciscendi proficiscitur. Arist. secundo Rhet. καὶ πάσῃ ὀργῇ ἕπεσθαι τινα ἡδονὴν, τὴν ἀπὸ τῆς ἐλπίδος τοῦ τιμωρήσασθαι. idest, necesse est uoluptatem comitari iram. illam sane, quæ a spe puniendi oritur. cui sententiæ pulcherrimam rationem addit. ἡδὺ μὲν γὰρ τὸ οἴεσθαι τεύξεσθαι ὧν ἐφίεται. idest, iucundum id quidem est id fieri putare, quod optamus.

Queritur bellis ciuilibus nullum imponi finem. Ode XVI.

ALTERA iam teritur bellis ciuilibus ætas,
Suis & ipsa Roma viribus ruit:
Quam neque finitimi ualuerunt perdere Marsi,
Minacis aut Etrusca Porsenæ manus,
Aemula nec uirtus Capuæ, nec Spartacus acer,
Nouisq; rebus infidelis Allobrox:
Nec fera cærulea domuit Germania pube,
Parentibusque abominatus Annibal:
Impia perdemus deuoti sanguinis ætas:
Ferisque rursus occupabitur solum.
Barbarus, heu, cineres insistet uictor: & urbem
Eques sonante uerberabit ungula:

Quæque

Quæque carent uentis, & solibus, ossa Quirini,
Nefas uidere, dissipabit insolens.
Forte, quid expediat, communiter, aut melior pars
Malis carere quæritis laboribus.
Nulla sit hac potior sententia: Phocæorum
Velut profugit execrata ciuitas:
Agros, atque Lares proprios, habitandaq; fana
Apris reliquit, & rapacibus lupis:
Ire pedes quocunque ferunt: quocunque per undas
Notus uocabit, aut proteruus Africus.
Sic placet? an melius quis habet suadere? secunda
Ratem occupare quid moramur alite?
Sed iuremus in hæc: simul imis saxa renarint
Vadis leuata, ne redire sit nefas:
Neu conuersa domum pigeat dare lintea, quando
Padus Matina lauerit cacumina:
In mare seu celsus procurrerit Apenninus:
Nouaq; monstra iunxerit libidine
Mirus amor, iuuet ut tigres subsidere ceruis:
Adulteretur & columba miluo:
Credula nec fuluos timeant armenta leones:
Ametq; salsa læuis hircus æquora.
Hæc, & quæ poterunt reditus abscindere dulces,
Eamus omnis execrata ciuitas,
Aut pars indocili melior grege. mollis, & expes
Inominata perprimat cubilia.
Vos, quibus est uirtus, muliebrem tollite luctum:
Etrusca præter & uolate littora.
Nos manet Oceanus circumuagus: arua, beata
Petamus arua, diuites & insulas:
Reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis:
Et imputata floret usque uinea:
Germinat & nunquam fallentis termes oliuæ:
Suamq; pulla ficus ornat arborem:
Mella caua manant ex ilice: montibus altis
Leuis crepante lympha desilit pede.
Illic iniussæ ueniunt ad mulctra capellæ:
Refertq; tenta grex amicus ubera:
Nec uespertinus circum gemit ursus ouile:
Nec intumescit alta uiperis humus:
Pluraq; felices mirabimur, ut neque largis

Aquosus Eurus arua radat imbribus,
Pinguia nec siccis urantur semina glebis:
Vtrunque rege temperante cælitum.
Non huc Argoo contendit remige pinus:
Neque impudica Colchis intulit pedem,
Non huc Sidonij torserunt cornua nautæ:
Laboriosa nec cohors Vlyssei.
Nulla nocent pecori contagia, nullius astri
Gregem æstuosa torret impotentia.
Iupiter illa piæ secreuit littora genti,
Vt inquinauit ære tempus aureum:
Aere, dehinc ferro durauit sæcula, quorum
Pijs secunda uate me datur fuga.

COMMENTARII.

Altera, querela de bellis ciuilibus. sententijs amarulentis,& indignatione plena, quippe quæ acrem habeat reprehensionem. Huic uerba etiam respondent, & Methodus. libere enim loquitur, nihil lenitatis admiscens. Romanos ciues grauiter obiurgat. estq; inter æquales obiurgatio. Se enim ciuibus admiscet. figuræ generi subseruiunt,in primis interrogatio. quare omnes istæ sententiæ cum interrogatione proculdubio pronunciandæ, ne, si,quasi narretur res,id quod ardere deberet, frigescat. Cum ingenti enim affectu, atque indignatione dicta hæc sunt. *Si* sic legamus magis expressa fuerit Acrimonia. Sed qui non plane formæ naturam tenuerunt, id uidere non potuerunt. sic igitur legemus hæc carmina.

Quam neque finitimi potuerunt perdere Marsi,
Minacis aut Etruscæ Porsenæ manus
Aemula nec uirtus Capuæ, nec Spartacus acer,
Nouisq; rebus infidelis Allobrox,
Nec fera Cærulea domuit Germania pube,
Parentibusq; abominatus Annibal,
Impia perdemus deuoti sanguinis ætas?
Ferisq; rursus occupabitur solum?
Barbarus, heu, cineres insistet uictor? & urbem
Eques sonante verberabit vngula?
Quæq; carent uentis, & solibus ossa Quirini
Nefas uidere, dissipabit insolens?

Quam neque finitimi, ab indecenti sumpta exempla, nam turpissimum est,Romanos seipsos perdere,qui a nemine superari potuerunt.

Ferisq;, patiemur lares nostros desolari? hæc poetice. sic dixit per locum

cum

cum a consequentibus non necessarijs. quemadmodum illud Odes tertiæ libri tertij:

Dum Priami, Paridisq; busto
Insultet armentum, & Catulos feræ
Celent inultæ. & paullo post:
Agros, atque lares patrios, habitandaq; fana
Apris reliquit, & rapacibus lupis.

Barbarus, sic Melibæus apud Virgilium:

Impius hæc tam culta noualia miles habebit,
Barbarus has segetes? en quo discordia ciues
Perduxit miseros. ex quibus versibus fortasse admonitus poeta hanc sententiam conflauit.

Quaq; carent, patiemur maiorum sepulcra uiolari? aras & focos, & sepulcra mira religione obseruata nemo ignorat.

Forte quid expediat, consulit Romanis, & quid illis sit sequendum proponit.

Ire, subintellige, quam, ut sit, nulla potior sententia quam ire quocunque pedes ferent.

Superbus Africus, proteruos etiam uocat uentos Ode xxvj. lib. j.

Dare lintea, sic Virg. dare lintea retro.

Nouaq; monstra, pulchra uariatio. monstra iungi noua libidine, tigres subsidere ceruis, adulterari columbam miluio.

Credula, ex Virgilio, qui dixerat:

Nec magnos metuent armenta leones.

Abscindere, translatum verbum.

Hæc & quæ poterunt, hic ordinanda uerba. Ciuitas omnis, aut pars melior grege indocili execrata hæc, & quæ poterunt reditus abscindere dulces, eamus. mollis & expes, idest ignaua multitudo perprimat cubilia inominata.

Vos, cohortatio per apostrophen.

Nos manet Oceanus, in deliberatione finis est felicitas auctore Aristotele. felicitatem proponit suis ciuibus. multa autem quæ ad felicitatem ipsam pertinent, enumerat. Suadet esse discedendum, a bonis, quibus fortunatæ insulæ abundant. Quod fecit Virg. in laudibus Italiæ, ex quo loco hæc omnia, & quæ sequuntur desumpsit poeta mirifico imitandi iudicio, atque arte adiutus. quod in uitæ rusticæ laudibus secutus est, lege Oden secundam libri quarti.

Reddit ubi cererem, hoc Virg. antea tribuerat Italiæ inquiens, sed grauidæ fruges, & Bacchi Masſicus humor impleuere.

Leuis crepante, sic alibi. fontesq; lymphis obstrepunt manantibus.

Defert, sic alibi. distenta siccat ubera, & Virg.

Distentas

Distentas lacte capellas.

Nec vespertinus, non tantum a bonis, quæ rebus insunt, sed a malis etiã quibus carent, laudamus, eodem Aristotele præcipiente. ut alias monebamus. hoc consilium hic quoque secutus est. Idem fecit Virg. in ipsius Italiæ laudibus ad orationem longius extendendam. vnde Horatius deduxit. sic Virg.

At rabidę tigres absunt, & sęua Leonum
Semina. cum multis quæ sequuntur in hanc sententiam.

Nec intumescit, egregie dictum, locus etiam a consequentibus. Idem dixit Virg.

Nec rapit immensos orbes per humum, neque tanto
Squammeus in spiram tractu se colligit anguis.

Non huc argoo, hæc ex Virg. etiam imitatus est. ibi:

Hęc loca non tauri spirantes naribus ignem
Inuertere, satis immanis dentibus hydri
Nec galeis, densisq; uirum seges horruit hastis.

Laboriosa, sic paullopost in Canidiam. Laboriosi remiges Vlyssei.

AD CANIDIAM. Ode XVII.

Veniam petit.

IAM iam efficaci do manus scientię:
Supplex & oro regna per Proserpinę,
Per & Dianę non mouenda numina,
Per atque libros carminum ualentium
Refixa cęlo deuocare sidera,
Canidia parce uocibus tandem sacris:
Citumque retro solue, solue turbinem.
Mouit nepotem Telephus Nereium:
In quem superbus ordinarat agmina
Mysorum: & in quem tela acuta torserat,
Luxere matres Ilię addictum feris
Alitibus, atque canibus homicidam Hectorem:
Postquam relictis mœnibus rex procidit
Heu, peruicacis ad pedes Achillei.
Setosa duris exuere pellibus
Laboriosi remiges Vlyssei
Volente Circe membra: tunc mens, & sonus
Relatus, atque notus in uultus honor.
Dedi satis, superque pœnarum tibi

Amata nautis multum, & institoribus.
Fugit Iuuentas, & verecundus color
Reliquit ossa pelle amicta lurida:
Tuis capillus albus est odoribus:
Nullum a labore me reclinat otium:
Vrget diem nox, & dies noctem: neque est
Leuare tenta spiritu præcordia.
Ergo negatum, vincor, ut credam miser,
Sabella pectus increpare carmina:
Caputque Marsa dissilire nęnia.
Quid amplius uis? o mare, & terra, ardeo:
Quantum neque atro delibutus Hercules
Nessi cruore: nec Sicana feruida
Vibrans in Aetna flamma. tu, donec cinis
Iniuriosis aridus uentis ferar,
Cales uenenis officina Colchicis.
Quę finis? aut quod me manet stipendium?
Effare: iussas cum fide pœnas luam:
Paratus expiare, seu poposceris
Centum iuuencos siue mendaci lyra
Voles sanari: tu pudica, tu proba:
Perambulabis astra sidus aureum.
Infamis Helenę Castor offensus uice,
Fraterque magni Castoris, uicti prece
Adempta uati reddidere lumina.
Et tu (potes nam) solue me dementia,
O nec paternis obsoleta sordibus,
Nec in sepulcris pauperum prudens anus
Nouendiales dissipare pulueres:
Tibi hospitale pectus: & purę manus:
Tuusque uenter partumeius: & tuo
Cruore rubros obstetrix pannos lauit,
Vtcunque fortis exilis puerpera,

CANIDIA XVIII.

Quid obseratis auribus fundis preces?
Non saxa nudis surdiora nauitis
Neptunus alto tundit hibernus salo.
Inultus ut tu riseris Cotyttia
Vulgata, sacrum liberi Cupidinis?

Et Esquilini pontifex uenefici
Impune ut urbem nomine impleris meo?
Quid proderit ditasse Pelignas anus,
Velociusue miscuisse toxicum,
Si tardiora fata te uotis manent?
Ingrata misero uita ducenda est in hoc:
Nouis ut usque suppetas doloribus.
Optat quietem Pelopis infidus pater,
Egens benignæ Tantalus semper dapis:
Optat Prometheus obligatus aliti:
Optat supremo collocare Sisyphus
In monte saxum: sed uetant leges Iouis.
Voles modo altis desilire turribus:
Modo ense pectus Norico recludere:
Frustraque uincla gutturi nectes tuo,
Fastidiosa tristis ægrimoniæ:
Vectabor humeris tunc ego inimicis eques:
Meæque terra cedet insolentiæ.
An, quæ mouere cereas imagines,
(Vt ipse nosti curiosus) & polo
Deripere Lunam uocibus possim meis:
Possim crematos excitare mortuos,
Desiderique temperare poculum:
Plorem artis in te nil ualentis exitum?

Q. HORATII FLACCI
CARMEN SAECVLARE.

PHOEBE, *ſiluarumq; potens Diana,*
Lucidum cæli decus, o colendi
Semper, & culti, date quæ precamur
Tempore ſacro:
Quos Sibyllini monuere verſus,
Virgines lectas, puerosq; caſtos
Dijs, quibus ſeptem placuere colles,
Dicere carmen.
Alme ſol, curru nitido diem qui
Promis, & celas: aliusque, & idem
Naſceris: poſſis nihil urbe Roma
Viſere maius.
Rite maturos aperire partus
Lenis Ilithyia, tuere matres:
Siue tu Lucina probas uocari,
Seu genitalis.
Diua, producas ſobolem, patrumque
Proſperes decreta ſuper iugandis
Fæminis, prolisque nouæ feraci
Lege marita:
Certus vt denos decies per annos
Orbis & cantus, referatque ludos
Ter die claro, totiesque grata
Nocte frequentes.
Vosque ueraces cecinisse Parcæ,
Quod ſemel dictum eſt, ſtabilisque rerum
Terminus ſeruat, bona iam peractis
Iungite fata.
Fertilis frugum, pecorisque tellus
Spicea donet Cererem corona:
Nutriant fœtus & aquæ ſalubres,
Et Iouis auræ.

Condito mitis, placidusque telo
Supplices audi pueros Apollo:
Siderum regina bicornis audi
Luna puellas.
Roma si uestrum est opus: Iliæque
Littus Etruscum tenuere turmæ,
Iussa pars mutare Lares & urbem
Sospite cursu:
Cui per ardentem sine fraude Troiam
Castus Aeneas patriæ superstes
Liberum muniuit iter, daturus
Plura relictis:
Dij probos mores docili iuuentæ,
Dij senectuti placidæ quietem:
Romulæ genti date remque, prolemq;
Et decus omne.
Quique uos bobus ueneratur albis
Clarus Anchisæ, Venerisque sanguis,
Imperes bellante prior, iacentem
Lenis in hostem.
Iam mari, terraq; manus potentes
Medus, Albanasq; timet secures:
Iam Scythæ responsa petunt, superbi
Nuper & Indi:
Iam fides, & pax, & honor, pudorq;
Priscus, & neglecta redire uirtus
Audet: apparetq; beata pleno
Copia cornu.
Augur, & fulgente decorus arcu
Phœbus, acceptusq; nouem camœnis,
Qui salutari leuat arte fessos
Corporis artus:
Si Palatinas uidet æquus arces,
Remque Romanam, Latiumque felix:
Alterum in lustrum meliusque semper
Proroget æuum:
Queque Auentinum tenet, Algidumque
Quindecim Diana preces virorum
Curet: & votis puerorum amicas
Applicet aures.
Hęc Iouem sentire, deosq; cunctos,

Spem

Spem bonam, certamq; domum reporto
Doctus, & Phœbi chorus, & Dianæ
Dicere laudes.

COMMENTARII.

Phœbe, grauissimum, & pulcherrimum carmen, sanctam habens pro totius Vrbis incolumitate petitionem. pia, & honesta in primis petit. quæ autem a dijs petenda sunt, lege quæ in Ode trigesima prima libri primi attulimus. sapienter considerat omnia, quæ ad commune urbis bonum pertinent. quæ si aliqua ciuitas fuerit consecuta, nihil illa beatius.

Siluarum potens Diana, sic alibi hanc deam ornauit, inquiens, montium custos, nemorumq; virgo. Idcirco nemorensem, seu nemoralem appellauit antiquitas.

Lucidum cæli decus, nihil maius de ijs dici potuit.

Virgines lectas, a virginum, atque puerorum choris cani solita sunt carmina Apollini, & Dianæ in ludis sæcularibus. quod & festis diebus est obseruatum, cum cætus etiam matronarum nobilium cantu & precibus Iunonem celebrarent saltantes, tum fidium, tum uocum, tum tibiarum concentu adhibito. de ludis sæcularibus cum alij scripserint, nemo tamen luculentius Onuphrio Paniuinio.

Quod Sibyllini, ijs versibus omnia plena.

Septem colles, eleganter Romam significat.

Dicere carmen, alibi dic modos Lydæ, ita etiam alij locuti sunt, vt Virg. deductum dicere carmen.

Alme Sol, perspicua solis laus. promere, & cælare diem pulcra uerba, & eleganter adhibita. alium. & eundem nasci ingeniose. Macrobius Phaneum dictum Apollinem scripsit ἀπὸ τοῦ φαίνειν, quod quotidie sol nouus appareat. nihil autem splendidius ista obtestatione. Solem alibi redire pro oriri dixit poeta. dum rediens fuget astra Phœbus.

Aperire partus, maturos dicit, quod uel septem aliquando, vel nouem mensibus maturescunt. aperire autem verbo usus est, quoniam putant ipsam rimas corporis extendere, & aperire meatus, vt facilius, ac celerius infantes in lucem edantur. alibi poeta, quæ laborantes utero puellas ter uocata audis &c. hoc etiam Iunoni tributum fuit, quare Lucinam dixere. sed id tritum.

Seu genitalis, quoniam inter deas γενετυλλίδας ponebatur. Sicut etiam Venus.

Sobolem, ciuitates propagari, & stare non possunt, nisi liberorum procreatione.

Fertilis frugum, profecto sine frugibus, ac rerum copia urbes deficiunt.

quare id præcipue fuit optandum. Idcirco Ode uigesima prima libri primi in Dianam, & Apollinem idem uoluit ostendere.

Hinc bellum lachrymosum, hinc miseram famem
Pestemq; a populo, & Principe Cæsare in
Persas, atque Britannos
Vestra motus agat prece.

Talia canebantur a choris puerorum & puellarum. Quare Hor.

Poscit opem chorus, & præsentia numina sentit.
Cælestes implorat aquas, docta prece blandus
Auertit morbos, metuenda pericula pellit.
Impetrat & pacem, & locupletem frugibus annum.

Condito mitis, nisi superioribus bonis adiuncta sit salubritas, omnia illa frustra a dijs tribuuntur. Itaque sapienter orat, ut Apollo pestilentiam, & morbos aueruncet. quorum causa est nimius solis ardor. quare Homerus Apollinem sagittis suis Græcorum exercitum pene perdidisse finxit. Lunã Reginam sydérum, & bicornem appellans splendidis epithetis ornauit.

Roma si uestrum, quasi obligati sint Apollo, & Diana seruare urbem, dicit eos Romæ auctores fuisse. nam oraculo, & sortibus Apollini Lycij in Italiam uenit Aeneas, & Romani Genitricem Venerem agnoscunt. Cui Cæsar, Suetonio, atque alijs auctoribus templum dicauit thorace ex margaritis Britannicis addita Plin.

Dij probos mores, optandi præcipue sunt in ciuitatibus probi iuuentutis mores. senectutis uero ratio habenda. ut ætatem iam defunctam senes trãquille in otio tuti transigant.

Iacentem lenis, iræ moderari oportere, & summam esse laudem Imperatoris in hostem clementer se gerere, omnium sapientium sententia probatum est. de quo sic Cic. primo off. nihil laudabilius, nihil magno, & præclaro uiro dignius placabilitate. Ideo sic Eurip. in Ione. ἱκέτην οὐ θέμις φονεύειν. supplicem nefas occidere. celebre illud. Bis uincit, qui se uincit in uictoria. de quo nos in Nuncupatoria Epistola STEPHANI POLONIAE Regis potẽtissimi pluribus agebamus, incredibilẽ illius Principis clementiã celebrantes. qua uirtute omnibus Imperatoribus merito est præferendus.

Clarus Anchisæ, Cæsaris Periphrasis.

Iam mari, Idem uoluit dicere, Ad Aug. Od. v. lib. iiij.

Quis Parthum paueat? quis gelidum Scythan?
Quis Germania, quos horrida parturit
Fœtus, incolumi Cæsare, quis feræ
Bellum curet Iberiæ?

Iam fides, Ibidem, culpari metuit fides dixit.

Pax, hoc nomen in plura deduxit, nonnullis quæ pacem consequuntur collectis, sic:

Tutus

Tutus bos etenim rura perambulat,
Nutrit rura ceres, almaq; faustitas.
Paccatum uolitant per mare nauitæ, quæ non nisi pacis tempore contingunt.
Honor, pudorq;, hæc etiam in plura dilatauit eodem in loco.
Nullis polluitur casta domus stupris.
Mos, & lex maculosum edomuit nefas.
Laudantur simili prole puerperæ.
Pleno copia cornu, id expressum est illo uersu:
Nutrit rura ceres, almaq; faustitas.
Fulgente decorus arcu, Ideo ἀργυρότοξος, & κλυτότοξος ab Ouidio arcitenens est dictus.
Si Palatinas, Palatinus uocatus est Apollo a Romanis a Palatino templo. quod Augustus ipsi in Palatio dicauit cum porticu & Bibliotheca. Ideo arces Palatinas appellat.
Quæq; Auentinum, Auentina cognominata est Diana, quod in Auentino monte coleretur.

CVM intelligerem duas Odas, quas proxime conſcripſeram, deſiderari, flagitantibus morem geſsi. idcirco quæcunque ſunt, huc apponi non inuitus permiſi, ut altera teſtatum relinquerem SERENISS. PRINCIPI NICOLAO DE PONTE, qua obſeruantia ipſum tot illuſtribus uirtutibus, tot laudibus, ac tanta gloria cumulatum colerem. altera ut me OCTAVIO Amaltheo Medico Nobiliſſimo, quo DEVS MAX. miniſtro in me deplorato ad vitam reuocando uſus fuit, non ingratum oſtenderem.

AD NIC. DE PON.
PRINCIPEM SERENISS.

FONTIS *Laciaci ad caput*
Succincta niueis ueſtibus, & comas
Lanæ uellere candido
Ornatæ, triplices gramineo in toro
Cantabant hilari die
Parcæ, Naiades dum celebrant ſacra
Fontem ad perſpicuum annua,
Congeſtam & uiridi ceſpite dum tegunt
Fronde aram. In numerum choros
Solenneſq; epulas pergite Virgines

Inſtaurare,

Instaurare, ſonent nouis
Colles plauſibus, & conſona montium
Cultrix uocibus aſſonet
Echo, & dum canimus, dicite Principi
Ponti, ter ſalūe decus
Æternum. Imperij ſplendor, & vnica
Spes rerum. Salūe Deūm
Cura. Is uos trepidantes pede garrulo in
Concham duxit eburneam.
Quæq; æſtum, atque ſitim pellere languidam
Conſueſtis pecori uago,
Auratos calices dulce liquentibus
Lymphis tinguitis, & nouo
Mulcentis citharæ carmine fiſtulæ
Mutaſtis ſtrepitum leuem.
Idcirco uiolamq;, & caſiam, & crocum, &
Florem mollis amaraci
Aprici calathis fundite olentibus
Ruris dulcia munera.
Gemmas, chryſolitosq; inter, & aureum
Regalis capitis iubar
Flores purpureos ſerpere nunc licet.
Nobis interea colo
Sit fas parcere. nec, dum trepidæ ocyus
Fuſos turbine pendulos
Verſamus tereti, pœniteat moræ

Dicamus (quis enim ſinat
Heros te tacitum Maxime? vindicem
Libertatis & otij?)
Vt tot pro patria pertuleris, quibus
Vrbem conſilijs grauis
Firmaris, quibus aut legibus auxeris.
Te uidit Tagus aurifer,
Te Batis, Carolus cum obſtupuit nouum
Nelida eloquium ſenis:
Te quondam didicit Sequana, Te Liger.
Te ſenſit caput Vrbium,
Cum iras atque animos cedere neſcios
Plenus Numine Principum
Permulces. tibi cum purpurei patres,
Alta & mænia Romuli
Dum rebus patriæ conſulis aſperis,
Ceſſere: At tu age Dux bone
Adſis, dum canimus, dum tua candidis
Stellis facta reponimus.
Pubes ecce tibi ſobria, dum calent
Aræ, uota canit pia.
Nos, dum longa ſeni uellera ducimus
Lento pollice, Naiades
Et palma, egregij, & tempora Principis
Lauro cingite Delphica.
Hoc regnante Ceres degrauet horrea.

Hoc rerum Domino lacus
Spument nectareo munere Liberi.
Balatu tenero sonent
Ripæ. ter grauidæ lactea deferant
Sero uespere oues domum
Distenta ubera. nec circum ululet lupus
Plenis pulsus ouilibus.
Stillent ilicibus mella; tubæ procul
Turbentur sonitu Getæ.
Te non cæruleis terreat anguibus
Orci Ianitor horridus,
Cocyti aut fremitus. Te uolucris ferat
Sublimem ad Lycaoniam
Arcton, Te ad Libyci brachia feruida
Cancri fama uehat, sinus
Et qua puniceos gurgite roscida
Tollens, sidera dissipat
Aurora. herculeum & trans Abylam, arduam
Trans calpen statuas manu
Victrici Imperij signa. perambulet
Latos per populos Leo
Insignis rigidis unguibus, & iuba
Victor, Quem paueant truces
Parthiq;, armiferæq; Incola Thraciæ.
Hæc Parcæ: Omnia erunt. pater
Arrisit posito fulmine Iuppiter

AD OCTAVIVM AMALTHEVM MEDICVM HIERON. F.

VATVM *carminibus cuncta sonantibus*
Repleri, & tumidi uocibus Adriæ
Echo cæruleis uallibus abditam
Respondere loquacibus
Audin' Musa procul? turba sodalium
Vt plaudat, Barathri me è gurgite sospitem
Emersisse cauo? uiuum & ab inferis
Permensum stygios lacus,
Reflexisse pedem? nubila discute
Mentis solicitæ. quæ tibi non leuem
Curam, quæ ancipites pectoris intimi
Æstus attulerant, grauis
Me febris quateret, squalida frigidus
Horror membra diu cum attereret, siti
Cum exustis tenui in gutture faucibus
Clausum deficeret cita
Olim uocis iter. cum tremerent gelu
Languentes, caderentq;, & uice mutua
Capti artus, oculis cum ferus incubans
Somnus lumina conderet.

Affulsit subito numine cælitum
Regnator teneris cum aligerum choris
Plaudentem croceis per caua nubila
Pennis . Is tibi protinus
Succos pæonios pixide ab aurea
Depromptos dedit , & quicquid opis ferunt
Valles Elysiæ, & præcipue sacri
Florem lactis amygdali;
Octaui . medicæ cui Epidaurius
Artis cædat opem, & Philirides, nigris
Quæ raptos tenebris , & stÿge lurida
Spirantum accumulas gregi .
Exanguis cecidit pallor, & horrida
Deformes macies inficiens genas
Diffugit . stygijs manibus excita haud
Mentem insomnia territant .
Per te læta domus ridet , & annua
Instaurans hominum, & Cælicolum Patri
Supremo sacra, te concelebrat , ferens
Alta ad sidera laudibus .
Per te lauricomis Castaliæ in iugis
Tentare æolium pectine barbiton
Fas , nec Pieridas pœnitet auribus
Excepisse modos , Iouis
Incunabula dum pandimus, ut Rhea
Saturni insidias callida reddidit

Exactis uteri mensibus irritas
Maturi. puerum editum ut
Dicteo uiolis, molli & amaraco
Fultum montis Amalthea sub edito
Antro, lacteola sustulit ubere,
Circum dum fremitu nemus,
Atque Ida recrepant cymbala, dum choros
Ducunt armisonos, dum reboant caua
Conualles sonitu, dum trepidat puer.
Æra inter corybantia.
Vt fractum omnigeno flore, rubentibus
Et pomis Driades Gnosiacæ replent
Cornu. quod decori in sæcula Iuppiter
Seris esse Nepotibus
Mundat, sideribusq; inserit, & beat
Nutricem, & genimos olenium pecus
Cælo hædos, rutilos fulgere quos uides
Tauri in cornibus aureis:
Mox cæli ardua cum terrigenæ ferox
Titani soboles scanderet, & Iouem
Regnantem solio pellere patrio
Tentat, consiliorum inops;
Villorum ut Genitor terga minacium
Capræ subligat, & fulminis in modum
Scißis intrepido pectore nubibus
Pubem fertur in impiam.

Demum,

Demum, ut Scythonia ceu niue concitus
Amnis dans sonitum, spumeus aggeres,
Et moles rapido disijcit impetu,
Tauri fronte superbiens
Sternit pracipites fulguris ignei
Insuetus puer, at sidereis potens
Villis, terrifica diruit agmina
Fratrum pelle furentium.
Victorem excipiunt. lætitia fremit
Cœli Regia. quam ceu stipulam Deus
Arentem altitonans proterit impias
Vires uindice dextera.
Testis trinacriæ molibus arduis
Aetnæ suppositus Enceladus, gemit
Altis Inarimæ rupibus obrutus
Cæca in nocte Typhoëus.

ARISTARCVS PARTHENII NEPOS LECTORI.

QVAMVIS in Epiſtolas, in ſermones, atque in Poeticam nihil attulerit Parthenius, nihilominus noluit Typographus ea deſiderari. multi in ea ſcripſere docte, & luculenter, ut opus non fuerit quicquam illorum ſcriptis adiungere, reuera cum Parthenius ipſe magis artificia ſpectarit, quam ut ſenſus exponeret, atque aperiret, ſtatuit in his ſibi non eſſe laborandum. non enim ea tantam diligentiam requirunt in artis obſeruatione. Epiſtolæ quidem perpetuum, & ſibi aptum, & proprium tenorem, rationemq; uendicant, nempe familiaritatis, & magis uerborum proprietatem requirunt, quam ornamenta poetica ſibi aſciſcant. Quare ſine uitio ullo, aut reprehenſione, his carere poteſt hoc genus. Quin potius ſiquid operæ circa delicias, & figuras ſelectiores orationis, uel compoſitionis, uel ſoni exquiſitioris adhibitum fuerit, uitioſum ſit, Nam quo propius accedit ad orationem ſolutam, eo magis naturam ſuam ſeruat. Idem de ſermonibus ſtatuendum, qui quoniam mordacitatem, atque aſperitatem habent, qua Horatius tamen temperatius, Iuuenalis, ac Perſius licentioſius uſi ſunt, nemo in illis ullam uoluptatem, ſuauitatemq; orationis deſiderat. Humile eſt hoc genus, & ob familiaritatem, ſermones appella-

uit